INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS IV.

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN-CHALANDRE FILS.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J.-B. BOUVIER,

EPISCOPO CENOMANENSI.

UNDECIMA EDITIO,

JUXTA ANIMADVERSIONES A NONNULLIS THEOLOGIS ROMANIS PROPOSITAS EMENDATA.

TOMUS QUARTUS.

DE ORDINE. — DE MATRIMONIO. — DE ACTIBUS HUMANIS. DE CONSCIENTIA.— DE LEGIBUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

NUNC A. JOUBY, SUCCESSOREM,

Facultatis theologiæ bibliopolam,

VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 7.

M DCCC LXI.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS DE ORDINE.

Ordo generatim relationem inter plura significat. Hominibus applicatus, superiores et inferiores relationem inter se habentes designat; quandoque pro classe personarum in aliquo gradu constitutarum sumitur : sic dicitur ordo nobilis, ordo plebeius, ordo senatorius, ordo religiosus et præsertim ordo ecclesiasticus vel clericalis. Denique sumitur pro actu quo aliquis in gradu ecclesiastico constituitur, et eo sensu rectius vocatur ordinatio. De Ordine eo sensu accepto nobis dicendum est. Definitur a S. Th., Suppl. q. 34, art. 2, post Magistrum Sententiarum : *Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*. Ab aliis vero definiri solet : *Sacramentum novæ Legis, quo traditur spiritualis potestas, et confertur gratia ad munia ecclesiastica rite obeunda*; vel generalius, ut definitio cunctis ordinationis gradibus competat, definitur : *Ritus sacer, quo traditur potestas quasdam Ecclesiæ functiones obeundi*.

Cum sacramentum istud per impositionem manuum conferatur, aliquoties dicitur *manuum impositio*, et apud Græcos χειροτονία, *manuum extensio*, et χειροθεσία, *manuum impositio*.

In eo Tractatu dicemus 1° de Sacramenti Ordinis exis-

tentia ; 2° de variis ordinibus speciatim consideratis, ubi de materia et forma singulorum ; 3° de eorum effectibus ; 4° de ministro ; 5° de subjecto et dispositionibus ad Ordines suscipiendos requisitis ; 6° de obligationibus per eos impositis ; 7° de sacra hierarchia.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTI ORDINIS EXISTENTIA.

Existentiam hujus sacramenti negant Lutherani et Calvinistæ aliæque sectæ ex iis ortæ ; solam populi electionem et deputationem necessariam esse volunt ad ministros verbi divini rite constituendos. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Existit in Ecclesia proprie dictum Ordinis sacramentum.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, Patrum testimoniis et præscriptione.

1° *Est de fide.* Ordo enim traditur in Decreto ad Armenos ut verum novæ Legis sacramentum, et in Concil. Trid., sess. 23, can. 3, his verbis definitur : « Si quis di-
» xerit Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere
» et proprie sacramentum a Christo Domino institutum,
» vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a
» viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum
» ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacra-
» mentorum ; anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura.* I Tim. IV, 14 : *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii ;* et II Tim. I, 6 : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Hæc verba de alio sacramento ab Ordine distincto, omnibus fatentibus, intelligi non possunt : atqui tamen ve-

rum exprimunt sacramentum ; in ritu enim quem exprimunt reperitur 1° signum sensibile, videlicet manuum impositio; 2° promissio gratiæ, ut expresse dicitur ; et 3° eo ipso institutio Christi qui solus gratiam tali signo annectere potuit : ergo 2°.

3° *Prob. Patrum testimoniis.* S. Hieronymus, in Dialogo adversus Lucif., probat episcopos hæreticos, cum ad Ecclesiam catholicam redeunt, non magis iterum ordinandos esse quam laicos iterum baptizandos. « Si, inquit, in fide » sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua » sacerdotem constitutum constituens non inquinavit. »

Simili argumento utitur S. Aug. contra Parmenianum Donatistam, l. 2, cap. 13, n. 30 : « Ipsi explicent quo» modo sacramentum baptizati non possit amitti, et sa» cramentum ordinati possit amitti... Si enim utrumque » sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non » amittitur et istud amittitur? Neutri sacramento injuria » facienda est. » Multa alia referri possent testimonia Patrum et conciliorum quæ ejusdem sunt roboris. Ergo 3°.

4° *Prob. præscriptione.* In omnibus enim Ecclesiis orientalibus sicut in Ecclesia Latina, creditur et semper creditum est Ordinem esse sacramentum, ut in toto historiæ ecclesiasticæ decursu clare videtur; nullum institutionis ejus assignari potest vestigium : ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1° : Non legitur Christum Apostolos suos ordinasse. Ergo.

R. Nego conseq. Nam 1° omnia quæ dixit et fecit Christus non scripta sunt, ut testatur B. Joannes, ad calcem Evangelii sui. 2° Christus, ut pote omnipotens, characterem et ordinationis gratiam Apostolis suis absque ritu externo conferre potuisset, et inde male concluderetur eum sacramentum Ordinis pro successoribus illorum non instituisse. Quærendum est igitur, non solum in Evangelio, sed in aliis Novi Testamenti libris et in traditione, an reipsa Christus sacramentum Ordinis instituerit : porro et Scriptura et traditione ostendimus Christum sacramentum Ordinis, etc. Ergo.

Dices 2°: Manuum impositio erat cæremonia ad operanda miracula usitata, ut patet ex his verbis : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt*, Marc. XVI, 18: ergo non probat ordinationem verum esse sacramentum.

R. Dist. conseq. Non probat... seorsim sumpta, *conc.*; cum adjunctis considerata, *nego conseq.* Etenim omnis manuum impositio non est Ordinis sacramentum : id nemo inficiatur : sed ubi dat potestatem munia ecclesiastica obeundi, ut in textibus a nobis allatis, verum est sacramentum. Ergo.

Dices 3°: Gratia quam memorat Apostolus, ad discipulum suum scribens, est gratia gratis data, siquidem addit, *quæ data est tibi per prophetiam;* id est, ad prophetandum. Ergo.

R. Nego ant. Gratia enim quæ est in te, quæ data est tibi, quæ resuscitanda est, est necessario gratia gratum faciens : hæc quippe simpliciter dici non possent de gratia pure externa, v. g., de dono prophetandi quod habuit Balaam. Ergo.

Nihil vetat autem quin Timotheus gratias gratis datas, v. g., donum prophetiæ, simul cum gratia sacramentali Ordinis susceperit.

Cæterum, verba nobis objecta, *quæ data est tibi per prophetiam*, donum prophetiæ non significant, sed adimpletionem quorumdam sermonum quibus prænuntiatum fuerat, sive divinitus, ut probabilius, sive tantum humanitus, Timotheum ad officium episcopatus idoneum esse et sic ordinandum : quæ interpretatio sequentibus ad eumdem Timotheum verbis bene congruit : *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam*, I Tim. I, 18. Ergo.

Si B. Petrus vocet fideles *regale sacerdotium*, I Epist. II, 9, et B. Joannes dicat eos effectos esse *regnum et sacerdotes*, Apoc. I, 6, hæc verba sensu spirituali et figurativo sumenda esse constat e contextu et e sanctis Patribus qui iisdem sæpe usi sunt verbis.

Nota. Concludendum est igitur sacramentum Ordinis

existere in Ecclesia, non vero sequitur singulos ordinationis ritus veri sacramenti rationem habere : hoc expendemus infra.

CAPUT SECUNDUM.

DE VARIIS ORDINIBUS SPECIATIM CONSIDERATIS.

De fide est plures existere ordines in Ecclesia, sacram hierarchiam constituentes, scilicet episcopatum, presbyteratum et saltem diaconatum; quod concil. Trid. sic definiit, sess. 23, can. 6 : « Si quis dixerit in Ecclesia catho-
» lica non esse hierarchiam divina ordinatione institu-
» tam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris ;
» anathema sit. »

Imo de fide est dari etiam ordines majores et ordines minores, ut definit idem concil., can. 2 : « Si quis dixe-
» rit, præter sacerdotium, non esse in Ecclesia catholica
» alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per
» gradus quosdam, in sacerdotium tendatur ; anathema
» sit. »

Septem in ecclesia Latina, ab altissima antiquitate, numerantur ordines, seu ministrorum classes, scilicet ostiarii, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi et presbyteri, ut constat 1° ex epistola S. Cornelii papæ, anno 252, ad Fabianum Antiochenum scripta, in qua varios clericos Romæ existentes in initio schismatis Novatiani numerans, ait esse quadraginta et quatuor presbyteros, septem diaconos, septem subdiaconos, quadraginta et duos acolythos, quinquaginta et duos exorcistas, lectores et ostiarios, Euseb. Hist. l. 1, cap. 43. 2° Ex concil. Carth. IV, anno 398 celebrato, in quo, a canone 3 ad 9 inclusive, septem referuntur ordines et ritus eos conferendi. 4° Ex concilio Trid., sess. 24, cap. 2, dicente : « Non solum de
» sacerdotibus, sed et de diaconis sacræ Litteræ apertam
» mentionem faciunt, et quæ maxime in illorum ordina-

» tione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab » ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque » uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi » scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris et ostiarii, in usu » fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. »

Nihilominus unicum esse Ordinis sacramentum omnes fatentur; quia, ut ait S. Th., in 4 Sentent., dist. 24, q. 2, art. 1 : « Tota plenitudo hujus sacramenti est in uno » ordine, scilicet sacerdotio : sed in illis est quædam par- » ticipatio ordinis, et ideo omnes ordines sunt unum sa- » cramentum. »

Olim psalmistæ seu cantores, et laborantes, id est fossarii, inhumandis corporibus destinati, speciali cæremonia consecrabantur, et inter clericos quandoque annumerabantur, ratione officii ecclesiastici, sicut etiam nunc cantores in officiis Ecclesiæ cum clero gradiuntur, et iisdem vestibus induuntur. Sed nunquam habiti sunt ut clerici, nec cæremonia qua ad officium istud deputabantur, æstimata est ordinatio proprie dicta.

Certum est nunc apud Græcos quatuor tantum numerari ordines, scilicet sacerdotium, sub quo nomine intelligitur etiam episcopatus, diaconatum, subdiaconatum et lectoratum : an olim tres alios minores ordines agnoverint Græci, disputant auctores : negat doctissimus Morinus : affirmat non minus doctus *Scheelstrate*. Controversiam eruditis definiendam relinquimus.

Ordines dividuntur in majores et minores : majores quibus homo irrevocabiliter ministerio altaris consecratur, sunt presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus; minores vero, sic dicti quia eos suscipiens non manet irrevocabiliter Deo consecratus, sunt quatuor aliis inferiores.

Hic non memoramus episcopatum, qui est plenitudo sacerdotii, et de quo infra dicturi sumus.

Cum, e Pontificali, tonsura clericalis omnibus ordinibus præmittenda sit, dicemus 1° de illa, 2° de quatuor minoribus ordinibus, 3° de subdiaconatu, 4° de diaconatu, 5° de sacerdotio, et 6° de episcopatu.

ARTICULUS PRIMUS.

DE TONSURA CLERICALI.

1° Tonsura, a verbo *tondeo*, idem significat ac cæsio, quia capilli cæduntur, et quoniam in formam coronæ cædi vel tonderi debent, tonsura vocatur etiam corona. Dicitur in Pontificali prima tonsura, quia capilli prima vice in forma coronæ tondentur, et frequenter postea tondendi vel radendi erunt, ut corona semper appareat.

2° P. *Martène*, l. 1, cap. 8, art. 7, et plerique theologi affirmant primam tonsuram non esse ordinem, sed ecclesiasticam cæremoniam antiquissimam ordinibus præmittendam. Verum multi canonistæ volunt eam esse ordinem proprie dictum et indelebilem imprimere characterem, vi cujus nunquam iteranda est, etiamsi illicite, modo valide, collata fuisset. Sic Congr. Concilii et Episc. pluries consultæ constanter responderunt, referente *Fagnan*, in part. 2 Decretal., p. 260.

3° P. Morinus contendit et probat (de Ordin. 3ª part., exercit. 15, c. 3) eam per quinque priora sæcula a primo ordine separatam non fuisse, adeo ut nullus fuerit clericus nisi saltem ostiarius : deinde quandoque separabatur, et versus annum septingentesimum ab omni ordine separari cœpit, et hanc fuisse occasionem narratur : parentes filios suos impuberes officiis ecclesiasticis consecrabant et episcopis instituendos offerebant; episcopi eos in eadem domo educandos instruendosque curabant, et solam tonsuram illis cum veste clericali conferebant. Longo post tempore, quod in pueris fiebat, in adultis usurpatum est; sicque tonsura clericalis omnibus, sive adultis, sive pueris, separatim collata est.

4° Dispositiones ad tonsuram requisitas sic Concil. Trid. exprimit, sess. 23, de Reform. cap. 4 : «Prima tonsura » non initientur qui sacramentum Confirmationis non » susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, qui- » que legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis » conjectura non sit eos, non sæcularis judicii fugiendi

» fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ » genus elegisse. »

5° Constat apud omnes Confirmationem primæ tonsuræ præmittendam esse, saltem sub veniali : plures aiunt sub mortali, sed communius docetur hanc omissionem culpam venialem non excedere, et eo sensu mandatum concilii Trid. intelligendum esse : vide S. Ligorium, l. 6, n. 183.

6° Qui ad primam tonsuram se præparant, tenentur habere animum clericandi, id est, vitam clericalem ducendi; alioquin concilii Trid. mandato contrairent, et ubi solemniter profitentur, ante Pontificem, se Deum habituros suam portionem et hæreditatem, ipsi mentirentur. Qui ergo prudenter judicare non possunt se ad statum clericalem vocatos esse, tonsuram tuta conscientia suscipere nequeunt.

7° Prima tonsura initiati, habitum clericalem et tonsuram deferre tenentur, ut fusius infra dicemus.

8° Pluribus olim gaudebant privilegiis, videlicet 1° privilegio fori, quo a jurisdictione sæculari eximebantur, et solis judicibus ecclesiasticis pro actibus suis erant subjecti; 2° privilegio immunitatis a tributis; 3° privilegio canonis, quo scilicet percutientes clericum excommunicatione majori ipso facto innodantur, et 4° privilegio seu facultate beneficia ecclesiastica obtinendi ac possidendi. Solum nunc, saltem apud nos, remanet privilegium canonis, de quo alibi disseremus, nempe in Tractatu *de Censuris*.

Notandum vocem *cleri*, a qua venit *clericus*, idem significare ac vox græca κλῆρος, id est *sors*, quia clerus (*clergé*) est sors Domini, sicut olim tribus Levi; vel quia Dominus est sors et portio cleri, ut profitentur clerici tonsuram suscipiendo, dicentes : *Dominus pars hæreditatis meæ*, etc.

Quæritur an tonsura monachalis suppleat tonsuram clericalem, ita ut monachus in clerum admittendus, nova non indigeat tonsura.

R. negative. Licet enim religiosi professi, aliquo sensu sint de foro ecclesiastico, non tamen vere clerici, nisi ac-

ceperint tonsuram ab abbate pontificalibus gaudente, et juxta ritum in Pontificali præscriptum. Sic anno 1846 tres responderunt doctores Romani hac de re ex parte nostra consulti. Vide *Martène*, de Antiq. Monach. ritibus, t. IV, p. 683; *Calmet, Commentaire sur la règle de S. Benoît*, t. I, p. 122 et 123.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE QUATUOR MINORIBUS ORDINIBUS.

In duplici paragrapho dicemus 1° de minoribus ordinibus in genere, et 2° de minoribus ordinibus separatim.

§ I. — De minoribus ordinibus in genere.

Prima occurrens quæstio est an minores ordines vera sint sacramenta: affirmant S. Th., S. Bonaventura, P. *Soto*, Melchior Canus, Bellarminus, *Valentia, Hallier, Cabassut, Billuart* qui dicit hanc sententiam esse communiorem et probabiliorem, etc.

Negant vero Magister Sententiarum, P. *Goar*, Morinus, *Juénin, Tournely, Witasse, Habert, L'Herminier, Collet*, etc.

Tota difficultas est, ut notat Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 8, cap. 9, n. 6, an illi ordines a Christo fuerint instituti, an vero ab Ecclesia : si prius, vera esse possunt sacramenta; si posterius, rationem veri sacramenti non habent.

Qui priorem tuentur sententiam, hac præcipue nituntur ratione, scilicet regula S. Aug., *Quod universa tenet Ecclesia*, etc.; semper enim et ubique, saltem in Ecclesia Latina, exstiterunt ordines minores, nec reperimus eos conciliis institutos : ergo non nisi Apostolica auctoritate traditos rectissime credimus, ac proinde merito concluditur eos esse sacramenta, seu rationem veri sacramenti habere.

Posterioris opinionis defensores dicunt : 1° non constare minores ordines, licet antiquissimos, ab Apostolis descendere. 2° Etsi ab Apostolis descenderent, non ideo cer-

tum esset eos a Christo fuisse institutos. 3° Etiamsi concederetur eos a Christo fuisse institutos, non adhuc constaret illos rationem sacramenti habere, quia velut cæremoniæ, sicut lotio pedum, institui potuissent; etenim in ritu eos conferendi, nihil gratiæ productionem clare ostendit : manus non imponuntur, Spiritus sanctus non promittitur, non annuntiatur. Ergo.

In hac igitur difficillima controversia manere debemus dubii, quamvis posterior sententia probabilior nobis videatur. Unde concludendum est, 1° ordinandum ad hos ordines cum peccato mortali accedentem, mortaliter peccare, non solum quia divinæ Eucharistiæ sacramentum suscepturus est, ut fit ordinarie, sed etiam quia periculo sacramentum vivorum indigne recipiendi se exponit.

2° Cum minores ordines sint gradus quibus ad majores ascendendum est, nullus ad eos admitti potest, nisi spes fundata affulgeat quod majoribus futurus sit idoneus.

3° In primis Ecclesiæ sæculis, quicumque in minoribus ordinibus erant constituti, functiones ordinis sui proprias singulis diebus dominicis aut festivis exercebant, sicut diaconi et subdiaconi. Decursu temporum mos ille obsolevit. Concilium Trid., sess. 23, de Reform. cap. 17, hortatur prælatos et illis præcipit, ut, quantum commode fieri possit, hujusmodi functiones curent restituendas; sed illud decretum nullum ferme obtinuit effectum, ita ut officia minoribus ordinibus olim propria, nunc a presbyteris, a diaconis, a subdiaconis, a simplicibus clericis vel etiam a laicis exerceantur.

§ II. — De minoribus ordinibus in specie.

Quatuor minores ordines numerantur, ut diximus, et in Pontificali vocantur officium ostiariorum, officium lectorum, officium exorcistarum et officium acolythorum.

De Ostiariis.

Ostiarii erat januas ecclesiæ aperire et claudere, indignos ab illa arcere, videlicet ethnicos, excommunicatos, interdictos, energumenos, flagitiosos et publice pœniten-

tes; vestes sacras, fidelium deposita et omnem ecclesiæ supellectilem custodire : ideo ad conferendum hunc ordinem pontifex tradit omnibus claves ecclesiæ, quas successive manu dextra tangunt, dicendo : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur.* Concil. Carth. IV, can. 9.

Statim archidiaconus ducit eos ad portam ecclesiæ, ut functiones ordinis sui incipientes, eam claudant et aperiant : his etiam tradit campanulam quam leviter pulsare debent. Hæc circumstantia in concilio Cart. IV non reperitur, et ultra septingentos annos non ascendit; *Conf. d'Angers*, 1 part. : etenim campanæ ante octavum sæculum non fuerunt in usu : alio igitur signo fideles ad ecclesiam vocabantur.

Illa ostiariorum officia nunc laicis fere ubique committuntur; laici autem sic dicuntur a verbo græco λαός, *populus.*

De Lectoribus.

Lectorem enim oportebat legere ea quæ episcopus erat explicaturus, lectiones in officio publico cantare, panem et fructus novos benedicere, catechismum pueros et catechumenos docere; nunc benedictiones panis et fructuum novorum sacerdotibus reservantur.

Lectiones a simplicibus clericis et etiam a laicis cantantur; omnes clerici, in quocumque gradu constituantur, a parocho committi possunt ad legendum in ecclesia et ad catechizandum, quamvis id frequenter non expediat. Ita fert usus ubique receptus.

Sic episcopus nunc confert ordinem : tradit ordinandis codicem de quo lecturi sunt, dicens : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.* Concil. Carth. IV, can. 8, et Pontif.

De Exorcistis.

Exorcismus est solemnis adjuratio juxta formam ab Ecclesia institutam, contra dæmones. Tripliciter Ecclesia

adhibet exorcismos; scilicet, 1° circa corpora a dæmone obsessa; 2° circa animas per peccatum, præsertim originale, dæmonis imperio subjectas; 3° circa res inanimatas quibus dæmones ad nocendum hominibus uti possunt.

Exorcistarum ministerium est 1° dæmones a baptizatorum et catechumenorum corporibus, nominis Dei invocatione, manuum impositione et exorcismis ab Ecclesia approbatis expellere; 2° ea quæ ad benedicendam aquam lustralem necessaria sunt præparare; 3° episcopo vel sacerdoti exorcismos agenti assistere; 4° sacerdotem, dum populum aqua benedicta aspergit, comitari, vasculum aqua plenum præferens.

Omnes exorcismi solis nunc reservantur sacerdotibus. Qui autem sunt primi generis fieri vel exerceri non possunt, sine speciali licentia episcopi, propter abusus hinc facile orituros, si nempe naturales infirmitates pro diabolicis operationibus æstimarentur, atque cæremoniæ Ecclesiæ incredulorum ludibrio exponerentur.

Ordo exorcistarum sic confertur : pontifex tradit omnibus librum in quo scripti sunt exorcismi, vel Pontificale aut Missale, dicens : *Accipite et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Concil. Carth. IV, can. 7.

De Acolythis.

Acolythus, juxta vim nominis græci, idem est ac famulus et pedisequus. Ipsius officium est diaconum et subdiaconum inter missarum solemnia comitari, iisque servire : debent insuper acolythi cereos accendere, eos intra officium deferre, vinum et aquam ad ministerium præparare. Proximius igitur ad divinorum mysteriorum celebrationem concurrunt, ideoque ordo eorum cæteris ordinibus minoribus excellentior est.

Sic confertur : Episcopus tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, et dicit : *Accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.*

Similiter tradit eis urceolum vacuum dicens : *Accipite*

urcolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. Conc. Carth. IV, can. 6.

Confertur per candelabri cum cereo et urceoli vacui traditionem, cum prolatione ab episcopo verborum in concilio Carth. VI, can. 6, et in Pontificali expressorum.

COROLLARIUM.

Ergo materia quatuor minorum ordinum, prout apud Latinos conferuntur, est porrectio instrumentorum quæ memoravimus; alia enim, in ritu usitato, assignari non potest. Apud Græcos vero in collatione lectoratus, qui solus agnoscitur, manus imponuntur et nullum præbetur instrumentum.

Disputant theologi circa instrumentorum tactum, requirentes an physicus esse debeat, vel an moralis sufficiat. Plures affirmant contactum moralem, in eo consistentem ut ordinandus aliquo signo manifestet se instrumentum oblatum acceptare, sufficere; nam, in rebus humanis, qui aliquo sensibili signo manifestat se rem sibi porrectam acceptare, eam revera valide acceptat sine physico contactu. Alii vero communius contactum physicum requirunt, quia eum tangendi modum supponere videntur verba formæ *Accipe* vel *Accipite*, etc. Qui tamen duabus clavibus præsentatis, unam solummodo tangeret, turbari non deberet.

Forma autem istorum ordinum sunt verba quæ episcopus porrigendo instrumenta pronuntiat.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SUBDIACONATU.

Subdiaconus, græce υποδιάκονος, sic vocatur, quia diacono est inferior illique in ministerio altaris servire debet.

1° Certum est hunc ordinem, antiquissimum quidem et in primis Ecclesiæ temporibus sæpe memoratum, diu apud Latinos inter minores ordines computatum fuisse; quoties enim veteres de sacris ordinibus loquuntur, presbyteratum et diaconatum numerant; de subdiaconatu

vero silent. Urbanus II in concilio Beneventino, cui anno 1091 præfuit, ait : « Nullus in episcopum eligatur, nisi » qui sacris ordinibus religiose vivens inventus est : sa- » cros autem ordines dicimus diaconatum et presbytera- » tum ; » *Labbe*, t. 10. Ergo tunc subdiaconatus nondum erat ordo sacer. Petrus Cantor, anno 1197 defunctus, a doctissimo Menardo nota 724 in Sacramentarium S. Greg. citatus, hæc habet : « De novo institutum est subdiaco- » natum esse sacrum ordinem. » Communiter tenetur illum ab Innocentio III, in fine duodecimi sæculi, cathedram B. Petri occupante, ad dignitatem ordinis sacri elevatum fuisse, quod vetus Pontificale Parisiense expresse testatur his verbis : *Subdiaconatus ex institutione Innocentii III est ordo sacer.*

2° Qui opinantur minores ordines esse sacramenta, contendunt subdiaconatum rationem veri sacramenti habere, atque gratiam sanctificantem ex opere operato producere. Inter eos qui dignitatem sacramenti minoribus ordinibus detrahunt, quidam subdiaconatum ad sacramentum Ordinis pertinere arbitrantur, ut *Medina, Vasquez,* Navarrus et card. Bona. Cæteri vero eum non magis sacramentum esse quam minores ordines contendunt, iisdemque nituntur rationibus supra expositis : etenim nulla fit mentio subdiaconatus in libris sacris; nulla definitio Ecclesiæ eum velut sacramentum exhibet ; per multa sæcula inter minores ordines reputatus est; in illius ritu apud Latinos usitato nihil gratiæ productionem et Spiritus sancti infusionem denotat : ergo saltem valde probabile est illum reipsa sacramentum non esse.

3° Materia subdiaconatus est porrectio calicis vacui cum patena superposita, quæ ab ordinando simul tangi debent; sic enim statuitur in concilio Carthaginensi IV, can. 5, et sic expresse habet Eugenius IV, in Decreto ad Armenos : « Subdiaconatus confertur per calicis vacui » cum patena vacua superposita traditionem. » Probabilius videtur necessarium esse ut hæc vasa sint consecrata; quia ministerium subdiaconi totum est circa vasa ecclesiastica, ac proinde consecrata. S. Ligorius, l. 6, n. 747.

Forma autem sunt verba quæ episcopus simul pronuntiat, dicens : *Videte cujus ministerium vobis traditur : ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis :* et forte, ut quidam volunt, oratio quæ in Pontificali sequitur.

4° Ordinandi postea simul tangere debent, præsentante archidiacono, urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio : sed ille contactus, licet in canone 5 concilii Carth. IV præscriptus, ad materiam hujus ordinis essentialem non pertinet, 1° quia hæc instrumenta ab episcopo non exhibentur, 2° quia nulla proferuntur verba.

5° Quidam voluerunt porrectionem libri Epistolarum et verba ei correspondentia de essentia subdiaconatus esse, sed immerito; hæc enim circumstantia in collatione istius ordinis nunc usitata, olim erat inaudita, et vix a quadringentis annis existit.

6° *A fortiori*, impositio singularum vestium, nempe amicti, manipuli et tunicæ, non habenda est ut essentialis, sed ut mere cæremonialis, nec etiam est antiqua. P. *Martène* ostendit, t. II, eam ultra quingentos annos non ascendere.

7° Apud Græcos subdiaconatus per manuum impositionem cum prolatione quorumdam verborum confertur, et alia non assignatur materia aut forma. Hinc gravis deducitur ratio concludendi hunc ordinem rationem veri sacramenti non habere, quia ejus materia et forma eædem esse deberent, saltem quoad substantiam, apud Græcos et Latinos.

8° Subdiaconorum officia sunt : 1° diacono in altaris ministerio ministrare ; 2° vinum, panem, lintea et cætera ad sacrificium necessaria præparare ; 3° epistolam in missa solemni cantare ; 4° aquam in calicem fundere ; 5° ab Offertorio usque ad finem Orationis dominicæ patenam elevatam tenere ; 6° calicem purificare et cooperire ; 7° pacem ab altari in chorum deferre ; 8° crucem in processionibus portare ; 9° corporalia, pallas et purificatoria lavare.

9° Per plurima sæcula subdiaconus diacono quidem serviebat, sicut hodie, sed ad altare non ascendebat, nec appropinquabat, nec oblationes fidelium in illud ponebat,

eas vero diacono remittebat, nec epistolam cantabat, et etiamnum hæc apud Græcos non facit.

ARTICULUS QUARTUS.

DE DIACONATU.

Diaconi vocabulum, a verbo græco διακονειν, *ministrare*, idem significat ac minister, quia proprium munus ejus est episcopo et sacerdoti solemniter celebranti servire : ideo dicitur etiam levita, quia diaconi in nova Lege locum levitarum antiquæ Legis tenent. Tria hic nobis inquirenda sunt, 1° an diaconatus sit sacramentum, 2° quæ sit ejus materia et forma, et 3° quæ illius officia.

§ I. — An diaconatus sit sacramentum.

Non est certum de fide diaconatum esse veri nominis sacramentum, « quia, inquit Bellarminus, de sacramento » Ordinis, cap. 6, non potest id evidenter deduci ex verbo » Dei, scripto vel tradito, neque exstat ulla Ecclesiæ de » hac re expressa determinatio. Negaverunt Durandus, Cajetanus et *Maldonat*, et nunquam fuerunt damnati.

Communissima tamen est contraria aliorum theologorum sententia, hisque præcipue rationibus fundata : 1° ex Act. VI, 6, Apostoli primos ordinaverunt diaconos manus eis imponentes et orantes, ut illos in ministerio sacro sibi adjungerent : porro in hoc ritu reperiuntur conditiones verum sacramentum constituentes, scilicet signum sensibile, in manuum impositione; institutio Christi, quia omnino incredibile est Apostolos sibi adjunxisse ministros secundarios eosque sic solemniter ordinasse, nisi mandatum Christi habuissent; et tandem gratiæ productio, quæ manuum impositione atque oratione donatur. 2° Concil. Trid., sess. 23, can. 2, anathemate percutit eos qui negaverint « in Ecclesia catholica esse hierarchiam, » divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris. » Per ministros intelligendi sunt saltem diaconi : porro hi ministri ordinatione divina ad sacram hierarchiam pertinent; quomodo autem ad sacram

hierarchiam divina ordinatione pertinerent, si verum non susciperent sacramentum? Ergo. 3° Idem concil. definit, can. 4 ejusdem sess., Spiritum sanctum per sacram ordinationem dari, et episcopos frustra non dicere : *Accipe Spiritum sanctum* : at episcopi in collatione diaconatus dicunt : *Accipe Spiritum sanctum:* ergo. 4° Constanti traditione diaconatus habitus est, apud Græcos et Latinos, ut ordo sacer ab Apostolis descendens, imo et ab ipsis clare usitatus : ergo a Christo institutus, et rationem sacramenti habens merito reputatur. 5° Denique sic universim sentiunt theologi. Ergo.

Neque objiciatur motivum cur B. Petrus proposuerit ut septem constituerentur diaconi, fuisse curam viduarum atque ministerium profanum, Act. VI, 1 et 2 : nam ministerium istud aliud sublimius non excludebat ministerium, ut patet 1° exemplo B. Stephani, qui mysteria fidei Judæis ita prædicabat, *ut non possent resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur,* Act. VI, 10 ; et Philippi diaconi, *qui, descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum,* ibid. VIII, 5, nec non credentibus Samaritanis Baptismum administravit ; 2° multis etiam primorum temporum factis, quibus constat diaconos sacerdoti et episcopo celebranti serviisse, Eucharistiam distribuisse, etc. Ergo.

§ II. — Quæ sit materia et forma diaconatus.

1° Tria tantum assignari possunt ut materia hujus sacramenti, videlicet impositio manus, stolæ et dalmaticæ traditio, vel libri Evangeliorum porrectio.

2° Certum est stolæ et dalmaticæ traditionem haberi non posse ut materiam diaconatus essentialem ; nam 1° in Actibus Apostolorum et in antiquissimis monumentis nulla fit mentio, neque stolæ, neque dalmaticæ. 2° Dalmaticæ impositio locum non habet apud Græcos, et a quingentis annis tantum fieri solet apud Latinos. 3° In verbis quæ episcopus has vestes præbendo pronuntiat, nihil potestatem, ministerium aliquod aut gratiæ productionem indicat. Ergo.

3° Plures volunt solam libri Evangeliorum traditionem

esse materiam hujus sacramenti essentialem : sic S. Th., qui Suppl., q. 37, art. 5, ad 5um, ait : *In ipsa libri datione imprimitur character;* et post ipsum, *Bonacina, Vasquez,* etc. Præcipue nituntur 1° auctoritate S. Doctoris, et 2° auctoritate concilii Florent. quod, in Decreto ad Armenos, hæc habet : *Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem* confertur.

4° Multo plures contendunt impositionem manuum totalem esse istius sacramenti materiam, et sequentibus fulciuntur momentis. 1° In Actibus Apostolorum, ubi de ordinandis primis diaconis agitur, sola manuum impositio memoratur. 2° In religionis christianæ initio, liber Evangeliorum nondum existebat : ergo contactus ejus materia diaconatus esse non poterat. 3° Concil. Carthag. IV, can. 4, sic habet : « Diaconus cum ordinatur, » solus episcopus, qui eum benedicit, manum super ca- » put illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad minis- » terium consecratur : » sola igitur manus impositio ut materia totalis assignatur. 4° Materia sacramenti eadem esse debet, saltem quoad substantiam, apud Græcos et Latinos : porro Græci sola manuum impositione semper usi sunt et adhuc utuntur. Ergo 4°.

Ad auctoritatem Decreti ad Armenos, respondent Eugenium IV non intendisse essentiam ordinationis assignare, sed tradere ritum in Ecclesia Romana receptum, ut Armeni illum deinceps non omitterent; de manuum impositione non loqui, quia sciebat eam ab ipsis non omitti. Et revera, concilium Florent., cui præfuit idem Pontifex, ordinationem Græcorum sola manuum impositione collatam approbavit. Ergo S. Thom. suam emittit opinionem nullis testimoniis Patrum innixam, et in hoc, sicut in pluribus aliis punctis, deseritur.

5° Alii vero plures duplicem admittunt hujus sacramenti materiam, videlicet, manuum impositionem a Christo determinatam, et libri Evangeliorum porrectionem ab Ecclesia ex potestate a Christo sibi tradita assignatam, contenduntque hoc solum systema omnibus difficultatibus plene satisfacere. Verum hæc sententia doc-

trinæ, quam in Tractatu *de Sacramentis*, agendo de institutore Sacramentorum, tuiti sumus, minus congruit.

6° Alia singularis prodiit opinio P. *Hardouin*, qui, in dissertatione de Successione episcoporum Anglicanorum, contra P. *Le Courrayer*, excogitavit Christum duplicem instituisse materiam ordinationis, unam pro Ecclesia occidentali, nempe instrumentorum porrectionem, quam B. Petro tradidit, et alteram pro Ecclesia orientali, scilicet, manuum impositionem, quam B. Paulo commisit. Illud vero systema, omnino novum, nullo Scripturæ aut traditionis fundamento innititur; e contra, plurima monumenta ex quibus requiritur impositio manuum in Ecclesia occidentali prodiere; ergo procul rejiciendum est.

7° Secunda sententia probabilior nobis videtur, et tamen cum in administratione sacramentorum pars tutior sit eligenda, libri Evangeliorum porrectio nunquam omitti debet, et omissa supplenda foret, manuum impositionem non iterando.

8° Similiter iteranda non esset ordinatio sine manuum impositione facta, sed tantum supplendum quod omissum fuisset. Decretal. l. 1, tit. 16, cap. 3, in quo legitur : « Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) » recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus » iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines » conferendos, caute supplendum est quod per errorem » exstitit prætermissum. »

9° In opinione eorum qui manus impositionem ut materiam diaconatus essentialem habent, forma sunt hæc episcopi verba : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus :* vel probabilius oratio immediate sequens, *Emitte in eos*, etc., quam episcopus pronuntiat, manum dexteram super omnes ordinandos extensam tenens ; nam 1° verba *Accipe Spiritum sanctum*, non reperiuntur in Euchologiis Græcorum neque in Pontificalibus latinis quingentis annis antiquioribus, ut ostendit P. *Martène*, t. II, neque in operibus Patrum, neque apud Hugonem a S. Victore et Magistrum

Sententiarum, qui de sacramentis tractaverunt. 2° Oratio *Emitte in eos,* in antiquis codicibus *consecratio diaconi* inscribitur, et universalis est, dum verba, *Accipe Spiritum sanctum*, non solum recentiora sunt, sed cum dicta oratione, in qua Spiritus invocatur, concordare non videntur : ergo probabiliter decursu temporum apud Latinos fuerunt addita, ut effectum ordinationis clarius significarent. Non tamen omitti debent.

10° In sententia eorum qui libri Evangeliorum traditionem reputant necessariam, verba *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei,* etc., ad formam essentialem pertinent.

§ III. — De diaconorum officiis.

In primis Ecclesiæ sæculis, diaconi episcopum semper comitabantur in itineribus, in conciliis; ei in ordinationibus et in aliorum sacramentorum administratione assistebant, eidem vel sacerdoti solemniter celebranti serviebant. Unde S. Laurentius S. Sixtum ad martyrium properantem sic alloquebatur, teste S. Ambros. de Officiis, l. 1, cap. 41 : « Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas ? Nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. »

Ex Pontificali Romano, diaconi tria in ordinatione sua suscipiunt officia, his verbis expressa : *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare.*

1° *Ministrare ad altare*, non vero offerre : unde episcopus in sua allocutione eos vocat *comministros et cooperatores corporis et sanguinis Domini.* Diaconus igitur cantat Evangelium, panem et vinum celebranti offert, calicem cooperit et discooperit ; corpus Christi immediate non tangit, sed corpus et sanguinem in vasis contenta deferre potest. Sacram Eucharistiam olim distribuebat, ut patet ex Apologia S. Justini, I, n. 65 ; S. Cyp., lib. de Lapsis. Concil. Carthag. IV, can. 38, prohibuit ne diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo præberet, nisi in necessitate et jussus : multo tempore hoc munus non exercent, nec ad illud delegantur.

2° *Baptizare :* de hac potestate in Tractatu *de Baptismo* sufficienter diximus.

3° *Prædicare* : S. Stephanus et S. Philippus, diaconi, Evangelium populo annuntiabant; multis exemplis probatur diaconos in posterum prædicavisse, etiam nunc prædicare posse, sed tantum ex delegatione saltem parochi : in diœcesi nostra licentia episcopi vel vicarii ejus generalis prærequiritur.

Diaconis olim committebatur cura visitandi pœnitentes, eosque in periculo mortis constitutos ab excommunicatione absolvendi et reconciliandi, deficiente sacerdote.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PRESBYTERATU.

Presbyter, græce πρεσβυς, idem etymologice significat ac senior, et presbyterorum cœtus vocatur senatus vel presbyterium : ministri quippe altaris seniores esse debent, sin ætate, saltem morum gravitate et probata sapientia. Dicuntur etiam *sacerdotes,* tum quia sacrificare debent et quascumque res sacras pertractare; tum quia ipsi, vi ordinationis, sunt sacri : unde status eorum merito designatur per *sacerdotium.*

Sacramentum Ordinis simpliciter dictum est, juxta omnes, sacerdotium, quia, velut genus, omnes alios ordines sub se continet tanquam gradus. Quicumque ergo sacramenti Ordinis existentiam admittunt, hanc dignitatem sacerdotio non denegant : nulla proinde est necessitas nec utilitas hanc probandi veritatem; sed in duplici paragrapho dicendum est tantum 1° de materia et forma presbyteratus, et 2° de ejus officiis.

§ I. — De materia et forma presbyteratus.

1° Nemo arbitratur stolæ accommodationem, et casulæ traditionem ad essentiam sacerdotii pertinere : tria igitur tantum ut materia hujus sacramenti exhiberi possunt, scilicet manuum impositio, olei sancti inunctio, et calicis cum vino et aqua, patena superposita, traditio.

2° Fere apud omnes constat manuum impositionem essentialem esse, et probatur 1° ex Scriptura sacra, nempe ex agendi ratione Apostolorum, qui *cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus*, Act. XIV, 22 (in textu græco manuum impositio exprimitur); et ex Epist. B. Pauli, I Tim. V, 22 : *Manus cito nemini imposueris* : quæ verba de ordinatione presbyterorum præcipue intelligunt interpretes et SS. Patres. 2° Ex concilio Carth. IV, can. 3, in quo legitur : « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manus episcopi super caput illius teneant. » 3° Ex constanti traditione utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quæ manuum impositionem semper reputavit essentialem. Ergo. *Ita communissime theologi*, contra *Fagnan* et nonnullos alios, qui docuerunt solam instrumentorum porrectionem essentialem esse.

3° Triplex autem est manuum impositio : in prima episcopus utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive imponit, nihil dicens : omnes presbyteri præsentes stola induti similiter faciunt. Postea tam pontifex quam sacerdotes tenent manus dexteras super ordinandos extensas, solo orante episcopo. Deinde, post communionem, episcopus ambas manus super caput singulorum imponit, cuilibet dicens : *Accipe Spiritum sanctum ; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.*

4° Certum est primam impositionem, cui nulla respondet forma, essentiam sacramenti non constituere ; nec circumstantiam presbyterorum manus cum episcopo imponentium necessariam esse, quamvis antiquissima sit cæremonia non omittenda. *Ita omnes.* Probabilius videtur manus, in ea impositione, juxta Rubricæ sensum, capitibus ordinandorum physice applicandas esse : sic evidenter supponit Collator Andeg., *de l'Ordre*, t. I : verum nullus de omissione hujus contactus turbari debet, cum prima hæc impositio ad essentiam sacramenti non pertineat.

5° Communiter etiam tenetur tertiam impositionem essentialem non esse; 1° quia non fuit in usu apud Latinos per duodecim priora sæcula, ut ostendit P. *Martène*, t. II; 2° quia eam nunquam adhibuerunt Græci; 3° quia sacerdotium jam valide est collatum; siquidem novi sacerdotes missæ sacrificium simul cum episcopo celebraverunt, et in Pontificali non dicuntur ordinandi, sed ordinati : ergo hæc impositio est cæremonia quæ ad significandum ordinis effectum suscepti destinatur. *Sic generaliter theologi.*

6° Restat igitur secunda impositio, quæ, ut notat P. *Martène*, non est proprie secunda, sed prima continuata, cui forma adjicitur, nimirum orationes immediate sequentes, et præsertim tertia quæ per modum præfationis cantatur vel recitatur, et quæ in antiquis Ritualibus *consecratio* dicebatur.

7° Unctio sacra, quam, uno aut altero excepto, inquit P. *Martène*, antiqui et recentes libri rituales præscribunt, ex omnium confesso, ad essentiam sacramenti non pertinet, nec apud Græcos existit. Olim ex chrismate, vel ex oleo et chrismate fiebat, nunc autem ex oleo catechumenorum fieri debet, et solum manus in modum crucis unguntur; olim in quibusdam ecclesiis, præsertim in Anglia, etiam caput ungebatur. Licet manuum unctio essentialis non sit, non tamen omittenda est, et omissa, ante quemlibet sacerdotii actum suppleri debet. Sic S. Ligorius, l. 6, n. 768, et multi alii.

8° Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, de sacramento Ordinis loquens, ait : « Cujus materia est illud per cujus » traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus tradi» tur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrec» tionem. » Pauci quidam, his verbis innixi, solam hujusmodi instrumentorum porrectionem totalem presbyteratus esse materiam arbitrantur, et manuum impositionem habent tantum ut cæremoniam : alii vero plures utramque essentialem esse contendunt, et alii multo numerosiores docent, non obstantibus verbis Eugenii IV, instrumentorum porrectionem ad essentiam ordinis non

pertinere : hic omnes redeunt rationes superius expositæ, ubi de materia diaconatus. Hujus namque porrectionis instrumentorum nulla fit mentio, neque in Scriptura sacra, neque in SS. Patrum operibus, neque in conciliis duodecim priorum sæculorum, neque in ullis, sive antiquis, sive recentioribus euchologiis Græcorum : et Hugo a S. Victore, de Sacramentis, l. 2, part. 3, cap. 12, de presbyterorum ordinatione agens, dicit : « Accipiunt calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi. » Idem habet Magister Sententiarum, l. 4, dist. 24, eodem sæculo duodecimo scribens. Ergo.

Tertia hæc sententia probabilior nobis videtur. Ad auctoritatem Eugenii IV eodem modo respondetur ac supra.

9° Cavendum tamen ne ulla circumstantia hic in Pontificali præscripta omittatur, et curandum ut omissa reparetur. Igitur præsentandus est calix cum vino et aqua, et patena superposita cum hostia : quilibet ordinandus cuppam calicis simul cum patena et hostia tangere debet, episcopo dicente : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

S. Ligorius docet, l. 6, n. 751, eum qui tetigisset hostiam et non patenam, licet probabilissime valide ordinatum, ad plenam securitatem sub conditione ordinandum esse; item qui tetigisset calicem et non patenam; non vero qui calicem et patenam tetigisset, et non hostiam. In his diversis casibus communiter judicatur ordinationem esse validam, quia contactus censetur fuisse realis, licet non physicus sub omni respectu.

S. Rit. Congr. respondit, 3 decemb. 1661, sacerdotem, cui exoritur dubium an in ordinatione tetigerit physice calicem, celebrationem continuare posse. Iteratio igitur non adhibenda est ad securitatem, nisi constet tactum realem non exstitisse.

10° Non necesse est ut calix sit consecratus, quia præcipuus sacerdotii effectus, scilicet, potestas sacrificium

missæ offerendi, per species panis et vini in vasis non consecratis contentas, nihilominus clare significaretur, et vasorum consecratio nullibi ut ad presbyterorum ordinationem necessaria exhibetur.

§ II. — De presbyteratus officiis.

Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare, inquit episcopus ordinandos commonens : quinque igitur sunt præcipua sacerdotii officia, de quibus pauca seorsim dicemus.

1° *Offerre.* Hoc est primarium sacerdotis officium, ex quo reliqua pendent; sacerdotium quippe et sacrificium ita conjuncta sunt, ut unum sine altero concipi non possit. Unde B. Paulus, de ipso Christo sacerdote loquens, ait, Hebr. VIII, 3 : *Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur : unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat.* De excellentia sacri hujusce ministerii et de dispositionibus ad illud digne obeundum requisitis alibi disseritur, nempe in Tractatu *de Sacrificio missæ.*

2° *Benedicere.* Hic non agitur de benedictionibus privato nomine factis, quibus aliquis, præsertim si quadam auctoritate polleat, signo crucis vel aliter fausta apprecatur, v. g., pater aut mater filiis, vir religiosus laico, etc. De iis tantum agitur benedictionibus, quæ auctoritate Ecclesiæ juxta formam ab ea præscriptam fiunt. Variæ sunt : modo enim benedicuntur personæ plus minusve solemniter, modo quædam materiæ, ut pietatis instrumenta, modo objecta cultui divino destinata.

Munus benedicendi personas et quæcumque in usum earum veniunt, sacerdotio semper annexum est : Melchisedech benedixit Abrahæ a cæde Chodorlahomor regredienti : *Erat enim sacerdos Dei altissimi,* Gen. XIV, 18 : sacerdotes veteris Legis personis similiter benedicendi jus habebant : *Sic benedicetis filiis Israel,* inquit Deus, *et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te,* Num. VI, 23, 24; ibid. 27, promittit se benedictiones eorum confirmaturum : *Et ego benedicam eis.* A fortiori idem munus sacerdotibus legis Evangelicæ competere debet :

ideo manus eorum unctione sacra consecrantur, *ut quæcumque benedixerint benedicantur, et quæcumque consecraverint consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini Jesu Christi*. (Pontif.) Quædam benedictiones jure ecclesiastico episcopis reservantur, aliæ pastoribus secundi ordinis, et aliæ omnibus presbyteris permittuntur, *ut in Rituali ostenditur*.

Sicut vasa Deo consecrata usibus profanis adhibere sacrilegium est, ita et manus sacerdotis benedictas et sanctificatas.

3° *Præesse*. Non enim ad ministrandum ordinantur sacerdotes, sicut diaconi, sed ad regendum populum et inferiores clericos curæ suæ commissos, sub disciplina episcopi : per septuaginta viros prudentes in adjutorium Moysis electos, et per septuaginta duos Domini discipulos, quos ante se binos præmisit, figurati sunt, ut ait episcopus eos ordinando. Ex hac præsidis vel rectoris dignitate fluunt omnia pastoris officia, de quibus fusius dicendi hic non est locus.

4° *Prædicare*. Ad rectoris munus essentialiter attinet prædicandi officium : quid enim agere debet rector animarum ? Eas verbo Dei pascere, a vitiis retrahere, ad virtutes christianas impellere, Spiritus sancti lumine et gratia imbuere, eas denique sanctificare et salvare : hæc autem sine verbi divini prædicatione sæpe et sub omni forma repetita obtinere non potest : ergo. Non omnes tamen qui sacerdotii charactere decorati sunt, eo ipso prædicandi officio detinentur, sed tantum ii qui curam animarum habent, ex officio vel e delegatione.

5° *Baptizare*. De hoc sacerdotii munere sufficienter diximus in Tractatu *de Baptismo*.

ARTICULUS SEXTUS.

DE EPISCOPATU.

Episcopus, juxta vim nominis græci, est inspector vel superintendens aut præpositus, eo sensu vox græca sumitur apud auctores sacros et profanos, v. g., I Machab. I,

53 : *Et præposuit principes populo*, græce *episcopos super omnem populum constituit*. Mos apud Christianos invaluit ut vox illa summos novæ Legis sacerdotes regendo populo christiano præpositos designaret, qui etiam olim dicebantur presbyteri et seniores.

Episcopatus igitur recte definiri potest : *Ordo supremus quo datur presbytero potestas ordinandi, confirmandi, de fide judicandi*, et ecclesiam sibi commissam regendi. Nunc examinandum est 1° an hujusmodi ordo existat, seu an episcopatus sit sacramentum a presbyteratu distinctum ; 2° quæ sit materia ejus et forma ; 3° an episcopi jure divino presbyteris sint superiores.

§ I. — An episcopatus sit sacramentum a presbyteratu distinctum.

Veteres theologi, ut Hugo a S. Victore, Magister Sententiarum, S. Bonaventura, Scotus, S. Thomas, et inter recentiores, *Henriquez*, Comitolus, *Billuart* aliique plures docuerunt episcopatum non esse sacramentum proprie dictum, sed sacerdotii extensionem, et perfectissimum complementum. Alii vero longe communius tenent illum esse sacramentum a presbyteratu distinctum : cum quibus sit

PROPOSITIO.

Episcopatus est verum sacramentum a presbyteratu distinctum.

Probatur Scriptura sacra, testimoniis SS. Patrum, concil. Trid. et ratione.

1° *Scriptura sacra*, nempe textibus B. Pauli supra relatis, *Noli negligere*, etc.; *Admoneo te*, etc. Ibi enim agitur de ordinatione Timothei, qui juxta omnes, a B. Paulo constitutus fuerat episcopus : porro in his textibus tres reperiuntur conditiones ad sacramentum novæ Legis requisitæ, *ut ostendimus* : ergo.

2° *Testimoniis SS. Patrum*. S. Leo, epist. 12, cap. 4, probat legem cælibatus ab episcopis custodiendam esse, quia si eam « in ordine qui quartus a capite est (videli-

» cet subdiaconatu) dignum est custodiri, quanto magis » in primo, aut secundo, vel tertio id servandum est? » Ergo episcopatus est ordo distinctus, et primus omnium.

Referentibus Theodoreto, Socrate, Nicephoro, sanctus quidam vir, nomine Moses, nequaquam induci potuit ut a Lucio, ariano episcopo in episcopum consecraretur, quod certus esset Spiritum sanctum ad illius invocationem non esse descensurum. Ergo 2°.

3° *Conc. Trid.* Concilium istud definit, sess. 23. can. 6, « in Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordina» tione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris » et ministris. » Ergo episcopi a presbyteris, sicut presbyteri a diaconis, distincti sunt; nec dici potest episcopatum sacerdotii extensionem esse, et characterem non imprimere. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Ubi est ritus diversus et potestates diversæ, diversum est sacramentum : atqui alius est ritus presbyteratus et alius episcopatus, similiter et aliæ potestates, siquidem apud omnes constat solum episcopum habere potestatem ordines conferendi, ordinarie confirmandi, et ecclesiam sibi assignatam ut principem gubernandi : ergo.

Dices : Concil. Trid., sess. 23, cap. 2, septem numerat ordines, eos proprio nomine vocans, inter quos non reperitur episcopatus. Ergo.

R. Nego conseq. Ideo enim concilium Trid. septem tantum numerat ordines, quia sacerdotium est genus sub quo presbyteratus et episcopatus sunt velut species; uterque divinam respicit Eucharistiam, qua nihil majus excogitari potest, sed diverso modo : simplices presbyteri eam consecrare possunt, episcopi vero habent insuper facultatem hanc sublimem potestatem aliis communicandi : ideo respective dicuntur sacerdotes primi et secundi ordinis, quorum alii Apostolis, et alii septuaginta duobus succedunt discipulis.

Hinc episcopatus sacerdotium necessario supponit : unde eum recte definiri diximus : *Ordo supremus quo datur presbytero,* etc.

§ II. — De materia et forma episcopatus.

1° In consecratione episcopi sic proceditur : 1° presbyter in episcopum electus per multas interrogationes a consecratore examinatur, ut concilium Carth. IV præscribit. 2° Episcopus consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus episcopis assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem et scapulas electi. 3° Consecrator et duo assistentes ambas manus super caput ejus imponunt simul, dicentes : *Accipe Spiritum sanctum :* deinde solus consecrator, post brevem orationem, aliam longiorem, manibus ante pectus extensis, per modum præfationis pronuntiat vel cantat. 4° Ea finita, caput electi, et paulo post ambas manus sancto chrismate ungit verba correspondentia pronuntiando. 5° Tradit ei successive baculum, annulum et librum Evangeliorum, proferens verba unicuique instrumento propria.

2° Dubitari non potest quin manuum impositio sit essentialis : id patet 1° exemplo Apostolorum qui, in ordinatione Pauli et Barnabæ, *jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos,* Act. XIII, 3; et B. Pauli qui, ut vidimus, gratiam ordinationis per manuum impositionem discipulo suo contulerat; 2° ex constanti omnium ecclesiarum orientalium et occidentalium praxi.

Probabimus infra concursum episcoporum assistentium ad validitatem ordinationis necessarium non esse : sola igitur manuum impositio a consecratore facta, sive dicendo, *Accipe Spiritum sanctum,* sive cantando aut pronuntiando Præfationem, ut essentialis habenda est.

3° Unde verba pro utraque impositione assignata formam hujus sacramenti constituunt.

4° Impositio libri Evangeliorum, licet vetustissima, in concilio Carth. IV, can. 2, præscripta, et apud Græcos sicut apud Latinos usitata, materia essentialis communius non reputatur : etenim 1° primi episcopi sine impositione hujus libri, qui nondum erat scriptus, ordinati fuerunt; 2° nulla forma illius impositioni respondet.

5° Unctio, quæ apud Græcos nunquam exstitit, non magis

necessaria est pro validitate episcopatus quam pro validitate presbyteratus.

6° Traditio baculi, annuli et libri Evangeliorum effectum ordinationis significat, sed ad essentiam materiæ non pertinet, 1° quia non semper locum habuit, nec est antiqua; 2° quia in Pontificali novus episcopus jam vocatur ordinatus.

7° Nihil horum tamen omitti debet, et omissum supplendum foret.

III. — An episcopi jure divino presbyteris sint superiores.

Quidam *Aerius*, in sæculo quarto, ægre ferens se ab episcopatu repulsum fuisse, docuit *presbyterum ab episcopo nulla differentia discerni;* S. Aug. Hunc errorem antiquatum renovavit Wiclefus, deinde Calvinus, cui adhærent Puritani seu Presbyteriani, in Anglia, et præsertim in Scotia valde numerosi; eumdem ex professo defendere conati sunt *Saumaise* et *Blondel*, calvinistæ, contendentes superioritatem episcoporum de facto existentem, sola institutione humana fuisse introductam.

PROPOSITIO.

Episcopi jure divino simplicibus presbyteris superiores sunt ratione characteris et jurisdictionis.

Prob. Scriptura sacra, traditione, concilio Trid., ratione et præscriptione.

1° *Scriptura sacra.* B. Paulus, Act. xx, 28, dicit majoribus natu Ecclesiæ Mileti congregatis : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* At potestas abusus corrigendi et Ecclesiam regendi sic absolute dicta nunquam simplicibus presbyteris competit. Ergo 1°.

2° *Traditione.* S. Epiph., Hæres. 75, n. 5, hæc B. Pauli, I Tim. v, 1, 19, verba expendens, *Seniorem ne increpaveris, adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus,* ait : « Quid attinebat epi» scopo vetare ne presbyterum objurgaret, nisi majorem

» ipso potestatem obtineret ? » S. Cypr., Epist. 27 : « Inde » per temporum et successionum vices episcoporum ordi- » natio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super epi- » scopos constituatur, et omnis Ecclesiæ actus per eosdem » præpositos gubernetur. Cur hoc itaque lege divina fun- » datum sit ? » Ergo.

3° *Concilio Trid.* quod, sess. 23, can. 7, sic se habet : « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores » vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, » vel eam quam habent illis esse cum presbyteris com- » munem... anathema sit. » Patres Tridentini a vocibus *jure divino* consulto abstinuerunt, ne quæstionem inter theologos catholicos agitatam circa originem jurisdictionis episcoporum definirent : unde propositio nostra, quoad superioritatem jurisdictionis, non est de fide catholica, sed concilium eam tradit ut certissimam. Ergo 3°.

4° *Ratione.* 1° Episcopi, vi institutionis, suæ Apostolis successerunt : porro Apostoli simplicibus presbyteris erant superiores. 2° Episcopi plura faciunt quæ a simplicibus presbyteris nullatenus fieri possunt, ut sacramenta Confirmationis et Ordinis conferre ; Ecclesiam ex populo et clero completo adunatam regere, etc. Ergo. 3° Aerius semper habitus est ut hæreticus : dogma igitur negabat : ergo 4°, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

5° *Præscriptione.* Constat enim ex historia tam Ecclesiæ orientalis quam Ecclesiæ occidentalis episcopos semper habitos esse ut presbyteris superiores ; eos diœceses gubernasse, sacerdotes sicut alios clericos rexisse, eis præfuisse, missionem dedisse, existentiam diœceseon per episcopos, nunquam per sacerdotes, adnumeratam esse, etc. Ergo.

S. Hieronymi auctoritatem invocant adversarii atque se testimonio ejus fulciri gloriantur ; sed immerito. Nam 1° alii Patres et doctores, contrarium evidenter docentes, illum redarguissent et refellere studuissent, quod tamen nullus tentavit. 2° Ipse S. Doctor, epist. ad Evangelium, 2ª part. ubi dicit *eosdem esse presbyteros quos episcopos*, subjungit : « Certe in una civitate plures episcopi... esse » non poterant ; sed quia eosdem episcopos illo tempore

» quos et presbyteros appellabant, propterea indifferen- » ter de episcopis, quasi de presbyteris, locutus est Apo- » stolus. » Patet ergo S. Hieronymum episcopos et presbyteros quoad appellationem tantum comparasse, non vero quoad dignitatem, alioquin non dixisset plures episcopos in eadem civitate esse non posse. Ergo.

Notandum quosdam auctores, inter quos P. *Pétau,* Theol. dog., t. IV, l. 1, Dissert. Eccl. c. 11, et *Mamachi,* Orig. et Antiq. Christ., t. IV, p. 337, arbitrari in primis temporibus plures in eadem civitate exstitisse episcopos consecratos, qui speciales non habebant ecclesias regendas, sed, data opportunitate, in alias migrabant civitates, novas fundabant ecclesias, vel, defectu propriorum episcoporum, functiones sacras ab episcopali charactere pendentes exercebant, et ideo, in II et III sæculo *episcopi nationum* appellabantur. Nihil obstat quominus dicatur plures hujusmodi episcopos degisse Ephesi, præcipua Asiæ urbe, quando B. Paulus majores natu hujus Ecclesiæ ad se vocatos Miletum appellat episcopos (Act. XX, 28).

CAPUT TERTIUM.

DE ORDINUM EFFECTIBUS.

Probavimus Ordinem esse novæ Legis sacramentum: sacramentum istud non est mortuorum, sed vivorum: producit ergo gratiæ sanctificantis augmentum et jus ad suscipiendas, in tempore opportuno, gratias actuales, pro diversis functionibus ecclesiasticis obeundis necessarias.

Constat aliunde, ex dictis in Tractatu *de Sacramentis in genere*, et ex constanti traditione, sacramentum Ordinis characterem in anima imprimere, quo ministri Christi signantur et a simplicibus christianis distinguuntur, sicut officiarii principis et milites aliquo sensibili signo ab aliis hominibus secernuntur.

Cum autem illa spiritualis qualitas a sola Dei voluntate

pendeat, non omnis ordinatio eam imprimit, sed tantum ea quæ a Christo fuit instituta et rationem veri sacramenti habet. Unde si tonsura, minores ordines et subdiaconatus inter sacramenta computari non debeant, ut plurimi volunt, sequitur hos ordines characterem non imprimere et a sola Ecclesia habere quod iterari non debeant.

Diaconatus, e contra, presbyteratus et episcopatus valide collati, characterem semper imprimunt, et quidem juxta probabiliorem sententiam, unicuique ordini proprium : nam ubi sunt potestates diversæ, diversi debent esse characteres : at in diaconatu, presbyteratu et episcopatu diversæ sunt potestates : ergo.

Attamen specialis movetur difficultas de ordinibus ab hæreticis, schismaticis, etc., collatis.

Nullus catholicus negat ordinationem valide collatam non amitti, ac proinde iterari non posse : certum est ex altera parte fidem ad validitatem sacramentorum non requiri neque in ministro, neque in subjecto. Quoniam tamen plurima historiæ ecclesiasticæ facta probare videntur ordinationes ab hæreticis, schismaticis, excommunicatis, simoniacis, etc., susceptas, habitas fuisse ut nullas, gravis exorta est controversia inter theologos, an scilicet illæ ordinationes characterem imprimerent. Hæc controversia, jam fortiter agitata tempore B. Petri Damiani, anno 1072 defuncti, renovata est in ultimo sæculo, et doctissimus P. Morinus multa congessit exempla ex quibus colligendum esse arbitratus est ordinationes extra veram Ecclesiam, vel in vera Ecclesia simoniacis aut intrusis collatas, aliquando ut nullas judicatas esse, non quia fides in ministro necessaria est, sed quia canones id prohibentes constituebant impedimentum jure ecclesiastico dirimens, ferme sicut nunc quædam impedimenta matrimonium dirimunt. Unde ipsius sententia ab errore heterodoxorum, fidem ad validitatem sacramentorum requirentium, longe dissimilis est.

Verum hæc celebris auctoris suppositio est omnino gratuita; nullum enim affertur monumentum quo existentia hujusmodi legis ordinationem irritantis fulciatur,

nec ipsius origo, nec abrogatio, nec existentiæ duratio assignari potest : quod autem gratis asseritur, gratis negatur.

Aliunde, cum materia sacramenti Matrimonii sit contractus naturalis, concipitur illud annulari posse, per appositionem conditionis quæ contractum efficiat nullum, atque materiam sacramenti subtrahat : effectus vero ordinationis ritui externo annectitur : porro Ecclesia efficere non potest ut, posito ritu legitimo, effectus non sequatur : ergo.

Insuper facta a P. Morino collecta probant quidem ordinationes extra Ecclesiam, vel in Ecclesia contra sacros canones collatas, nullum habuisse effectum exteriorem, id est, clericos sic ordinatos mansisse suspensos, donec resipiscentes, in ordinibus suis restituti fuissent per quamdam cæremoniam, a cæremonia ordinationis non multum recedentem. Hinc orta est æquivocatio circa validitatem istiusmodi ordinationum : at serio attendenti nihil demonstrat eas habitas fuisse ut nullas quoad characterem.

CAPUT QUARTUM.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

Certum est solos episcopos, in Ecclesia Romana, consuevisse diversos ordines, saltem ut ministros ordinarios, conferre : affirmavit Wiclefus eos ministerium istud propter cupiditatem lucri temporalis sibi reservasse. Lutherani et Calvinistæ, sacramenti Ordinis existentiam negantes, peculiarem ejus ministrum agnoscere non debent; totam potestatem varios verbi divini ministros eligendi et constituendi, plebi christianæ et magistratui politico tribuunt.

Pro collatione Ordinis, sicut et Confirmationis, duplex apud catholicos exhibetur minister, ordinarius scilicet et extraordinarius. Insuper qui habet potestatem, non semper habet jus ordinandi; sicque valide, sed illicite ma-

nus imponeret. Itaque nobis agendum est 1° de ministro ordinario Ordinationis, 2° de ministro extraordinario, et 3° de ministro legitimo.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MINISTRO ORDINARIO ORDINATIONIS.

Sensus quæstionis est, an validitas ordinis a charactere episcopali, ex institutione Christi, pendeat, sicut validitas consecrationis corporis et sanguinis Christi a charactere sacerdotali pendet. Affirmant omnes catholici, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Solus episcopus est ordinarius minister sacramenti Ordinis in genere.

Prob. Illa propositio est de fide, probatur Scriptura sacra et traditione.

1° *Est de fide.* Definita quippe fuit a concilio Trid., sess. 23, can. 7 : « Si quis dixerit episcopos... non habere » potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam » habent illis esse cum presbyteris communem..... ana- » thema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra.* In pluribus locis Actuum Apostolorum et Epistolarum B. Pauli commemorantur ordinationes : at soli Apostoli vel eorum discipuli, qui erant episcopi, exhibentur ut ministri potestatem eas conferendi habentes : sic Apostoli primos diaconos ordinarunt, Act. VI, 6. Paulus et Barnabas presbyteros per singulas ecclesias constituerunt, ibid. XIV, 22; B. Paulus Timotheum ordinavit, ipsum ac Titum commonet quibus ut episcopi manus imponere debeant; præcipit Tito ut per civitates insulæ Cretæ constituat presbyteros. Ergo 2°.

3° *Prob. traditione.* Ex innumeris veterum testimoniis, conciliorum decretis, Latinorum Ritualibus, Græcorum aliorumque Orientalium Euchologiis, constat episcopos semper habitos fuisse ut ordinarios sacramenti Ordinis ministros. Ergo 3°, etc. Ergo.

Hinc 1° quicumque charactere episcopali est insignitus, sive sedem habeat, sive non ; sive sit catholicus, sive schismaticus vel hæreticus ; sive sit sanctus, sive simoniacus, excommunicatus, suspensus, interdictus, scandalosus, degradatus, etc., diversos ordines valide conferre potest : hoc aliunde constat ex dictis in Tractatu *de Sacramentis in genere*, ubi probavimus neque fidem, neque sanctitatem ad validitatem sacramentorum requiri in ministro.

Hinc 2° e contra, qui ordinationem episcopalem valide non susceperunt, eam aliis valide communicare nequeunt : unde prorsus nulla fuit ordinatio quam Lutherus attentare ausus est, ut refert *Bossuet, Hist. des Variations*, l. 1, n. 27. Ut nullæ ab omnibus habentur ordinationes Lutheranorum, tum propter defectum characteris in ordinante, tum propter defectum legitimæ formæ a Christo institutæ.

Quæritur quid de ordinationibus Anglicanis sentiendum sit.

Notandum 1° P. *Le Courrayer*, canonicum regularem S. Genovefæ, speciali opere cui titulus : *Dissertation sur la validité des ordinations anglicanes*, probare suscepisse dictas ordinationes esse validas.

Notandum 2° ordinationes Anglicanas sic nunc fieri, juxta Rituale Eduardi VI, parlamenti auctoritate reformatum. Ordinandus tenetur 1° exhibere mandatum regis loco bullarum summi Pontificis; 2° præstare juramentum de suprema potestate regis in spiritualibus, sicut in temporalibus ; 3° declarari se firmam habere persuasionem de divina vocatione sua juxta voluntatem Christi et constitutionem regni ; 4° promittere se traditiones rejicere, et diligentem operam impensurum esse *ad exterminandam quamcumque peregrinam, erroneam verboque divino contrariam doctrinam*. Porro sic designatur doctrina Ecclesiæ Romanæ.

Deinde episcopus consecrator dicit : *Deus omnipotens, Pater noster cœlestis, qui hanc voluntatem tibi concessit, concedat insuper vires et facultatem ad hæc efficaciter præstanda*, etc. Unde sensus verborum, *ad hæc efficaciter præ-*

standa, per assertiones præcedentes determinatur : porro assertiones præcedentes sunt hæreticæ : ergo et oratio est hæretica.

His notatis, R. Ordinationes Anglicanæ sunt nullæ. Nam 1° de validitate ordinationis Parker et Barlowe, primorum reformationis Anglicanæ episcoporum, a quibus alii ordinati sunt, legitime dubitatur. 2° Forma Pontificalis Romani auctoritate regis et parlamenti essentialiter fuit mutata : talis autem mutatio sacramentum reddit nullum : ergo. Ita, contra opus P. *Le Courrayer,* fusius P. *Le Quien,* P. *Hardouin, Tournely, Collet,* etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MINISTRO ORDINATIONIS EXTRAORDINARIO.

1° Ille dicendus esset minister ordinationis extraordinarius, qui eam ex commissione summi Pontificis conferre posset, sicut sacerdos Confirmationem administrat. Cum Scriptura nullibi dicat, nec supponat simplicem sacerdotem ad conferendum ordinem delegari posse, consulenda est traditio et Ecclesiæ praxis.

2° Nulla in traditione inveniuntur monumenta quibus ostendatur simplices sacerdotes episcopatum, vel etiam presbyteratum, e quacumque summi Pontificis dispensatione, conferre posse : non tamen defuerunt occasiones in quibus hæc potestas, si existeret, exerceri debuisset, nempe quando desunt episcopi, ut frequenter accidit in extraneis missionibus. Ergo.

Legitur quidem in synodo Antiochena, versus medium quarti sæculi celebrata, can. 10, chorepiscopos presbyterum et diaconum ordinare non posse sine consensu diœcesani episcopi : unde sequitur quod illos cum tali consensu ordinare possent. Verum, ut ista objectio aliquid valeret, probandum foret omnes chorepiscopos simplices fuisse sacerdotes : sed constat eos sæpe charactere episcopali fuisse insignitos; v. g., concilium Nicænum I, can. 8, tractans de episcopis Novatianis ad Ecclesiam reversis, ait : « Providebit ei (episcopus catholicus) aut chorepisco-

» patus aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse vi-
» deatur, ne in una civitate duo episcopi probentur exis-
» tere. » Hi soli chorepiscopi presbyteros ordinare poterant.

3° Quoad diaconatum, plures contenderunt simplicem sacerdotem eum ex delegatione conferre posse, et Innocentium VIII concessisse abbati Cisterciensium, anno 1489, facultatem conferendi minores ordines, subdiaconatum et diaconatum religiosis suis, ut occasio extra monasterium discurrendi ipsis auferretur. Cæteri vero theologi generalissime docent nunquam diaconatum a simplice sacerdote conferri posse, quia a charactere episcopali non minus pendet quam episcopatus et presbyteratus; etenim quoties de ordinandis diaconis agitur, sive in Scriptura, sive in traditione, semper supponitur eos ab episcopis ordinandos esse. Ergo.

Respondent autem privilegium Innocentio VIII attributum, 1° dubiæ esse fidei, siquidem authenticitas ejus probari non potuit, et abbates Cistercienses eo uti non audebant; 2° probare ad summum Innocentium VIII in hoc ut doctorem privatum errasse, quod fieri posse a nemine negatur.

4° Multo probabilius est subdiaconatum a simplicibus presbyteris ex commissione summi Pontificis conferri posse : 1° quia valde probabile est hunc Ordinem non a Christo, sed ab Ecclesia fuisse institutum; 2° quia Gelasius papa, de presbyteris loquens, ait : « Meminerint sibi
» nulla ratione concedi, sine summo Pontifice, subdiaco-
» num aut acolythum jus habere faciendi : » *Labbe*, t. IV; 3° quia certum videtur hujusmodi privilegium nonnullis Benedictinorum et Cisterciensium abbatibus concessum fuisse. Ergo.

5° Nullum est dubium quin simplices presbyteri primam tonsuram et quatuor minores ordines, ex delegatione summi Pontificis, conferre possint. Sic omnes theologi et canonistæ. Abbates presbyteri rite electi, confirmati et solemniter benedicti, religiosos professos sibi subditos jure communi ordinare possunt; ita statuitur in Decreto, 1ª part., dist. 69, can. 1; in Decretal., l. 1, tit. 14, cap. 11; et concilium Trid. sess. 23, cap. 10 de

Reform., vetat eis « ne liceat in posterum... cuiquam qui » regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores » ordines conferre. » Exceptio firmat regulam : subditos igitur non vero alios, etiam regulares rite dimissos, nec proprios novitios, quamvis sint qui contrarium teneant, licite ordinare possent, sed valide ordinarent. Vide *Ferraris*, v° *Ordo*, art. 3, n. 2, et *Van-Espen*, t. I, n. 16; *Devoti*, t. I, p. 231, etc.; S. Ligorium, l. 6, n. 766.

Abbas non benedictus tonsuram et minores ordines suis subditis conferre non potest, nisi speciale ad hoc habeat privilegium, vel episcopus ter ab eo rogatus benedictionem conferre noluerit. *Ferraris*, v° *Ordo*, art. 2, n. 107.

Cardinales presbyteri et non episcopi similiter tonsuram et minores ordines conferre possunt, in propriis ecclesiis, suis familiaribus et subditis. Ib. n. 107.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MINISTRO LEGITIMO ORDINATIONIS, UBI DE LITTERIS DIMISSORIIS.

Minister legitimus ordinationis, quo nomine ipsa comprehenditur tonsura, ille est qui non tantum valide, sed licite eam conferre potest. Non omnis episcopus hoc potitur jure, sed ille duntaxat qui ordinariam vel delegatam habet auctoritatem in ordinandum.

1° Summus Pontifex, ob eminentem suam jurisdictionem, in qualibet orbis parte ordines conferre, vel quemlibet laicum aut clericum ad se confugientem ordinare potest. Extraneos tamen nunc admittere non solet, nisi testimoniales litteras antistitis sui exhibere valeant, ut omnis deceptio caute vitetur.

Qui a Romano Pontifice unum suscepit ordinem, ad superiorem ab alio episcopo etiam diœcesano sine dicti Pontificis licentia promoveri non potest, ut asserit probatque Bened. XIV, in Constit. *In postremo*, diei 10 octobris 1756, Bull. t. IV.

2° Episcopus autem quadruplici ratione sufficientem auctoritatem habere potest in aliquem relative ad ordina-

tionem, scilicet, ratione originis, ratione beneficii, ratione domicilii et ratione familiaritatis.

Ratione originis; id est, episcopus loci in quo pater domicilium habebat tempore quo quis natus est, habet jus eum ordinandi : sic statuit Bonifacius VIII, in Sexto, l. 1, tit. 10, cap. 3, et explicavit Innocentius XII, anno 1694, bulla *Speculatores*. Ordinandus igitur non pertinet ad episcopum loci in quo baptizatus est, ut quidam voluerunt, nec ad episcopum loci in quo per accidens natus est, v. g., causa itineris, militiæ, legationis, mercaturæ.

Ratione beneficii; id est, episcopus habebat jus ordinandi clericum alicujus beneficii in diœcesi sua existentis titularem, exigendo, si non resideret, ut testimoniales litteras episcopi domicilii exhiberet.

Ratione domicilii; si nempe tam fixum et tam longum habeat domicilium in eo loco, ut nulla sit probabilitas quod in locum originis redire debeat. Innocentius XII, Const. supra citata, § II, declarat illum esse subjectum ratione domicilii qui per habitationem decennalem, vel per translationem rerum et negotiorum suorum in hunc locum demonstravit sibi inesse propositum ibi perpetuo manendi.

Mos nunc receptus in Gallia, votis comitiorum cleri annorum 1635, 1655, 1660 et 1665 congruens, est ut solus episcopus originis sit legitimus relative ad Ordines. Pœnas canonicas tamen non incurreret episcopus aliquem ratione domicilii ordinans, neque clericus sic ordinatus, quia licet consuetudini contrairent, legem ecclesiasticam pœnas decernentem non transgrederentur.

Concil. Suessionense, anni 1849, disciplinam Const. Innocentii XII, circa hoc punctum, pro Remensi provincia adoptavit.

Ratione familiaritatis; id est, episcopus habet jus familiarem suum non subditum ordinandi, si per triennium secum habuerit, et propriis sumptibus aluerit, ea conditione ut intra terminum unius mensis beneficium ad sustentandam vitam sufficiens conferat; concil. Trid., sess. 23, cap. 9 de Reform., et bulla Innocentii XII.

Notandum autem quod sive ratione beneficii aut domi-

cilii vel familiaritatis aliquis ordinetur, semper debeat habere litteras testimoniales ab episcopo originis, saltem ad testificandum de natalibus ac ætate, prout a S. Congregatione decretum refert P. *Zacharia* apud S. Ligorium, l. 6, n. 789.

3° Episcopus qui sine litteris dimissoriis alienum ordinat subditum, anni spatio collatione ordinum interdicitur et ordinatus functiones ordinis sui exercere non potest, nisi veniam ab episcopo suo obtinuerit; et si exerceat, durante suspensione, irregularitatem statim incurrit. Concil. Trid., sess. 23, cap. 8 de Reform.

4° In primis Ecclesiæ sæculis, vetitum non erat episcopo alienos laicos ordinare, sed tantum alienos clericos, ita ut unusquisque quemlibet laicum clero suo adscribere posset, ut ostendunt canonistæ, v. g., *Devoti*, t. I : sic Origenes, S. Hieronymus, S. Augustinus aliique plures ab episcopis in quorum diœcesibus nati non fuerant, ordinati sunt; et non legimus has ordinationes fuisse improbatas ob defectum potestatis in ordinante.

5° Episcopus plenam acquirit potestatem in alienum subditum, sive laicum, sive clericum, sibi ab episcopo legitimo per litteras *excorporationis* dictas concessum et a se acceptatum; subditus sic *excorporatus* fit respectu prioris episcopi omnino alienus.

6° Supra diximus quænam potestas abbatibus et cardinalibus competat.

Notandum admissionem in ordinationem esse actum jurisdictionis gratiosæ, et episcopum a nemine cogi posse ad aliquem ordinandum. Si quædam in contrarium exhibeantur testimonia, intelligenda sunt de iis qui beneficia possidebant sacros ordines requirentia.

De litteris dimissoriis.

1° Nomine litterarum *dimissoralium* vel *dimissoriarum*, olim intelligebatur actus authenticus quo episcopus clerico sibi subjecto permittebat in aliam transire ecclesiam, jura sua in eum episcopo ecclesiæ cui adscribendus erat cedens; hujusmodi litteræ nunc apud nos vulgo dicuntur

excorporationis si subditus nondum sit ordinatus, et *exeat*, si sit ordinatus.

2° Hodie hæ litteræ vocantur dimissoriæ, quibus laico vel clerico conceditur licentia ordines ab alieno suscipiendi episcopo, ea conditione ut proprio episcopo remaneat subditus. Duplici forma concedi possunt, nempe vel unum episcopum nominatim designando, vel licentiam tribuendo ordinationem a quocumque episcopo communionem cum Sede Apostolica habente suscipiendi.

3° Cum episcopus diœcesim gubernans subditos ratione originis, beneficii, domicilii vel familiaritatis, ordinare possit, eis de jure communi dat litteras dimissorias, per se vel per vicarios suos generales, quibus ordinarie episcopi hanc facultatem concedunt. Hanc facultatem vicarii generales jure communi non habent nisi absente episcopo.

4° Episcopus confirmatus et possessionem sedis suæ adeptus, licet non consecratus, litteras dimissorias concedere potest.

5° Sede vacante, vicarii capitulares, omnem jurisdictionem episcopalem exercentes, facultatem litteras dimissorias concedendi habent : at concilium Trid., sess. 7, c. 10, de Ref. sic se habet : « Non liceat capitulis ecclesia- » rum sede vacante, infra annum a die vacationis, ordi- » nandi licentiam aut litteras dimissorias... concedere. »

6° Litteræ legitime concessæ, sine limitatione temporis, non exspirant per mortem episcopi, aut exstinctionem potestatis vicarii generalis vel capituli : sic generaliter canonistæ et praxis universalis. At episcopus eas omnes semper revocare potest. *Van-Espen*, t. I.

7° S. synodus Tridentina vetat, sess. 23, cap. 8 de Reform., ne litteræ dimissoriæ alicui dentur, *nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio comprobentur*, id est, capacitas et sufficientia ejus examine prævio recognitæ fuerint. Usu tamen receptum est ut litteræ dimissoriæ studentibus in seminario alieno concedantur sub hac clausula : *Si, prævio examine, a præside seminarii vel ab aliis quos R. episcopus designaverit, idoneus repertus eris*, etc.

8° In pluribus locis ordinandus, litteris dimissoriis munitus et a proprio episcopo examinatus, ab episcopo ordinaturo iterum examinatur : S. Cong. Concil. hac de re consulta respondit hoc esse arbitrarium : unde fit ut apud nos talis ordinandus secundo examini non subjiciatur.

9° Monet S. Carolus, in concilio Mediol. IV, expedire ut litteræ dimissoriæ pro unico suscipiendo ordine et ad breve tempus duraturæ concedantur, ne mores ordinandi mutentur, atque ex digno indignus evadat.

10° Sixtus V, Clemens VIII et Bened. XIV, Const. *Impositi*, diei 27 feb. 1747, statuerunt regulares ab episcopo loci in quo situm est eorum monasterium, ordinandos et ante ordinationem examinandos esse quoad doctrinam. Superiores dant litteras dimissorias ad episcopum diœcesanum, vel, eo absente aut ordinationem proximo tempore sacris canonibus statuto non tenente, ad quemcumque alium catholicum antistitem, modo litteris suis dimissoriis jungant authenticam attestationem *vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem non habiturum esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto.* Sunt verba Bened. XIV. Nunquam eos remittere possunt ad abbatem extraneum etiam benedictum ; nec subditos ab episcopo diœcesano in examine reprobatos, ad alium episcopum pro ordinibus suscipiendis mittere possunt. *Ferraris,* v° *Ordo,* art. 3, n. 67. Doctor *Hallier,* in libro cui titulus : *De sacris electionibus et ordinationibus,* habet paragraphum cujus titulus est : *Inquirendum ab episcopo in vitam et mores regularium ordinandorum, et anteacta etiam in sæcula vita expendenda.*

Clerus Gallicanus plura in comitiis suis generalibus statuerat relative ad regularium ordinationes, ut videre est in *Procès-verbaux,* t. II, *Pièces justif.,* p. 64, et *Mémoires du Clergé,* t. III, p. 463 et 464.

CAPUT QUINTUM.

DE SUBJECTO ORDINIS ET CONDITIONIBUS AD ORDINES SUSCIPIENDOS REQUISITIS.

Aliæ sunt conditiones ad ordines valide, et aliæ ad eos licite suscipiendos requisitæ in subjecto.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONDITIONIBUS IN SUBJECTO REQUISITIS AD ORDINES VALIDE SUSCIPIENDOS.

Certum est solos homines viatores valide ordinari posse, non vero mortuos, neque Angelos. Quædam moventur difficultates circa non baptizatos, infantes, invitos et mulieres.

De non baptizatis.

Quidam putabant, in initio sæculi decimi tertii, valere ordinem ante baptismum collatum ; sed Innocentius III, hac de re consultus, respondit : « Si quis presbyter ordi- » natus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptize- » tur, et iterum ordinetur. » Decretal. lib. 3, tit. 43, de Presbytero non baptizato, cap. 1. Si baptismus clerici deprehenderetur vere dubius, iterum conferendus esset sub conditione, deinde omnes iterarentur Ordines. Unde, referente *Ferraris,* v° *Ordo,* art. 2, n. 28, quidam presbyter ex ordine Minorum, concionator, qui plures prælaturas locales et provinciales administraverat, iterum baptizatus est et omnes sacros ordines de novo suscepit, quia perversus parochus qui eum baptizaverat, declaravit ante mortem se, ex odio erga patrem, positivam habuisse intentionem illum non baptizandi, sed in peccato originali relinquendi.

De infantibus.

Durandus, *Tournely* et quidam alii negarunt infantes, rationis usu nondum pollentes, et perpetuo amentes, valide ordinari posse; affirmant vero S. Th., Supplem. q. 36, art. 2, S. Bonaventura, Scotus aliique communissime theologi, et Bened. XIV, qui, in Instructione *Eo quamvis tempore*, diei 4 maii 1745, § 20, expresse docet talem ordinationem illicitam quidem esse, sed theologorum ac canonistarum suffragio validam, dummodo nullum ei obstet vitium in materia, aut in forma, aut in persona ministri. Ratio quam affert S. Th. est, quod sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis proprium suscipientis actum non requirant, sed per ea detur aliqua spiritualis potestas, et character imprimatur.

Contendit S. Doctor usum rationis necessarium esse ad validitatem episcopatus, sed communius auctores negant, ut videre est apud *Ferraris*, art. 2, n. 72.

Quidquid sit de illicitis hujusmodi ordinationibus, » certum et exploratum est, per hanc ordinum collatio- » nem, non subjici promotos obligationi servandæ casti- » tatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis, cum elec- » tio status a libera cujusque pendeat voluntate. » Bened. XIV, loco citato.

De invitis.

Plures, referente *Billuart*, arbitrati sunt invitos valide ordinari posse; sed communis sententia tenet eorum ordinationem prorsus esse nullam, si omnino sint inviti; validam vero, si coactioni cedentes, ordinationi consenserint: eo sensu multi sancti vim passi sunt et tamen valide fuerunt ordinati, atque onera ordinibus annexa contraxerunt.

Patet, ex dictis in Tractatu *de Sacramentis in genere*, intentionem aliquam in homine usum rationis habente, ad validitatem ordinis necessariam esse. *Ita omnes.* Unde dormientes, ebrii et amentes, qui aliquando usum rationis habuissent, nec ullam ostendissent voluntatem ordines suscipiendi, nulliter ordinarentur inscii.

De mulieribus.

Montanistæ in tanto honore habebant mulieres, ut eas non solum diaconatu, sed et sacerdotio decorarent, testibus S. Epiph. Hæres. 49, et S. Aug. Hæres. 27.

Perpetua autem et unanimis catholicorum sententia est, mulieres ordinationis esse jure divino prorsus incapaces; sic enim voluit Christus, qui propriam non ordinavit matrem, licet Apostolis longe digniorem. Unde B. Paulus, I Cor. XIV, 34 : *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit*; et I Tim. II, 11 : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.*

Diaconissæ autem, presbyterissæ et episcopissæ, quæ sæpe memorantur in jure canonico et in historia ecclesiastica, erant mulieres quarum mariti ordinati fuerant diaconi, presbyteri vel episcopi; unde et ipsæ nomen sumpserant. Si in 2ª parte Decreti, causa 27, q. 1, can. 23, legitur *diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari statuimus,* id intelligendum est de aliqua cæremonia ecclesiastica, quamdam similitudinem cum ordinatione habente, qua viduæ aut virgines ætate provectæ ac virtutibus christianis conspicuæ Deo consecrabantur, ut linteamina et ornamenta ecclesiæ curarent, et præsertim feminis baptizandis ministrarent, eas instruerent, visitarent, etc.

Earum ministerium sensim et sine sensu desiit, cum Baptismus cœpit administrari privatim post nativitatem uniuscujusque infantis, et per infusionem. Concilium Epaonense, in sexto sæculo, vetuit diaconissas in posterum promovere : quædam tamen serius adhuc exstiterunt. præsertim in Oriente et Constantinopoli, ut asserit P. *Goar*.

Objicitur papissa Joanna, quæ dicitur Sedem Apostolicam duobus annis mensibus quinque et diebus quatuor occupasse, sub nomine Joannis VIII, inter Leonem IV et Benedictum III, circa annum 853. Verum hoc factum a Mariano Scoto, in undecimo sæculo scribente, primo nar-

ratum et ab inimicis Sanctæ Sedis sæpe repetitum, solidissime fuit confutatum a Baronio, Bellarmino, P. *Le Quien*, Natali Alexandro, ab ipso *Blondel*, ministro Calviniano, et generaliter nunc habetur, etiam apud Protestantes, ut mera fabula quacumque fide indigna.

Aliunde, etsi verum esset mulierem sexum suum sic occultasse, atque electores et ordinatores decepisse, non sequeretur, *ut patet*, mulieres ordinationis esse capaces.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD ORDINES LICITE SUSCIPIENDOS.

Ut vir christianus licite seu legitime ordinetur, sequentes requiruntur conditiones, videlicet : 1° vocatio divina, 2° intentio recta, 3° sanctitas probata, 4° scientia competens, 5° ætas legitima, 6° locus decens, 7° tempus statutum, 8° interstitiorum servatio, 9° titulus requisitus, 10° ordinatio gradatim et non per saltum, 11° immunitas ab irregularitate.

Vocatio divina.

Vocatio est actus Providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis ad ministerium sacrum eligit eisque dotes ad illud laudabiliter exsequendum largitur : nemo inficiare potest hanc vocationem omnino necessariam esse; constat enim omnia in ordine naturali a Deo gubernari, modo singulis entibus proprio : ergo *a fortiori* et in ordine supernaturali. Unde Christus, apud Joan. x, 1 : *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro : qui autem intrat per ostium, pastor est ovium; huic ostiarius aperit... Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur*; Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu.*

Duplicis generis sunt divinæ vocationis signa, alia negativa et alia positiva. Signa negativa ea sunt quæ osten-

dunt aliquem non esse vocatum, quia ad officia ministerii sacri digne obeunda non est idoneus, ut certa difformitas corporis, quidam defectus animi, infamia, habitus peccandi præsertim contra castitatem, naturalis levitas et dissipatio, tædium pietatis, sensibus obsequium, pigritia, languor et negligentia in Dei servitio, genium sæculare in habitu, in gestu, in locutione, in incessu, etc.

Signa positiva ea sunt quæ manifestant aliquem vere esse vocatum, qualia sunt immunitas a vitiis, tum corporis, tum animi, modo recensitis, et de quibus fusius dicemus in Tractatu *de Irregularitatibus;* aptitudo et idoneitas ad functiones sacras rite obeundas, naturalis et constans inclinatio ad statum clericalem, flagrans desiderium Deo serviendi, gloriam ejus et salutem animarum procurandi, recta intentio et innocentia vitæ, *de quibus mox dicturi sumus.*

Media autem adhibenda ut quis vocationem suam tuto cognoscat, sunt : 1° oratio qua dicetur Deo cum Psalmista, Ps. CXLII, 8 et 10 : *Notam fac mihi viam in qua ambulem... Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu;* 2° indifferentia, id est, desiderium voluntatem Dei cognoscendi, et talis mentis dispositio, ut sincere paratus sit ei sibi manifestatæ statim obedire; 3° externa et libera admissio; episcopi enim et virorum ab eo ad hoc delegatorum est eligere eos qui ordinandi sunt : « Nullus debet » ordinari, inquit concilium Trid., sess. 23, cap. 16 de » Reform., qui judicio episcopi non sit utilis aut necessa» rius suis ecclesiis. » Qui ergo ea via non admissus vel fraudulenter admissus esset, illicite ordinaretur; 4° consilium viri prudentis, in rebus ecclesiasticis versati, cui tota vita et conscientia cum omnibus latebris ac recessibus suis in magna simplicitate denudari debent; Sapientia enim in Eccli. XXXII, 24, ait : *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis* : porro si nihil grave faciendum sit sine consilio, maxime ubi agitur de proposito tanti momenti. Ita jugiter censuerunt sancti Patres, catholici episcopi et doctores. Ergo.

Fieri potest ut quis vocatus fuerit, et tamen ordinari

non debeat, quia vel vocationem suam amisit, v. g., luxuriando, famam lædendo, etc., vel suæ vocationi non sufficienter respondit : in priori casu, dimittendus est; in posteriori, probandus, donec tempus perditum reparaverit, et ordinatione digniorem se effecerit.

Nullum est dubium quin non vocatus mortaliter peccaturus sit, si nihilominus ad ordines sacros accedere audeat : 1° propter reverentiam sacramento debitam; 2° propter injuriam quæ Deo infertur; 3° propter innumera, ingentia et fere irreparabilia quæ inde secutura sunt mala.

Petitur quid consulendum aut præscribendum sit clerico in sacris ordinibus constituto et non vocato.

R. 1° Si nondum sit sacerdos, altius non debet ascendere, nisi culpam pœnitentia deleverit, et longa experientia compertum habuerit se absque temeritate gradus superiores suscipere posse. 2° Si ad sacerdotium jam pervenerit, vel functiones sacras sine proximo peccandi periculo exercere potest, vel non : si prius, in divini ministerii exercitio remanere poterit, de culpa gemens, dolens et sincere pœnitens : si vero posterius, quod ordinarie contingit, conditio ejus ultra modum est luctuosa, maxime in præsenti rerum statu : olim hujusmodi viri temere aut culpabiliter ordinati, vitam monasticam eligere et sic a periculis remoti salvari poterant. Nunc vero quid agere possunt? Functiones sibi periculosas et quas contaminant deserere tenentur, quantumcumque inde patiantur incommodum : quædam tantum existunt monasteria Cisterciensium, vulgo *Trappistes*, quorum disciplinam multi amplecti nolunt, aut sustinere nequeunt. Quid igitur infelici clerico in tanto discrimine constituto suadendum sit? Nescimus : nulla miserabilior extremitas fingi potest.

Quam exoptandum est ut eam cum plena fide intueantur, tum ordinandi, ne temere accedant; tum ordinati, ne a gratia sibi concessa excidant, sicut excidit Judas.

2° *Intentio recta.*

Quælibet actio humana non potest esse bona, nisi ex intentione recta procedat : *a fortiori* hæc pura requiritur intentio ubi agitur de re gravi, in ordine supernaturali, qualis est electio status ecclesiastici. Unde sequitur eos mortaliter peccare, qui bona temporalia, dignitatem, honorem, familiæ sustentationem, vitæ commoditates, a militia exemptionem, etc., principaliter sibi proponunt. Finis igitur principalis et immediatus, quem unusquisque ordinandus intendere debet, est gloria Dei, honor Ecclesiæ, salus æterna animarum et propria sanctificatio. Cætera vero aut contemni debent, quod melius; aut ad summum secundario tantum considerari possunt.

3° *Sanctitas probata.*

Indubium est statum gratiæ necessarium esse ad ordines licite suscipiendos, siquidem sacramentum Ordinis est vivorum, non vero mortuorum; at ii omnes qui absolutione sacramentali digni sunt, non ideo licite ordinari possunt, sed diuturna et probata requiritur sanctitas, quæ perseveratura legitime præsumatur; idque constat :

1° *Ex Scriptura sacra.* I Tim. III, 2, 6 et 10 : *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse... non neophytum... diaconos similiter pudicos... et hi probentur primum.* Porro hæc verba non tantum actualem gratiæ statum exprimunt, sed habitum sanctitatis.

2° *Ex jure canonico.* Decretal. l. 1, tit. 13, cap. 9 : « Nemo ad sacrum ordinem permittetur accedere, nisi » aut virgo, aut probatæ castitatis ; » et ex multis aliis canonibus.

3° *Ex concilio Trid.* sess. 23, cap. 13, de Reform. : « Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium.... qui sperent, Deo auctore, se continere » posse. »

4° *Ex unanimi doctrina sanctorum Pontificum, episcoporum et doctorum.*

5° *Ex ratione.* Certum est nihil magis formidandum

esse clerico sacris initiato, quam relapsus in peccata mortalia, præsertim contra castitatem : porro experientia constat eos qui consuetudinem in hoc genere peccandi habuerunt, sæpe recidivos fieri, et in ipso functionum suarum exercitio multas invenire occasiones sibi valde periculosas : ergo.

Unde in primis Ecclesiæ sæculis, ut ostendit *Martène*, t. II, qui post susceptum baptismum graviter peccabant, a recipiendis ordinibus arcebantur, et a susceptis deponebantur : igitur innocentia baptismatis requirebatur, et quicumque pœnitentiæ publicæ subjectus fuerat, eo ipso judicabatur irregularis.

Postea permissum est ut, exigente necessitate, pœnitentes ostiariis vel lectoribus accenseri possent; deinde ab undecimo sæculo, eadem concessa est indulgentia pro ordinibus sacris, ut patet ex Decreto, 1ª parte, dist. 34, can. 7, et ex Decretal. l. 1, tit. 11, cap. 4. *A fortiori* occulti peccatores, vere pœnitentes, emendati et sufficienter probati, ad sacros ordines nunc admitti possunt, tum in foro externo, tum in foro interno.

Quanto autem tempore probandi sunt recidivi in peccato luxuriæ, ut ad sacros ordines tuto admitti possint, regula generali definire impossibile est : id quippe a multis pendet circumstantiis, nempe a natura culparum, a frequentia relapsuum, a sinceritate in confessione, a proposito emendationis, a conatibus factis et successibus obtentis, a fidelitate in vitandis tentationibus, vel in eis repellendis, ab indole naturali, etc.

Hinc 1° qui jam puberes turpia perpetrarunt cum aliis personis sive ejusdem, sive alterius sexus, non semel aut iterum et quasi ex inopinatis occursibus, sed voluntarie, deliberate, frequenter et per longum tempus, a statu ecclesiastico repelli debent, nisi forte extraordinaria conversionis, pietatis et castitatis exhibeant signa, nec non iis præditi sint dotibus quibus judicetur eos futuros esse perutiles Ecclesiæ.

Hinc 2° qui aliquoties tantum cum mulieribus peccata luxuriæ consummarunt, a ministerio sacro communiter

excludendi sunt, propter pericula quæ in illo exercendo necessario invenirent: ad ordines sacros igitur non admittendi sunt, nisi forte in monasterio, in collegio vel in alio loco a mulieribus sejuncti vitam agere debeant, aut nisi tanta conversionis præbeant indicia ut periculum relabendi judicetur improbabile.

Hinc 3° qui nunquam prædicta consummarunt peccata, sed vehementer inclinantur ad mulieres, libenter cum illis jocose loquuntur, nimia familiaritate utuntur, turpes cogitationes inde nascentes non ægre ferunt, eis quandoque adhærent, non apparent ferventes, neque in studio, neque in oratione, neque in aliis piis exercitiis, a sacris ordinibus arceantur: in periculis sacri ministerii naufragium facerent.

Hinc 4° qui inveteratam habuerunt consuetudinem in incontinentias secretas incidendi, onus perpetuæ castitatis non nisi imprudenter sibi imponerent, nisi a pluribus annis sincere conversi, non solum se contineant, sed sobrii sint, vigiles, laboriosi, a mundanis oblectamentis alieni, graves, modesti, pii et ferventes.

Hinc 5° qui in hujusmodi incontinentias quandoque relabuntur, sive in seminario, sive tempore feriarum, gallice *vacances*, etiamsi tam inveteratam consuetudinem sic peccandi non habuissent, probandi sunt donec diutius se continuerint et ferventius vivant. *Habert* requirit saltem spatium unius anni. Th. Rothomagensis dicit vix ac ne vix quidem spatium unius aut alterius anni, juxta consuetum rerum ordinem, sufficere; Collator Andeg. exigit saltem sex menses.

Si propriam opinionem emittere nobis liceat, arbitramur spatium duorum annorum perfectæ continentiæ communius nimium non esse; infausta enim experientia constat juvenes peccato incontinentiæ olim habituatos, in illud facillime iterum atque iterum prolabi, etiam post notabilia intervalla. Ut spes futuræ perseverantiæ merito habeatur, sedulo attendendum est ad indolem, ad conatus, ad specimina orationis, pietatis, fervoris. Iis igitur assentire non possumus confessariis, æstimantibus om-

nem ordinandum qui, ordinationem non suscepturus, absolutione dignus esset, eo ipso ad ordinationem accessurum absolvi posse; certum enim nobis videtur illum ad ordinem sine probatione sufficienti accedere volentem absolutione indignum fieri. Vide Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 11, cap. 2, n. 17; Collator. Andeg. *Etats*, t. 1.

S. Ligorius, l. 6, n. 63, speciali dissertatione probare intendit clericum in vitio turpi habituatum, cupientem sacris statim initiari, aliquando absolvi posse, si nempe confessarius ex validis conjecturis prudenter judicare possit illum per divinam misericordiam extraordinarie esse conversum; secus exigit ut « aliquandiu operam det » ad pravum habitum exstirpandum, et si ipse persistat » ordinem statim suscipere, non censeatur dispositus ad » absolutionem, quia legem Ecclesiæ violat in re gravi. » Casus extraordinariæ conversionis est exceptio regulæ, et rarissime occurrit.

Hinc 6° quod dicitur de vitio turpi, dicendum est, servata proportione, de aliis vitiis sanctitati ecclesiasticæ contrariis : juvenes igitur ebriosi, superbi, elati, iracundi, leves, rebus externis dediti, raro bene recollecti, circa pietatem indifferentes, in studiis negligentes, scientias ecclesiasticas fastidientes, libros profanos magis amantes, sæpe moniti et non emendati, nunquam sancti erunt sacerdotes : ab ordinibus igitur maneant exclusi. « Satius » est paucos bonos, quam multos malos habere ministros, » inquit Innocentius III in concilio Lateranensi IV; vel, ut habet Decretalis a Gratiano citata, Decreti part. 1, dist. 23, can. 4 : « Tales ad ministerium eligantur cle» rici, qui digne possint Dominica sacramenta tractare. » Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere mi» nistros, qui possint digne opus Dei exercere, quam mul» tos inutiles, qui onus grande ordinatori adducant. »

Multo magis timendum est ne habeantur ministri perversi et scandalosi, qui gregem Dei depascantur, mactent et perdant : ideo seminariorum directores enixe a Deo petere debent auxilium quo in re tanti momenti recte

judicent, et ipsi ordinandi alium sollicite quærant Ananiam qui eis ostendat viam in qua ambulare debeant.

4° *Scientia competens.*

Non eadem pro singulis ordinibus requiritur scientia. Qui ordinandi sunt ad primam tonsuram, scire debent rudimenta fidei, legere et scribere, concil. Trid., sess. 23, cap. 4 de Reform.; qui ad minores ordines, linguam latinam intelligant, et scientiæ spes eos majoribus ordinibus dignos ostendat, ibid., cap. 11; subdiaconi et diaconi ea sciant quæ ad ordinem exercendum pertinent, ibid., cap. 13; sacerdotes ad docendum populum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ac administranda sacramenta, diligenti examine præcedenti, idonei comprobentur, ibid., cap. 14.

Eis qui ad sacerdotium eo fine tantum promoventur, ut potestatem in verum Christi corpus habeant, quales sunt religiosi contemplativi, ordinaria sufficit scientia de sacrificio rite perficiendo : eis vero qui in sæculo, ut simplices sacerdotes ministerium activum non exercentes, vivere debent, aliqualis saltem necessaria est scientia de requisitis ad sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis valide ac licite administranda, quia in necessitate ea administrare tenentur. Eis tandem quibus committenda est cura animarum, sive titulo pastoris, sive ex delegatione, multo majori opus est scientia : ii namque scire debent quæ sunt legis Dei et Ecclesiæ, et quidquid populus scire, credere ac observare tenetur ut ad salutem perveniat, juxta hæc Malachiæ verba, II, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus.* Ordinandi, ab episcopo aut ab ejus delegatis rite examinati et capaces reperti, ad ordinationem tuto accedere possunt; qui, e contra, sine prævio examine, aut examinatorem fallentes, per fraudem admitterentur, mortaliter peccarent et forte suspensionem incurrerent, ut pote irregulares, quod in Tractatu *de Irregularitatibus* ostenditur.

Præter scientiam stricte necessariam, alia major scientia, tum divina, tum humana, valde utilis est et exoptanda,

maxime in temporibus nostris. Unde episcopus qui in majori numero habet ordinandos, capaciores et simul digniores eligere tenetur, dum alius mere sufficientes admittet. Candidati ergo ab uno episcopo propter nimiam alumnorum multitudinem repulsi, alteri penuriam clericorum patienti tuta conscientia se præsentare possunt.

5° *Ætas legitima.*

In primis Ecclesiæ temporibus infantes, nondum puberes, clerici et lectores creabantur, ut in ministerio ecclesiastico crescentes, ad functiones ejus digne obeundas aptiores fierent. Ad pubertatem autem provecti, libertatem habebant uxores ducendi, aut continentiam profitendi. S. Gregorius Magnus statuit ut provectiores ætate et non pueri ordinarentur; Bonifacius VIII prohibuit ne episcopus infanti septennio minori tonsuram clericalem conferret.

Concilium Tridentinum nullam determinavit ætatem pro tonsura et minoribus ordinibus : mos receptus et multis synodis diœcesanis confirmatus est, ut tonsura ante decimum quartum annum non conferatur. Quoad ordines sacros, sic habet concilium Trid., sess. 23, cap. 12 de Reform. : « Nullus in posterum ad subdiaconatus ordi- » nem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante » vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum » quintum ætatis suæ annum promoveatur. »

Pro episcopatu statuitur in Decretal. l. 1, tit. 6, cap. 7, « ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam trigesi- » mum annum ætatis exegerit. » Ex concordato inter Leonem X et Franciscum I, viginti et septem tantum requiruntur anni in Gallia.

Cum autem concilium numero ordinali utatur, sufficit ut annus requisitus sit incœptus. Unde, v. g., statim atque annus vigesimus et unus impletur, ad subdiaconatum accedere licet; contra vero, qui die ordinationis annum vigesimum primum meridie completurus est, ante hanc horam ordinari non potest.

Qui ante requisitam ætatem in mala fide ordinaretur,

sine dispensatione, maneret suspensus ; qui vero in bona fide ordinem susciperet, probabilius suspensus non esset, sed functiones ordinis suscepti ante completam ætatem exercere non posset.

Dispensatio ætatis ad ordines suscipiendos reservatur summo Pontifici, qui eam concedere non solet, nisi pro suscipiendo sacerdotio, propter Ecclesiæ necessitatem aut utilitatem.

6° *Locus decens.*

Ex concilio Tridentino, sess. 23, cap. 8 de Reform., ordines conferri debent publice in ecclesia cathedrali : « Ordinationes... vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ » canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio diœce- » sis loco, præsente clero loci; dignior, quantum fieri » potest, ecclesia semper adeatur. » Usu tamen receptum est ut episcopi ordines in proprio sacello, vel in alia æde sacra pro nutu suo conferant.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in majori altari cathedralium residere non deberet, propter functiones pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. Congreg. Rit. 24 nov. 1590.

Cum in omnibus moraliter Galliarum cathedralibus nunc existat parochia, et officium capitulare diebus dominicis et festivis sit etiam parochiale, communiter sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in tabernaculo majoris altaris asservatur. Tunc auferri debet diebus ordinationum, saltem immediate ante pontificis actionem, et omnes ordinandi communicare debent ex formulis a pontifice in missa ordinationis consecratis.

7° *Tempus statutum.*

Prima tonsura conferri potest quocumque die, hora et loco, ut expresse dicit Pontificale.

« Minores vero ordines possunt dari singulis domini- » cis, festivis diebus duplicibus ex præcepto, ubicumque, » in mane tamen. » Propria sunt verba Pontificalis.

« Licitum est episcopis dominicis aut aliis festivis die-

» bus, unum aut duos ad minores ordines promovere, » inquit Alexander III, in Decretal., l. 1, tit. 11, cap. 3. Imo, ex usu, plures his diebus ordinare licet, dummodo non tot sint, quod videatur esse ordinatio generalis.

Per dies festivos hic designatos, ii solum intelligendi sunt qui a populo coluntur et servantur, ut expresse declaravit Congreg. Concil.

Ex consuetudine plurium ecclesiarum, minores ordines feria sexta aut quarta Quatuor temporum ante ordinationem generalem sabbato faciendam vespere conferuntur, ut sæpe fit in Gallia, et sic ordinati ordinationi generali assistunt atque sacram communionem de manu pontificis accipiunt. Hanc consuetudinem reprehendi non posse multi doctores affirmant, ut *Layman, Ferraris,* S. Ligorius, etc.; eam tolerari posse respondit Congr. Concil., die 13 aprilis 1720, *sed expedire ut episcopus se conformet Pontificali Romano,* tit. de Minoribus Ordinibus.

Majores autem ordines sabbato tantum singulorum Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis et sabbato sancto tempore missæ jure conferri possunt : sic statutum est in multis juris canonici locis, v. g., Decreti 1ª parte, dist. 75, cap. 7, Decretal. l. 1, tit. 11, cap.3 . Si unus episcopus ordines conferret, alio episcopo celebrante, valida, sed illicita foret ordinatio; S. Ligorius, l. 6, n. 744. Missa, diebus statutis, debet esse de feria, cum paramentis feriæ propriis, etsi hac die occurrat festum duplex, v. g., S. Thomæ vel S. Matthæi, et episcopus celebret absque cantu; idque ex pluribus S. Rit. Congr. decisionibus.

Diximus *jure,* quia, ex dispensatione summi Pontificis, quæ dicitur *extra tempora,* aliis diebus sacri ordines conferri possunt, sed diebus dominicis aut festivis de præcepto, ut respondit S. Congr. Concil. 15 januarii 1589, referente Bened. XIV, Inst. 106, n. 5. Festa apud nos solemnizata, in quibus scilicet officium publice et ritu antiquo celebratur ac populo annuntiatur, sed absque obligatione assistendi et ab operibus servilibus abstinendi, reputantur de præcepto quoad ordinationes extra tempora

faciendas, ut Leo XII, hac de re consultus, viva voce respondit.

Ex privilegiis a variis Pontificibus concessis, regulares ordinari possunt diebus dominicis et festivis, absque nova summi Pontificis dispensatione. Ita *Ferraris,* v° *Ordo,* art. 2, n. 13; *Billuart,* S. Ligorius, l. 6, n. 797, et multi alii.

Episcopatus quovis die dominico vel alicujus Apostoli natalitio confertur; aut etiam die festivo, si summus Pontifex hoc specialiter indulserit. *Pontifical. Rom.*

8° *Interstitiorum servatio.*

Per interstitia intelligendum est intervallum temporis quod inter susceptionem unius et alterius ordinis excurrere debet.

Inter minores ordines quædam servanda sunt interstitia nisi aliud episcopo expedire magis videatur, ut in concilio Trid., sess. 23, cap. 11 de Reform., statuitur; tempus non determinatur: ex consuetudine autem apud nos recepta, quatuor minores ordines nunc eodem die conferuntur.

Stricte prohibetur, ibid., cap. 13, ne duo sacri ordines eodem die etiam regularibus conferantur, idque sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ut patet ex Decretal., l. 1, tit. 11, cap. 13 et 15, et l. 5, tit. 30, cap. 3.

Quidam opinati sunt subdiaconatum eodem die cum minoribus ordinibus conferri posse, quia concilium Trid. prohibere tantum videtur ne duo sacri ordines eodem die conferantur; sed communis sententia contrarium tenet, et Bened. XIV eam Inst. 106, n. 2, fortiter tuetur, et solam sequendam esse docet.

Tempus autem inter singulos ordines jure præscriptum est, ab ultimo minore ordine ad subdiaconatum, unus annus; a subdiaconatu ad diaconatum, unus annus; a diaconatu ad presbyteratum, saltem unus annus, nisi aliud episcopo videatur; concil. Trid., sess. 23, cap. 13 et 14 de Reform. Episcopus igitur habet facultatem ab interstitiis dispensandi, si expedire ipsi videatur, videlicet *ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem,* ut ait concil.

Trid., ibid., cap. 14, agendo de presbyteratu conferendo : sola Ecclesiæ utilitas exprimitur ubi de subdiaconatu et diaconatu agitur.

9° *Titulus requisitus.*

Ne clericus, cum dedecore Ordinis sui, stipem quærere aut aliquod munus sordidum exercere cogatur, statutum est in variis conciliis, præcipue in Chalcedonensi, anno 451, in Lateranensi III, anno 1179, in Trident., sess. 23, cap. 16, ut nullus ordinetur nisi habeat titulum sufficientis sustentationis, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex professione in monasterio.

Olim necesse erat ut singuli ordinandi alicui ascriberentur ecclesiæ, cui pro gradu suo deservirent et unde sufficientem haberent sustentationem ; postea creata sunt beneficia simplicia residentiam non requirentia : quando ad honestam sustentationem sufficiebant, eorum titulares ad varios ordines admitti poterant. Titulum ex patrimonio formatum admisit Alexander III, in concilio Lateranensi III ; constat ex Decretal. l. 3, tit. 5, cap. 4. Hinc canonistæ putarunt clericos indiscriminatim ordinari posse titulo beneficii, vel patrimonii ; sed concil. Trid., sess. 21, cap. 2 de Reform., habet titulum beneficii ut legitimum et ordinarium, titulum vero patrimonii ut extraordinarium et quasi ex dispensatione admittendum, cum nimirum Ecclesiæ utilitas vel necessitas postularet ut aliquis ex hoc solo titulo ordinaretur.

In Gallia lex civilis diei 8 aprilis 1802, vulgo *Articles organiques*, prohibuit episcopis, art. 26, ne ullum clericum sacris initiarent, nisi probaret se patrimonium, trecentos nummos annuos (*trois cents francs*) producens, habere. Nunquam episcopi assenserunt huic dispositioni, bono ecclesiarum regimini omnino adversæ, sed, ea contempta, sacros ordines indiscriminatim contulerunt eis omnibus quos ecclesiis suis necessarios vel utiles judicabant, nullum exigentes titulum, quia multo pluribus adhuc sibi opus fuisset sacerdotibus : ubi vero non habebunt officia ecclesiastica committenda, novos ordinare non

poterunt subdiaconos titulo sufficienti destitutos, alioquin tenerentur, juxta sacros canones, vel congruentem sustentationem eis præstare, vel munus ecclesiasticum in alia diœcesi procurare.

Quando probabilis affulget spes eos convenienter, intra tempus non longum, sive in propria sive in aliena diœcesi collocandi, aspirantes bene dispositos, interrogatos et consentientes, ordinare potest episcopus.

Sicut autem episcopus sustentare non tenebatur clericum cum debita diligentia ordinatum, cujus titulus deprehendebatur fictitius, aut casu perierat, ita nunc alere non tenetur eum qui propria culpa munere ecclesiastico se constituit indignum, nec eum qui aliunde sibi providere potest, v. g., ex honestis laboribus, vel qui habet patrem divitem, quia pater jure naturali filium alere debet. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 813 et seq.

10° *Ordinatio gradatim et non per saltum.*

Qui ad superiorem ascendit ordinem, neglecto medio, dicitur promotus *per saltum*; Decretal. l. 5, tit. 29, cap. 1. Si ex mala fide sic agat, non solum mortaliter peccat, sed insuper suspensionem ab exercitio suscepti ordinis incurrit; si non ministraverit, episcopus ex legitima causa eum dispensare poterit; concil. Trid., sess. 23, cap. 14 de Reform. Si vero dolo caruerit, non peccavit, nec suspensionem tanquam censuram incurrit : ab exercitio tamen suscepti ordinis prohibetur, donec susceperit ordinem quem omisit.

In utroque casu, ex unanimi theologorum sententia, valet ordo *per saltum* collatus, excepto episcopatu, qui absque sacerdotio prævio valide conferri non potest.

P. *Morinus* demonstrat, 3ª parte, Exercit. 99, cap. 2 et 3, antiquitus inferiores ordines quandoque omissos fuisse, ut superior statim conferretur ; quidquid sit de illo facto ab aliis negato, certum est nullum nunc inferiorem ordinem absque gravi peccato voluntarie omitti posse, et omissionem ex quacumque causa factam semper reparandam esse.

Quod ad irregularitates attinet, in speciali de illis Tractatu dicemus.

CAPUT SEXTUM.

DE OBLIGATIONIBUS PER ORDINES IMPOSITIS.

Tres potissimum obligationes ordinibus sacris sunt annexæ, videlicet obligatio cælibatum servandi, obligatio officium recitandi, et obligatio habitum clericalem ferendi.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OBLIGATIONE CÆLIBATUM SERVANDI.

In Tractatu *de Matrimonio* probavimus, adversus Jovinianum et Protestantes, cælibatum pro Deo electum juri naturæ non adversari, sed e contra matrimonio præstare. Nunc quæstio est an obligatio illum perpetuo servandi ordinibus sit annexa et quo jure.

Quidam arbitrati sunt illum ab ipso Christo fuisse præscriptum; hanc opinionem omnes rejiciunt ob duplicem præsertim rationem : 1° quia nullus profertur textus Scripturæ, nullumque traditionis monumentum quo illa nitatur; 2° quia summi Pontifices ab hac lege non semel dispensarunt, et maxime Pius VII temporibus nostris, ea tamen conditione ut sic dispensati ministerio sacro non inservirent.

PROPOSITIO.

Perpetuus cælibatus ordinibus sacris jure ecclesiastico est annexus in Ecclesia Latina.

Prob. Hæc propositio antiquissima et perpetua nititur traditione; inter multa enim quæ citari solent testimonia, præferamus sequentia.

Origenes, Homil. 23 in Num., n. 3 : « Videtur mihi, » inquit, quod illius solius est offerre sacrificium indesi-

» nens, qui indesinenti et perpetuæ se devoverit castitati. »

S. Hieron., Epist. 30 adversus Jovinianum, part. 2 : » Episcopi, presbyteri et diaconi aut virgines eligantur, aut » vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici. »

Siricius papa, Epist. ad Himerium Tarracon., aiebat anno 395 : « Sacerdotes omnes atque levitæ (id est dia- » coni) insolubili lege constringimur, ut a die ordinatio- » nis nostræ sobrietati et pudicitiæ corda nostra mancipe- » mus et corpora. » *Labbe*, t. II.

S. Epiph., Hæres. 59, testatur sacrosanctam Dei Ecclesiam ad diaconi, presbyteri, episcopi aut subdiaconi ordinem non admittere conjugatos ; « sed eum duntaxat » admittere, qui ab unius uxoris consuetudine sese con- » tinuerit, aut ea sit orbatus, quod in illis locis præcipue » fit ubi ecclesiastici canones accurate servantur. »

Innumera concilia eamdem legem, ut jam existentem et antiquam, sanxerunt, renovarunt aut confirmarunt, ut videre est apud *Thomassin,* part. 1, l. 1, cap. 43 et 44 ; *Conf. d'Ang., de l'Ordre.* Duo tantum seligemus.

Carthag. II, circa annum 300 celebratum, can. 2, hæc habet : « Ita placuit et condecet sacrosanctos antistites et » Dei sacerdotes, nec non et levitas, vel qui in sacramen- » tis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, » quo possint simpliciter quod a Deo postulant impe- » trare, ut quod Apostoli docuerunt et id ipsa servavit » antiquitas, nos quoque custodiamus. » *Labbe,* t. II.

Conc. Trid., sess. 24, can. 9, sic definit : « Si quis dixe- » rit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares » castitatem solemniter professos, posse matrimonium » contrahere, contractumque validum esse, non obstante » lege ecclesiastica, vel voto.... anathema sit. » Patet ergo hanc institutionem esse antiquissimam et ipsis tribuendam esse Apostolis, ut patres concilii Carth. II affirmant, juxta regulam a S. Aug. traditam et a nobis sæpe repetitam : « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis in- » stitutum sed semper retentum est, non nisi ab Aposto- » lis traditum rectissime creditur. »

Diximus 1° *ordinibus sacris,* qui nunc sunt episcopa-

tus, presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus; qui enim minores ordines tantum susceperunt, a matrimonio non prohibentur, sed ipso facto a privilegiis et juribus ecclesiasticis excidunt. Cum subdiaconatus inter minores ordines diu computatus fuerit, in primis Ecclesiæ sæculis subdiaconi ad cælibatum non fuerunt astricti : unde S. Hieron., Siricius et concil. Carth. II de solis episcopis, presbyteris et diaconis loquuntur.

S. Gregorius Magnus, in prima parte Decreti, dist. 28, can. 1 et 2 relatus, prohibet ne deinceps ordinentur subdiaconi qui se caste victuros non promiserint. Innocentius II, ibid., can. 2, decernit ut qui, in ordine subdiaconatus constituti, uxores duxerint, officio et beneficio ecclesiastico careant. Ab eo tempore subdiaconi in Ecclesia occidentali ad custodiendam perfectam castitatem obligati sunt, et qui ante ordinationem erant conjugati ab uxoribus, sicut diaconi, presbyteri et episcopi, abstinere tenentur.

Diximus 2° *jure ecclesiastico*, tum ut jus divinum excluderemus, tum ut a quæstione inter theologos agitata abstineremus; quærunt enim theologi an obligatio castitatis ex lege ecclesiastica eam imponente proveniat, an vero ex voto ordini sacro auctoritate Ecclesiæ annexo, quod necessario emittit quicumque ordinem voluntarie suscipit. Alii unam, alii alteram defendunt sententiam : hanc quæstionem definire noluerunt patres Tridentini, ut narrat Palavicinus, l. 23, cap. 9, n. 2, sed tantum errorem Lutheri damnare, utendo ipsius verbis, *non obstante lege ecclesiastica vel voto*.

Quæcumque sententia defendatur, omnes fatentur eum qui sacrum ordinem suscepit, non solum contra castitatem, sed etiam contra religionem peccare, si a continentia decidat. Communiter docent insuper auctores eum qui ordinem sacrum suscepisset, absque intentione se ligandi, nihilominus ad continentiam teneri.

Diximus 3° *in Ecclesia Latina;* in Ecclesia enim Græca non eadem est omnino disciplina. Nullus in ordine sacro constitutus uxorem ducere potest; episcopis stricte prohi-

bitum est propria uxore uti post ordinationem. At in concilio Quinisexto, seu in Trullo, anno 692 celebrato, statuitur canone 13 : « Si quis dignus inventus fuerit qui » subdiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is » ad talem gradum assumi non prohibeatur, si cum legi- » tima uxore cohabitet; sed neque ordinationis tempore » ab eo postuletur ut profiteatur se a legitima cum uxore » consuetudine abstenturum, nec ex eo a Deo constitu- » tas et sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere » cogatur. » *Labbe*, t. IX.

Hanc regulam huc usque apud Græcos etiam catholicos vigentem Ecclesia Romana toleravit, quia persuasum habet continentiam clericis lege divina non esse præscriptam.

Quæritur an continentia ordinibus sacris sapienter fuerit annexa.

R. affirmative. 1° Ut qui ad immolationem agni immaculati cooperantur, sua puritate tanto ministerio digniores efficiantur ; si enim David et milites ejus panes Propositionis manducare non poterant, nisi aliquandiu ab uxoribus abstinuissent, I Reg. XXI, « quanto magis hi sacerdotes et » levitæ pudicitiam ex die ordinationis servare debent, » quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine succes- » sione est, nec præterit dies qua vel a sacrificiis divinis, » vel a Baptismatis officio vacent. » Sic Innocentius I, Epist. 3 ad Exuperium; *Labbe*, t. II. 2° Ut ministri sacri orationi liberius vacare possint; opera enim carnis etiam licita animam deprimunt et quodammodo carnalem reddunt. 3° Ut a negotiis hujus mundi expediti, solliciti sint quomodo placeant Deo, et operibus charitatis ardentius incumbant : *Qui* enim *cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est,* I Cor. VII, 38. 4° Ut integræ castitatis honore majorem sibi concilient venerationem, omnem suspicionem libidinis vel seductionis puellarum sub prætextu matrimonii ineundi amoveant. 5° Ut sibi tantum providere debentes, victu et vestitu sint contenti, atque omne temporale lucrum parum requirentes, sublime ministerium sibi concreditum honorabilius reddant.

Qui sacerdotes catholicos perfectam castitatem servantes et bonis operibus totos incumbentes comparabit cum ministris protestantibus uxorum et liberorum curam habentibus, sentiet quanta inter utrosque existat distantia.

Nunc vix quidam cælibatum ecclesiasticum fideliter servatum impugnant; præstantiores scriptores illum, e contra, fortiter commendant, v. g., *Feller, Catéchisme philosophique; De Maistre, Soirées de Saint-Pétersbourg; Annales de philosophie chrétienne,* passim et præsertim anno 1833, p. 293; *Jager, du Célibat ecclésiastique;* DD. *Pavy, Lettres sur le célibat ecclés.,* etc.

Leibnitz, licet protestans, sic habet, Syst. theologic., p. 328: « Etsi matrimonium sit sacramentum et irreprehensibile censeri debeat, fatendum tamen est ob manifestas rationes et consensum populorum et verba expressa Scripturæ sacræ, plus laudis habere cælibatum caste servatum... Itaque paulatim eo contendit ac tandem pervenit Ecclesia maxime occidentalis ut sacerdotes cælibes essent. »

COROLLARIUM.

Sequitur ex dictis clericos teneri, ratione obligationis sibi impositæ, 1° ab his omnibus cavere quæ ipsorum castitatem periculo exponerent, eorumque statum purum et castum dedecerent, quales sunt lectio librorum obscenorum, curationes quorumdam morborum, etc.; 2° ab omni familiaritate cum feminis, præsertim junioribus, abstinere; 3° strictissime stare legi ecclesiasticæ, quæ sub gravi prohibet clericis in sacris ordinibus constitutis, ne in domo sua extraneas feminas retineant, nisi bonæ sint famæ, et ætatis provectæ. Concilium Nicænum I, can. 3, ait: « Omnibus modis interdixit sancta synodus, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli clericorum omnino licere secum habere subintroductam mulierem, nisi forte mater sit, aut soror, aut avia, aut amita, aut matertera. »

Lex ista sæpissime fuit renovata in conciliis, tum generalibus, tum provincialibus, et in innumeris synodis

diœcesanis, ut videre est apud libr. cui titulus *Conf. d'Ang.*, *Etats,* etc. Quandoque severior fuit, et aliquando paulo remissior, sed nunquam sublata est, nec substantialiter mutata.

In synodo Cenomanensi, anno 1851 habita, sic exprimitur : *Nullus clericus habeat secum habitantem mulierem quæ quadraginta non compleverit annos, et insuper integra non gaudeat fama. Declaramus hanc legem sub gravi obligare. Excipimus matrem, materteram, amitam et sororem; excipimus etiam filiam fratris aut sororis, et modo triginta saltem annos nata sit, aut duodecim nondum compleverit. Secus, non nisi gravibus de causis necessaria obtenta fuerit dispensatio.*

Similiter soror parochi triginta saltem erit annorum, si vicarius in domo presbyterali mansurus sit.

Nullus igitur clericus mulierem hac lege prohibitam apud se, sine dispensatione ab episcopo legitime obtenta, habere potest; Collator. Andeg. affirmat sine hæsitatione eum secus agentem mortaliter peccare : nec nos arbitramur eum absolvi posse, nisi vel mulierem dimittat, vel dispensationem, verum simpliciter dicendo, obtineat, supposito insuper quod nullum sit scandalum nec periculum.

Quantumvis conjunctæ sint mulieres, si occasionem præbeant scandalosæ suspicioni, dimitti debent, et sacerdotes eas dimittere renuentes, ab officio suspendi et beneficio privari possunt, sola episcopi auctoritate; concil. Trid. sess. 25, cap. 14 de Reform.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIVINO OFFICIO.

Officium in genere significat quod unusquisque efficere debet; et officium divinum, quod erga Deum præstare tenemur. Vulgo per divinum officium intelligitur corpus orationum et lectionum a quibusdam personis certis diebus recitandarum. Dicitur etiam 1° *officium ecclesiasticum,* quia nomine Ecclesiæ persolvitur; 2° *officium canonicum*

vel *horæ canonicæ*, quia juxta sacrorum canonum regulas recitandum est, et horis determinatis diei vel noctis respondet; 3° *breviarium*, quia mirabile est compendium Veteris ac Novi Testamenti, Sententiarum Patrum, Vitæ Sanctorum et precum Ecclesiæ.

Breviter dicturi sumus 1° de origine, divisione et obligatione divini officii; 2° de ejus ordine, tempore, integritate et continuatione; 3° de intentione et attentione in eo recitando, ubi de loco et situ; 4° de causis ab eo excusantibus.

§ I. — De origine, divisione et obligatione divini officii.

1° Divinum officium, quoad substantiam, tempore Apostolorum inchoatum esse videtur: colligitur 1° ex Act. Apost. x, 9: *Ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam;* et xvi, 25: *Media autem nocte, Paulus et Silas orantes, laudabant Deum.* 2° Ex Constit. Apost. S. Clementi vulgo ascriptis, quæ, l. 8, cap. 34, hæc habent: « Precationes facite mane, tertia hora, et sexta, et » nona, et vespere, atque ad galli cantum. » S. Cyp. lib. de Oratione Dominica, sub fine; Prudentius in sæculo quarto; S. Ambros., de Vig., l. 3, cap. 4; S. Hieron., Epist. 8, ad Demetriadem virginem, 2ª part., de diversis horis in Constitutionibus Apost. memoratis loquuntur.

2° Horas canonicas in primis temporibus usitatas, et ex psalmis aliisque Scripturæ sacræ partibus præcipue compositas, S. Damasus, S. Gelasius et S. Gregorius Magnus successive in nova constituerunt forma. Eas longiores primus contraxit S. Gregorius VII qui supremum pontificatum ab anno 1073 ad annum 1082 obtinuit, et inde natum esse vocabulum *breviarium* plures arbitrantur. Advertit *Fleury*, l. 64, n. 64, se prima vice hoc nomen invenisse in epist. archiep. Lugd. anni 1099.

Deinde hoc Breviarium diuturnitate temporis a prima institutione deflexum, opera Generalis Fratrum Minorum reformatum pro toto S. Francisci ordine, a Gregorio IX fuit approbatum anno 1241. Postea officiis Conceptionis B. Mariæ Virginis et aliorum sanctorum a S. Bonaven-

tura ei adjectis, a Nicolao III, anno 1277 ad summum pontificatum assumpto, pro ipsa Ecclesia Romana fuit admissum.

Cardinalis *Quignonez,* franciscanus, jussu Clementis VII de novo contraxit Breviarium, tres tantum assignans psalmos singulis horis canonicis, longitudine unius cum brevitate alterius compensata, ut diurna recitatio esset semper fere eadem. Ita tamen divisum erat psalterium ut integrum singulis hebdomadis recitaretur. Ad matutinas nunquam plures quam tres recitabantur lectiones cum tribus psalmis.

Breviarium istud, a Paulo III, Julio III et Paulo IV approbatum, a Facultate Parisiensi anno 1535 censuris affectum, per 40 circiter annos fuit in usu. Ejus tamen recitatio non fuerat præcepta, sed tantum permissa, et in multis aliis ecclesiis non fuit adoptata. Hinc Romæ, et in multis aliis locis nata est diversitas et ingens confusio in modo orandi et psallendi.

3° Concil. Trid. malo huic remedium afferre volens, jussit, sess. 25, ad calcem, ut auctoritate summi Pontificis nova fieret recognitio Breviarii et Missalis Romani injuria temporum aliisque causis vitiati. S. Pius V, bulla *Quod a nobis,* 9 junii 1568, Breviarium cardinalis *Quignonez,* dicti Sanctæ-Crucis, quia ipsius titulus erat ecclesia Sanctæ-Crucis-de-Jerusalem, Romæ existens, omnino abolevit. Alia pariter suppressit, tum romana, tum aliena, quæ ex institutione vel consuetudine legitima non superarent ducentos annos. « Quæcumque alia Breviaria » vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab epi- » scopis in suis diœcesibus promulgata, omnemque illo- » rum usum de omnibus orbis ecclesiis... monasteriis, » et locis etiam exemptis, in quibus alias officium divi- » num Romanæ Ecclesiæ ritu dici consuevit aut debet; illis » tamen exceptis quæ, ab ipsa prima institutione, a Sede » Apostolica approbata, vel consuetudine quæ, vel ipsa » institutio, ducentos annos antecedat, aliis certis Brevia- » riis usas fuisse constiterit, quibus, ut inveteratum, illud » jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus. »

4° Hæc bulla non minus quam sæculares spectabat regulares, qui proprio Breviario a ducentis annis jam certo existente, aut a prima origine sua a Sancta Sede approbato, tunc non potiebantur.

Astringit tantum eos qui officium recitabant juxta ritum Romanum lato sensu sumptum, non vero eos qui sequebantur ritus prorsus diversos, uti Orientales, Mozarabicum, Ambrosianum.

5° Non paucæ Galliarum ecclesiæ erant in casu exceptionis a S. Pio V appositæ. Potuerunt ergo servare et communiter servarunt propria Breviaria : ea corrigere et reformare semper consueverunt, salva ritus Romani substantia, et ideo episcopi sæpe dixerunt in titulis ac in mandatis suis : *Ad normam Breviarii Romani* vel *ad Romani formam.*

Quid autem egerint aliæ Galliarum ecclesiæ quæ jus certum ad exceptionem non habebant, clare definire non possumus. Inter concilia provincialia tunc temporis celebrata, plura bullam S. Pii V receperunt, ut videre est apud. Bened. XIV, de Canonizatione SS. l. 4, part. 2, cap. 23, n. 3.

Insuper contingere potuit quod bulla a pluribus conciliis provincialibus recepta in multis locis non prævaluerit, sicut contigit de concilio Tridentino. Unum constat, scilicet in plerisque Galliarum diœcesibus, saltem a longo tempore, exstitisse consuetudinem vi cujus doctissimi et sanctissimi præsules proprium Breviarium corrigerent et de novo imprimerent, tempore quo studia ecclesiastica maxime apud nos florebant. Videatur Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 5, n. 3 et 4, et de Canoniz. SS. l. 4, part. 2, cap. 13, n. 6 et seq.

6° In ecclesiis Breviarium Romanum habentibus episcopus nova officia addere, vetera detrahere, ritum, lectiones aliave mutare propria auctoritate non potest, nisi forsan ex consuetudine legitime præscripta ; sed ea postulare et obtinere debet a Sancta Sede vel a S. Cong. Rit., ut constat ex Bullis S. Pii V, ex decreto Urbani VIII 8 aprilis 1628, etc. Ecclesiæ vero quæ proprium habent

Breviarium, illud in Breviarium Romanum mutare possunt, consentiente episcopo et universo capitulo, id est, ut explicat *Suarez,* de Horis canonicis, cap. 11, n. 4, majori parte totius capituli capitulariter agentis.

7° Totum officium divinum in septem horas dividitur, videlicet, Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium, juxta hæc Davidis verba, Ps. cxviii, 164 : *Septies in die laudem dixi tibi.* Matutinum dicitur etiam officium nocturnum aut vigiliæ, quia in nocte celebrari consueverat, secundum hæc alia ejusdem Prophetæ verba, Ps. cxviii, 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

Non pauci volunt Laudes a Matutino seu a nocturnis separandas, ac consequenter octo esse Horas canonicas, septem diei juxta verba Psalmistæ, et unam noctis. Vide *Suarez,* cap. 6.

8° Omnes clerici in ordinibus sacris constituti tenentur, sub peccato mortali, Horas canonicas recitare, ut constat ex variis textibus juris canonici ; ex concilio Basileensi, sess. 21, § *Quoscumque,* et ex antiqua Ecclesiæ consuetudine vim legis habente. *Ita omnes.*

Ad hanc obligationem tenentur clerici excommunicati, suspensi, interdicti, degradati, apostatæ, conjugati, in carcere detenti, ad triremes damnati, etc., nisi legitimam dispensationem a summo Pontifice obtinuerint. Qui dispensationem ad ducendam uxorem obtinerent, nulla facta mentione de divino officio, ad illud recitandum probabilius adhuc tenerentur, quia illius obligatio ab obligatione servandi castitatem separari potest : sic *Ferraris,* v° *Offic.,* art. 1, n. 24.

9° Quo præcise tempore hæc incœperit obligatio, ignoramus : scimus tantum eam esse antiquissimam, strictissimam et ordini sacro ita annexam, ut clerici valide ordinati illam ab instanti ordinationis suæ implere teneantur. Unde subdiaconus tenetur ad Horam quæ correspondet tempori quo fuit ordinatus, scilicet ad Primam si ante nonam horam, et ad Tertiam tantum si post nonam horam ordinetur.

Eadem obligatione ligantur religiosi et moniales ipsa votorum solemnium emissione, *ut alibi ostenditur.*

Subdiaconi, diaconi et presbyteri Ecclesiæ orientalis nulla lege expressa, canone aut concilii decreto ad recitationem officii divini adiguntur : attamen apud eos laudabilis invaluit consuetudo divinum officium recitandi. Bened. XIV, Const. *Eo quamvis tempore,* § 44.

10° Quamvis probabilius videatur non tot esse præcepta quot sunt horæ in die, sed unicum præceptum omnes horas ejusdem diei simul complectens, communissime tamen conveniunt theologi omissionem unius parvæ Horæ, vel Completorii, vel partis nocturni æquivalentis, peccatum esse mortale; omissionem vero minoris partis, lineam peccati venialis non excedere.

11° De obligatione canonicorum et regularium cantandi officium in choro hic non agimus, neque de obligatione beneficiatorum partem fructuum omissionibus officii correspondentem restituendi. Omnes conveniunt beneficiatos divinum officium non recitantes, teneri restituere fructus omissionibus factis correspondentes, et restitutionem faciendam esse pauperibus, præsertim pauperibus ecclesiasticis, ac ecclesiis quæ beneficiatorum suorum orationibus frustratæ sunt. Vide *Suarez,* cap. 29 et 30. Ipsi pastores officium divinum ex gravi culpa omittentes, ad proportionatam restitutionem tenentur; sed valde probabile est eos majorem partem retinere posse ob alia onera quæ subeunt. S. Ligorius, l. 4, n. 451.

Quæritur quo utendum sit Breviario.

R. 1° Certum est non esse privatorum clericorum disciplinam in una diœcesi receptam mutare aut reformare, episcopum sua agendi ratione condemnare. Nedum ergo contra proprium diœcesis suæ Breviarium insurgant, illud, tuta conscientia et absque ullo examine, recitare possunt, nisi forsan evidenter appareat illud esse graviter vitiosum; quod vix contingere potest, excepto casu in quo reclamaret Ecclesia.

2° Qui publico interest officio, non tantum obligationi suæ satisfacit se ritui particulari ecclesiæ conformando;

sed ex convenientia et ad mentem Ecclesiæ, illi se conformare et cum choro cantare debet, si commode potest.

3° Quoad eum qui privatim recitat, non est omnium una mens. Generaliter docetur clericum nulli ecclesiæ adscriptum nec ad religiosum ordinem pertinentem, Breviario Romano uti posse. Recte tamen notant Bellarminus, *Collet* aliique melius esse ut in officio privato eum sequatur ritum a quo in officio publico recedere non debet, id est diœcesanum. Imo stando juri communi, tenetur, juxta *Suarez*, cap. 23, n. 2, recitare Breviarium in sua diœcesi receptum, servata tamen bulla citata S. Pii V, *Quod a nobis*, 9 junii 1568.

4° Qui beneficium tenet vel officium exercet in diœcesi proprium habenti Breviarium, ei se conformare tenetur, nec, juxta multos, obligationi suæ satisfaceret, Breviarium Romanum recitando. Idem dicendum est de eo qui adscriptus est religioni particularem ritum habenti. *Billuart*, de Relig., diss. 2, art. 8, § 5, citat declarationem S. Rit. Cong. dicentis, *habentes Breviarium ante ducentos annos institutum, non satisfacere recitando, etiam extra chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V, si hoc in sua ecclesia non fuit receptum de consensu episcopi et capituli*. Plures ad sustinendam hanc sententiam idem auctor affert rationes. *Suarez*, eamdem defendens, c. 23, n. 9, ait : *In illis diœcesibus* (ritum particularem legitime introductum aut servatum habentibus) *non possunt parochi in suis ecclesiis introducere Breviarium Romanum sua auctoritate : at illi cum recitant, tenentur sequi morem ecclesiæ suæ*. Addit tamen se, quoniam alii auctores contrariam tenent opinionem, non audere peccati mortalis damnare eum qui Breviarium Romanum privatim recitaret. Etenim non pauci affirmant id licitum esse, quia Ecclesia Romana est mater et magistra cunctarum orbis ecclesiarum. Ita Lessius, *Bonacina*, *Collet*, S. Ligorius, l. 4, n. 160; *Ferraris*, art. 2, n. 42. Excipiunt si recitatio Breviarii Romani specialiter et juste prohibita fuisset, ut S. Carolus prohibuit clericis suæ diœcesis ad ritum Ambrosianum obligatis, ne alia præstarent divina officia, tam privatim quam

publice. Cæterum satagebat sanctus ille pontifex ut S. Pii V Constitutio in variis suæ provinciæ ecclesiis servaretur.

In tali opinionum conflictu non probaremus clericum qui, propria auctoritate, ritum diœcesanum relinqueret, et Romanum adoptaret, licet nobis videretur satisfacere. Episcopus autem, stante hujusmodi dubio, licentiam, absque consensu capituli, concedere posset Breviarium Romanum privatim recitandi; et tamen non damnandus, sed potius laudandus si eam recusaret, seclusa speciali circumstantia talem concedendam esse licentiam suadente.

Quidquid sit, certum est clericum et religiosum proprium deserere non posse Breviarium ut aliud legitimum, sed a Romano diversum, recitent; et sic agentes non satisfacturos esse. Episcopi et Superiores religionum licentiam sic agendi concedere nequeunt. Ita Gavantus, t. III, p. 16.

5° Qui in alienam transit diœcesim cum intentione ibi deinceps manendi, Breviarium mutare tenetur; qui vero a propria diœcesi exsul esse debet, etiam pro longo tempore, v. g., studiorum causa, cum animo revertendi, Breviarium suæ diœcesis retinere potest; et tamen ei permittitur Breviarium diœcesis in qua domicilium facti habet, recitare. *Ita omnes.* Si autem per breve tempus in alieno loco morari debeat, officio publico in choro se conformare potest; at privatim officium loci pro suo recitare non potest, nisi alicujus communitatis, v. g., seminarii, ordinis religiosi communem ordinem sequi cupiat. Sic *Collet*, *Romsée*, etc.

Nota. Quod dicitur de Breviariis in genere, dicendum est de officio quotidiano in iisdem circumstantiis. Unde qui parochiæ vel ecclesiæ adscriptus, ibi versatur, officium tenetur recitare, etiam privatim, juxta ritum in loco observatum singulis diebus : si vero ecclesiæ non esset adscriptus, officio publico assistens, chorum sequi posset, in particulari proprium officium recitare deberet. Quædam difficultates, ad pastores plures ecclesias habentes, capellanos, etc., spectantes, solventur in Tract. *de Præceptis Ecclesiæ*, cap. 1.

§ II. — De ordine, tempore, integritate et continuatione officii divini.

Notandum in Breviario sicut in Missali esse rubricas mere directorias, quæ respiciunt, v. g., situm corporis extra chorum, ordinem servandum inter commemorationes, etc.; et rubricas præceptivas quæ plus minusve graviter obligant. Nulla datur regula ad eas discernendas earumque gravitatem æstimandam.

Quæ diximus, ubi de Sacrificio Missæ, de S. Rit. Congr. decisionibus, pariter intelligenda sunt de ejusdem S. Congr. responsionibus relative ad divinum officium.

1° Horæ canonicæ in eo dicendæ sunt ordine quo exponuntur in Breviario, id est, Matutinum ante Laudes, Laudes ante Primam, etc.

2° Attamen sola inversio ordinis, secluso contemptu, non est materia peccati mortalis, quia gravem non continet deformitatem. *Ita communissima doctorum sententia.*

3° Imo, rationabili interveniente causa, nullum est peccatum. *Hinc* 1° qui ante Vesperas in choro parvas non recitavit Horas, laudibilius cantat cum choro, Horas postea recitaturus. Idem putamus dici posse ubi agitur de psalmodia alternis vocibus et in communi, ut fit in seminario. 2° Qui iter faciens habet Diurnale et non Breviarium, parvas Horas, Vesperas et Completorium ante officium nocturnum dicere potest : item et psalmos nocturnorum ante lectiones. 3° Qui Matutinum non recitavit, cum amico vel cum alia persona alicujus auctoritatis, eum rogante aut desiderante, parvas Horas recitare potest, Matutinum postea recitaturus. 4° Potest similiter, officio præsentis diei nondum terminato, officium sequentis diei cum altero recitare, reliquum officii deinde completurus.

4° Tempus pro toto officio complendo est a media nocte ad alteram mediam noctem; sed, ex consuetudine tempore S. Thomæ jam existente, Matutinum et Laudes vespere diei præcedentis, ubi sol dimidium cursum inter meridiem et occasum explevit, recitari possunt, licet melius sit ut singulæ Horæ temporibus diei et noctis quibus

correspondent recitentur, v. g., Matutinum ad mediam noctem, Laudes ad auroram, Prima ad ortum solis, Tertia ad nonam horam, Sexta ad meridiem, Nona ad tertiam horam, Vesperæ ad occasum solis, et Completorium ad crepusculum seu ante cubitum, ut tradit et explicat Bened. XIV, Instit. 24.

5° Qui nocturna pridie, ante tempus ex consuetudine fixum, recitare inciperet, probabiliter non satisfaceret, quia obligatio annexa diei, et dies cui annexa est recitatio nocturnorum, nondum incœpta est, ut supponitur. Obligatio vero cum die terminatur, ita ut, media nocte adveniente, qui huc usque officium distulit, plus minusve graviter peccavit secundum negligentiam : sed illud recitare non tenetur, et per recitationem, licet in modum pœnitentiæ suadenda sit, culpa admissa non deleretur.

6° In Quadragesima, Vesperæ ante prandium recitari solent, in memoriam antiquæ disciplinæ, juxta quam jejunium ante solis occasum et Vesperarum recitationem non frangebatur : at nulla est obligatio stricta, extra chorum, sic agendi, et absque notabili causa Vesperæ post prandium recitari possunt. Sic *Ferraris*, art. 4, n. 17, et alii communiter auctores.

7° Aliæ partes officii, a Matutino et Laudibus diversæ, pridie quacumque de causa valide recitari non possunt : unde qui prævidet se cras a recitatione officii impeditum fore, illud hodie recitare non tenetur. In tota autem die, cui annexum est, valide recitatur, quia substantia ejus tunc servatur.

8° At inversio temporis, sine rationabili causa, est peccatum veniale, majus vel minus, juxta gradum anticipationis vel negligentiæ. Hinc Matutinum et Laudes, vel pridie diei, vel ipsomet die, sed mane, recitari debent; Prima et Tertia ante meridiem : receptum est ut Sexta et Nona sic etiam dici soleant, licet absque causa post meridiem dici possint. Vesperæ in spatio quod excurrit inter meridiem et solis occasum recitandæ sunt, et serius Completorium dici potest.

9° Ubi rationabilis est causa, Horas anticipare vel dif-

ferre licet, sed melius est eas anticipare; nam, inquit Hugo a S. Victore apud *Ferraris*, art. 3, n. 23 : « Ante » horam orare, providentiæ est; post horam, negligentiæ; » in hora, obedientiæ. » Hinc Patres societatis Jesu et Fratres Minores apostolica obtinuerunt indulta, vi quorum totum officium, usque ad Completorium exclusive, mane recitare possent, ratione itineris vel alicujus honestæ occupationis. *Ferraris*, ibid.

« Ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum » tempus Horarum, sufficit quævis causa utilis vel ho- » nesta, nimirum concio paranda vel audienda, pericu- » lum supervenientis occupationis vel laboris, major de- » votio sive quies, tempus aptius ad studendum, vel si- » mile. » Sunt verba S. Ligorii, l. 4, n. 173, qui plures alios citat, et dicit hanc sententiam esse communem. Vide Bened. XIV, Inst. 24, n. 9, idem cum S. Th. contra quosdam alios rigidiores docentem.

10° Unusquisque integrum recitare tenetur officium singulis diebus, juxta rubricas, affixum, quia Ecclesia non vult tantum imponere officium in genere, sed officium a se determinatum. Mutare igitur officium diei est de se peccatum in genere suo mortale, juxta communissimam sententiam. Gravitas vel levitas culpæ pendet a majori vel minori imminutione quæ fit vel intenditur. Si officium indebite assumptum est æquivalens aut fere æquivalens officio relicto, et mutatio non fiat ex contemptu, neque ex animo eam sæpius iterandi, sed ex aliqua levi occasione, peccatum est tantum veniale. Nullum esset, si mutatio ex rationabili causa fieret, puta quia deest pars Breviarii requisita. Vide *Suarez*, de Horis can., cap. 23, n. 12 et seq.

Qui ex inadvertentia, non tamen invincibili, unum officium pro alio recitavit, non tenetur omissum recitare, quia, juxta communem opinionem, Ecclesia non vult tantum onus illi imponere : hinc axioma, *Officium pro officio.* Attamen consilii est propria officii omissi recitare; et si, officium recitatum notabiliter brevius esset omisso, non tantum consilii, sed præcepti esset sufficientem dare com-

pensationem. Ex hypothesi quod differentia uni nocturno vel Completorio æquivaleret, obligatio videretur esse gravis.

Postea recitare debet officium diei currentis, etiamsi illud jam dixerit. Porro officium sic per oblivionem aut inadvertentiam omissum ea die qua fieri debebat secundum rubricas, non potest eo anno amplius fieri, uti resolvit S. R. C. 17 jun. 1673.

11° Qui dubitat an Horam aliquam omiserit, vel positivam habet rationem conjecturandi se illam reipsa recitasse, et tunc eam repetere non tenetur; *ita communiter doctores:* vel nullam habet rationem positivam judicandi se eam potius recitasse quam non recitasse, et eam repetere debet, quia certa est obligatio, et dubia recitatio. Qui vero, certus se recitasse, dubitat tantum an integre recitaverit, ad nihil tenetur; si enim ob talem incertitudinem repetendum esset, perpetuis anxietatibus animus turbaretur.

12° Ad integritatem officii pertinent 1° *Pater, Ave* et *Credo,* in initio vel in fine officii, prout notantur, non vero orationes *Aperi, Domine,* et *Sacrosanctæ;* 2° Litaniæ Sanctorum diebus S. Marci et Rogationum quæ obligant sub peccato mortali, et pridie post Laudes dici nequeunt, sed ipso die ab iis qui processioni non assistunt, quia tenent locum processionis; *Ferrar.,* v° *Litan.,* n. 16; S. Ligor., l. 4, n. 161.

Pœnitentia, ut vulgo dicitur, ab episcopo, in fine ordinationis ordinatis imposita, ad divinum officium non pertinet, nec etiam obligat sub peccato, ait *Collet, Traité de l'Office.* Attamen qui eam voluntarie omitteret, ab aliquo saltem peccato difficile excusaretur.

13° Integritati divini officii satisfaciunt 1° qui alternis vocibus cum aliis etiam non clericis hymnos, psalmos, cantica recitant, partem ab altero choro recitatam, lectiones, capitula, versiculos, orationes, etc., ab uno tantum vel a pluribus dicta, attente audientes, quia usus generalis legem sic interpretatur : propter rationem oppositam, qui in triplici vel quadruplici choro recitarent, non satisfacerent. 2° Qui, dum cantantur Horæ, ex officio vel ex

superioris mandato aliquid ad officii solemnitatem pertinens agere tenentur, v. g., parare libros, antiphonas annuntiare, cereos accendere, organa pulsare, cantores dirigere, altaria thurificare, etc., ea repetere non obligantur quæ alii, ipsis non audientibus nec recitantibus, canunt vel recitant, quia chorus cui inserviunt supplet pro ipsis. *Est sententia communis; Ferraris,* art. 3, n. 18; S. Ligorius, l. 4, n. 156. 3° Qui vere pronuntiant, licet, propter strepitum externum, vel propter surditatem, se non audiant; sufficit, juxta omnes, quod, remoto obstaculo, sese audire possint, et probabiliter id non necessarium est, modo articulatio distincta existat; S. Ligorius, l. 4, n. 162.

14° Contra vero integritati non satisfaciunt 1° qui oculis tantum legunt, vel inter dentes pronuntiant et non articulant, quia tunc vera non est recitatio; 2° qui cum sociis recitantes, ita festinant, ut versus absolvi non exspectent, si hoc fiat in magna quantitate; secus si hoc in minore fieret quantitate : tunc peccatum esset duntaxat veniale ; 3° qui syllabas ita adulterant aut syncopant, ut substantia mutetur quoad sensum, vel intelligi moraliter nequeat : alias hæc mutatio vel corruptio esset solum venialis; 4° probabilius est partes quæ ab organo vel alio musicæ instrumento personantur, in choro voce humana recitandas esse, vel ab omnibus, vel saltem ab uno aut a pluribus, eo modo ut ab aliis audiri possint; *Ferraris,* art. 3, n. 20.

15° Singulæ Horæ separatim dici possunt, quia sunt totum completum, et tunc *Pater noster,* vel *Pater* et *Ave,* juxta Breviariorum rubricas, ante et post unamquamque dicenda sunt, ut dicit *La Croix* apud S. Ligorium, l. 4, n. 167.

Quidam negaverunt Laudes a Matutino separari posse sine causa; verum communis sententia docet id licere.

16° Quæcumque notabilis interruptio intra unam Horam, v. g., inter duos psalmos, sine causa, est peccatum veniale, quia unitas ab Ecclesia præscripta rumpitur ; sed peccatum veniale non excedit, quia substantia præcepti observatur : imo plures affirmant, apud S. Ligorium,

nº 168, aliis non contradicentibus, partem Matutini pridie et partem in crastino sine peccato gravi dici posse.

Si legitima adsit causa Horam interrumpendi, v. g., propria vel aliena utilitas, visitatio alicujus personæ recipienda, quæ incommode differretur, responsum interroganti statim dandum, mandatum superioris exsequendum, vel jussa aut consilia inferiori danda, confessio excipienda, si pœnitens exspectare non possit, etc. : in his et in similibus circumstantiis nullum est peccatum; nec probabilius pars jam recitata iteranda est, quamvis longa fuerit interruptio : sic, contra aliquos, S. Ligorius, l. 4, n. 168, et multi cum illo. Ratio est, quia singuli psalmi et versus completam habent significationem, et satis uniuntur per intentionem continuandi, vel per recitationem adjunctam; aliunde talis interruptio sine causa esset peccatum veniale tantum : ergo cum legitima causa nullum est peccatum.

Nocturna Matutini completa per tres horas licite separari possunt, saltem si qua, licet levis, adsit causa, quia, juxta plures auctores, antiquitus sic fiebat. Interruptio fit absolute, sine *Pater noster*, et pars sequens, post interruptionem, absolute incipitur.

§ III. — De intentione et attentione necessaria in recitando officio divino, ubi de tempore et situ corporis.

1° Certum est aliquam saltem requiri intentionem in recitando officio divino, alioquin actio non esset humana : intentio actualis non est necessaria, quia illius homines non sunt capaces; sufficit ergo intentio virtualis, quæ ad actus humanos sola requiritur.

2° Objectum autem hujus intentionis debet esse recitatio religiosa divini officii et expletio ecclesiastici præcepti, saltem aliquo modo intellecta, explicite scilicet, vel implicite. Cæterum, circa hoc punctum nemo anxius esse potest; quicumque enim ad officium obligatus, illud de more recitare volens, vel recitans, eo ipso implicitam et sufficientem habet intentionem satisfaciendi, etiamsi, recitando, intra se diceret : Satisfacere non intendo; hanc

Horam repetere mihi propono, etc. Finis enim præcepti sub præcepto non cadit, sed solum opus externum rite completum : at officium, more consueto recitatum, est opus præscriptum rite completum, quamvis intentio repetendi exstiterit. Ergo. Ita *Ferraris,* art. 2, n. 16; S. Ligorius, l. 4, n. 176, et multi apud ipsum, contra paucos, inter quos *Collet.*

3° Nulla est necessitas renovandi intentionem ad singulas Horas, etsi continuate non recitentur, quia clericus Breviarium iterum sumens ad continuandum, ipso facto intentionem satisfaciendi habet.

4° Attentio est actus intellectus aliquid considerantis, sicut intentio est actus voluntatis aliquid desiderantis et volentis. Alia est interna, et alia externa.

1° Attentio interna est animi advertentia et applicatio ad id quod recitatur, attentio vero externa in eo consistit ut nihil fiat externe cum attentione interna incompatibile, v. g., non legatur, non pingatur, non confabuletur, etc. Attentio interna quoad divini officii recitationem est triplex, videlicet 1° superficialis, qua ad verba tantum attenditur, ut recte, distincte ac reverenter proferantur; 2° litteralis, qua ad sensum verborum percipiendum attenditur; et 3° spiritualis, qua ad Deum qui invocatur, vel ad gratiam quæ postulatur, vel ad sanctos honorandos attenditur.

2° Quidam probabilistæ docuerunt attentionem mere externam, cum distractionibus voluntariis, ad satisfaciendum præcepto sufficere; sed monstruosa hæc sententia ab omnibus sanioris doctrinæ defensoribus rejicitur, eamque prædamnaverat Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 9, relatus, ubi loquens de iis qui ad divina officia aures intentas non porrigunt; sic habet : « Hæc igitur » similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, dis- » tricte præcipientes, in virtute obedientiæ, ut divinum » officium, nocturnum pariter et diurnum, quantum eis » Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote. » Nonne evidens est voces *studiose* et *devote,* voluntarias distractiones omnino excludere? Ergo. Unde in oratione

præparatoria petitur a Deo gratia divinum officium *digne, attente ac devote* recitandi.

3° Hinc qui voluntarie est distractus in recitandis Horis vel in earum parte notabili, non satisfacit, et mortaliter peccat, nisi intra tempus opportunum partem sic dictam repetat. Quidam tamen in eo casu excusant beneficiatum a restitutione fructuum, quia restitutio pro omissione officii præcipitur, et in eo casu officium reipsa non omittitur. Ita *Ferraris*, v° *Attentio*, n. 26; S. Ligorius, l. 4, n. 175; et multi apud eos.

Qui involuntarie ita fuisset distractus, ut humano modo non egisset, non satisfecisset; v. g., qui in choro assistens dormisset.

4° Non autem sola distractio quæ intenditur in se, est voluntaria, sed et illa quæ volita est in sua causa, ut 1° si quis advertat se distrahi, et per negligentiam crassam distractiones non curet; 2° si, inter recitandum, occupationibus cum intentione interna imcompatibilibus vacet, puta collocutionibus circumstantium aures præbeat, objecta externa curiositatis causa aspiciat, etc.; si immediate post ludum vel aliam vanam occupationem, officium recitet, sciens per experientiam se in tali casu semper esse distractum; *a fortiori*, si experientia jam monitus, causam culpabilem hujusmodi distractionum ponat, v. g., in potu vel in cibis excedat, ira inflammetur, disputationibus turbetur, recitationem officii per negligentiam nimis differat, et somno gravetur.

5° Contra vero si sufficiens sit ratio ponendi causam ex qua sequi solent distractiones, non imputantur, modo consensus eis non præbeatur, nec impediunt quin recitatio sit valida et licita. Fieri potest et sæpe fit ut ratio non a toto excuset peccato, sed a tanto, illudque a mortali ad veniale reducat.

Similiter qui semiplene tantum distractionibus consentit, vel cum aliqua negligentia eas repellit, venialiter peccat quidem, sed nihilominus substantialiter satisfacit.

6° Attentio spiritualis est optima ac exoptanda, sed non necessaria; sufficit vero attentio litteralis, imo et superfi-

cialis, id est attentio ad verba, cum pia intentione orandi et Deum colendi; quia oratio sic facta, est vera, Deo digna et præcepto satisfacit, ut patet exemplo monialium et idiotarum Horas canonicas ignoto idiomate recitantium vel canentium, et tamen, juxta omnes, præcepto satisfacientium. Attentio igitur litteralis ad substantiam præcepti non pertinet : ergo nec docti eam adhibere tenentur ut præcepto satisfaciant.

Attentio igitur ad Deum juxta sensum verborum est perfectior; deinde attentio ad sensum litteralem : attentio ad verba recte proferenda est minus perfecta, et tamen sufficit, modo juncta sit cum virtuali saltem mentis applicatione ad Deum : secus, oratio non esset.

7° Omnibus itaque ad recitandum officium obligatis consulendum est ut sub initio actualem habeant intentionem Deum laudandi, eamque identidem renovent, et sensum verborum percipere studeant. Si autem recitationem cum debita intentione incœperint, et postea se distrahi deprehendant, attentionem tranquille revocent, et absque ulla interruptione pergant. Sciant necessariam non esse attentionis recordationem, et velle attendere ad attentionem esse fontem distractionum.

8° *Pro scrupulosis notandum est* eos ab omni repetitione, ob defectum attentionis requisitæ, prohibendos esse, alioquin mox intolerabilibus torquerentur anxietatibus, et quandoque recitatio officii ipsis interdicenda est donec illud sine tanto incommodo recitare possint; lex enim positiva cum tanto incommodo non obligat. Sic S. Ligorius, l. 4, n. 177, ad finem.

9° Privata Horarum recitatio fieri potest in omni loco honesto, juxta hæc Ps. CII, 22, verba : *In omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.* Privatas orationes ex devotione recitare in locis immundis, etiam ventrem purgando, nullum est peccatum; officium ibi dicere ex aliqua causa licitum est; sine causa, peccatum esse veniale, propter indecentiam, communiter docent auctores. Vide *Ferraris,* v° *Officium,* art. 4, n. 31, et S. Ligorium, l. 4, n. 179.

10° In choro servandus est sub veniali situs corporis rubricis præscriptus, surgendo, sedendo, genuflectendo, etc. Extra chorum, nulla est culpa situm præscriptum omittere, licet laudabile sit illum servare. *Sic communiter auctores.* Plures, exemplis sanctorum fulti, suadent ut, reverentiæ causa, omne officium, exceptis lectionibus et responsoriis, recitetur stando vel genuflectendo : ita *Collet,* et plures apud ipsum. Sed omnes fatentur nullum esse peccatum recitare officium sedendo aut deambulando, in loco decenti, sed a strepitu remoto. Plerique a veniali non excusant eum qui sine causa illud recitat in lecto, aut alio situ mollitiem pariter redolente.

11° Quod dicitur de situ, dicendum est de signo crucis, et de aliis signis externis in choro usitatis : in officio privatim recitato laudabiliter fiunt, et inculpate omittuntur.

Qui tamen in choro privatim recitaret, ob rationabilem causam, a quolibet signo privato abstinere et signa chori non omittere deberet, propter uniformitatem.

12° Qui matutinum die dominica, pro feria secunda sequenti, ante solis occasum recitat, ad Antiphonam B. Mariæ genuflectere non debet ; at post solis occasum genuflectendum est, quia spatium diei dominicæ a primis Vesperis usque ad finem secundarum Vesperarum excurrit. Sic Gavantus, de Fin. Officii, cap. 22, n. 18, et *Ferraris,* art. 4, n. 36.

13° Ex novis editionibus Breviarii Romani, oratio *Sacrosanctæ* recitanda est flexis genibus, ad obtinendam remissionem culparum in recitatione officii admissarum.

Petitur an recitans officium in statu peccati mortalis præcepto satisfaciat.

R. 1°. Apud omnes constat peccatorem culpa lethali maculatum, Deum utiliter orare posse, si quoddam habeat desiderium de peccato exeundi, aut saltem actuale non habeat propositum peccandi ; alioquin hujusmodi peccatoribus omnis prohibenda esset oratio et pietatis actio, quod sensui communi adversatur.

R. 2°. Si peccator actuale habeat propositum peccandi, dubium est an satisfaciat : negat *Collet,* contenditque

beneficiarium in eo casu ad restitutionem fructuum teneri. Alii vero multi affirmant, dicentes illum quidem in tali dispositione nihil pro se obtinere posse, et tamen præcepto satisfacere, quia nomine Ecclesiæ orans, pro aliis obtinere potest. Ita S. Ligorius, l. 4, n. 178, testificans hanc sententiam esse communiorem et veriorem. Supponendum est tamen actuale hoc peccandi propositum tale non esse ut intentionem et attentionem requisitas impediat.

§ IV. — De causis a recitando officio excusantibus.

Causæ a recitatione divini officii excusantes ad tres revocari possunt, quæ sunt impossibilitas, grave detrimentum, seu impossibilitas moralis, et legitima dispensatio.

1° *Impossibilitas;* ad impossibile enim nemo tenetur : unde a recitatione officii divini excusatur 1° qui non habet Breviarium, quia illud in itinere, in naufragio, in incendio, etc., perdidit. Si propria culpa illud domi reliquerit, in mare projecerit, etc., graviter peccavit, et omissio Horarum ipsi imputanda est : si tamen de culpa sincere doleat, novum non admittit peccatum Horas omittendo ; 2° cæcus vel lingua paralyticus, ita ut legere vel pronuntiare non possit.

2° *Grave detrimentum, seu impossibilitas moralis ;* apud omnes enim theologos sequens existit axioma : *Lex positiva non obligat cum tanto incommodo.*

Unde, qui Breviarium recitare non potest sine gravi detrimento, ab illo excusatur. Hinc excusantur 1° qui gravi infirmitate detinentur, v. g., febri, dolore intestinorum vel capitis : non vero si infirmitas sit levis ; 2° qui juste timent ne ex recitatione in gravem infirmitatem incidant ; 3° convalescentes, saltem per aliquot dies, donec vires reficiantur : in dubio de gravitate infirmitatis, standum est judicio medici aut alterius viri prudentis ; 4° qui tempore persecutionis timent ne ex recitatione Breviarii prodantur ; 5° qui tota die occupantur operibus charitatis vel officiis religionis, quæ sine scandalo ac gravi sui vel aliorum detrimento omitti vel differri nequeunt ; sic excusarentur concionatores qui concionem sine scandalo

aut famæ suæ detrimento omittere non possent, nec tamen eam præparare si officium recitarent; confessarii qui per totam diem confessiones necessarias excipiunt, vel ad ægrotos periclitantes vocantur, etc.

Rarissime tamen optimi sacerdotes Horarum recitationem omittunt ob hujusmodi causas : illam potius anticipant vel differunt.

3° *Legitima dispensatio;* onus quippe divinum recitandi officium non jure naturali aut divino positivo imponitur, sed jure ecclesiastico : ergo summus Pontifex ab illo valide dispensare potest etiam sine causa et licite cum debita causa. Usu receptum est ut episcopi valide ac licite, ob sufficientem causam et ad breve tempus, dispensare valeant, nempe quando de impotentia morali seu de gravitate detrimenti metuendi dubitatur. Idem posse vicarium generalem docent *Ferraris*, S. Ligorius et plures apud eos.

Superiores etiam locales regularium valide et licite ob rationabilem causam cum suis subditis dispensare possunt, ut ex variis regularium privilegiis ostendit *Ferraris,* art. 5, n. 35.

Notandum 1° eum qui officium statutis horis recitare non potest, illud anticipare vel postea supplere teneri, quia præceptum pro tota die urget. Hinc qui prævidet se, ob causam superventuram, a recitandis Horis vespertinis impeditum fore, eas mane recitare tenetur, et qui Matutinum et Laudes ante vesperam et noctem proprii diei dicere non potuit, ab eis non excusatur donec media nox non advenerit.

Notandum 2° eum qui totum officium recitare non potest, a parte possibili non ideo excusari, ut Innocentius XI definiit anno 1679, sequentem damnando propositionem : « Qui non potest recitare Matutinas et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars » trahit ad se minorem. »

Notandum 3° eum qui per seipsum Horas canonicas recitare non potest, eas per alium recitare non teneri; quia ibi agitur de obligatione personali. Similiter ad alias preces officio divino æquivalentes stricte non obli-

gatur : nulla quippe lege ecclesiastica hæc compensatio præscribitur : ab ea tamen communiter non abstinent pii ecclesiastici ac religiosi, et laudabilem hanc consuetudinem valde commendant quidam auctores, ut Navarrus, Silvester, Paludanus, *Collet*, etc.

Cæcus, qui ope socii aliquas saltem Horas recitare potest, ad eas tenetur, si socium commode habere possit; secus, ab eis excusatur. *Sic communiter auctores.* Partes notabiles quas scit memoriter, recitare tenetur, non vero tenetur eas discere ut recitet. Qui proprio caret Breviario inculpabiliter, alterum legitime approbatum, si habere possit, recitare debet. Mutus stricte non tenetur oculis legere Breviarium, quod pronuntiare nequit, quia lex eum obligat ad recitandum et non ad legendum. Ita *Suarez* cum multis aliis.

De causis a recitatione publica in choro excusantibus hic non loquimur, quia de speciali obligatione canonicorum et regularium non tractamus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE HABITU CLERICALI.

Nomine habitus clericalis, non solæ intelliguntur vestes, sed quidquid statum exteriorem personæ constituit. Dicemus 1° de habitu; 2° de tonsura clericali; 3° de iis quæ a clericis vitanda sunt.

§ I. — De habitu clericali.

In initio nulla videtur fuisse distinctio, quoad vestes, inter laicos et clericos extra functiones sacras spectatos : hanc introduci cœpisse in sexto sæculo communiter docent auctores, postquam scilicet Barbari usum brevioris vestimenti intulerant. Laici quippe togam Romanam deserentes brevia vestimenta ut pote commodiora deferre cœperunt; clerici vero, gravitatis et modestiæ causa, vestem longam retinuerunt.

Concilium Carth. jam statuerat, can. 45, ut « Clericus » professionem suam et in habitu et in incessu probet,

» et ideo nec vestibus nec calceamentis decorem quærat. » Deinceps plurima concilia prohibuerunt ne clerici, antiquum morem mutantes, vestes laicales induerent, ut Agathense, anno 506; Matisconense, anno 581; Romanum III, sub papa Zacharia, anno 743; Suessionense III, anno 744; Mentense VI, anno 888; et tandem Tridentinum, quod, sess. 14, de Reform., cap. 6, sic habet :

« Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet » tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper » deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum » honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie » aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, » ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi » pendentes, vestes etiam deferant publice laicales... » Decernit postea clericos ab episcopo monitos et non parentes, graviter puniendos esse, justa constitutionem Clementis V *Quoniam*, in concilio Viennensi editam, et in Clementin. l. 3, tit. 1 de Vita et Honestate clericorum, relatam. Omittimus alia concilia, varios textus juris canonici, Patrum, summorum Pontificum, ac innumeras synodos diœcesanas. Ergo existit lex ecclesiastica habitum clericalem præcipiens, et quidem sub gravi, ut patet, tum ex verbis concilii Tridentini, hunc neglectum vocantis temeritatem et religionis contemptum, tum ex gravitate pœnarum contra clericos inobedientes decretarum. *Ita omnes theologi, etiam mitiores.* Hinc statuenda sunt sequentia :

1° Clerici in Ordinibus sacris constituti mortaliter peccant, si in loco residentiæ per notabile temporis spatium habitum sibi proprium non deferant : sic Collator Andeg., *Etats; Ferraris*, v° *Clericus*, art. 1, n. 55; S. Ligorius, l. 6, n. 825; Bened. XIV, de Synodo diœcesana, l. 11, cap. 8, n. 3, etc. Semel habitum clericalem sine causa relinquere, est peccatum veniale : quantum autem requiratur temporis spatium ad constituendum peccatum mortale ex solis circumstantiis determinari potest.

2° Clerici sacris Ordinibus non initiati, sed beneficiati, aut alicui ecclesiæ ex officio servientes, eadem lege ad de-

ferendum habitum clericalem tenentur. Simplices clerici aut in minoribus ordinibus constituti, et non beneficiati, ad habitum ecclesiasticum stricte dictum non obligantur : attamen quamdiu clerici esse volunt, habitum sæcularem induere non possunt, sed vestes modestiam clericalem redolentes deferre tenentur.

3° Forma habitus clericalis nec concilio Tridentino, nec aliis conciliis fuit determinata; verum non singulorum est clericorum eam determinare, sed episcoporum, ut ratio dictat et concilia supponunt : forma autem semel determinata et præscripta, nullum est dubium quin omnes teneantur sub gravi eam observare. Porro in Decreto, 1ª parte, dist. 23, can. 32, et 2ª parte, causa 21, quæst. 3; in Const. Sixti V *Cum sacrosanctum*, diei 2 januarii 1588, vestis talaris desuper indumenta præscribitur. Unde Bened. XIV, de Synodo diœcesana, l. 11, cap. 8, n. 1, ait : Qui nolit se » sacrorum canonum prorsus imperitum ostendere, fateri » cogitur nullam aliam nisi talarem esse vestem clerico- » rum propriam, eorumque statui maxime convenien- » tem. » In cunctis autem synodis diœcesanis in Gallia habitis, atque in multis episcoporum mandatis statuitur habitum clericalem esse vestem talarem nigri coloris, vestimenta interiora ejusdem vel saltem castanei coloris esse debere : consuetudo, optima legum interpres, sic a multo tempore in tota Gallia obtinuit. Ergo cuncti clerici in sacris constituti tenentur, sub peccato mortali, vestem talarem nigri coloris, gallice *soutane*, in loco domicilii semper deferre.

4° Alias partes exterioris habitus pariter ordinare et ad eas obligare possunt episcopi : sic Clemens V, in concilio Viennensi, sub gravissimis pœnis prohibuit clericis ne publice deferrent pileum lineum, vel caligas rubras, virides aut aliter ornatas. Unusquisque igitur præscriptioni sui episcopi accurate tenetur obedire, sive quoad vestem principalem, sive quoad alias partes habitum ecclesiasticum complentes, sicut milites nullum ex insignibus sibi statutis omittere possunt. Legatur optima Inst. 71 Bened. XIV, tota de habitu clericali.

5° Iter agentibus permittitur habitus contractior, ad iter accommodatus, sed nigri coloris, simplex, et in quo decorum et honestas ordinis eluceat : in eo igitur cavendum est ab iis omnibus quæ statum laicalem redolerent.

6° Ab obligatione deferendi habitum clericalem, ac proinde ab omni culpa et pœna excusat rationabilis causa, quæ, judicio viri prudentis, æstimatur gravis, quia lex ecclesiastica cum tanto non obligat detrimento. Unde Innocentius III, Decretal. l. 3, tit. 1 de Vita et Honestate clericorum, cap. 15, habitum clericalem stricte præscribens, addit : « Nisi justa causa timoris exegerit habitum » transformari : » talis esset necessitas per loca infidelium vel hæreticorum transeundi, exorta vel probabiliter imminens persecutio, etc.

7° In locis ubi, ex consuetudine præscripta, episcopis nota et ab eis non improbata, alia est forma habitus ecclesiastici, aut vestis talaris adhibetur tantum ad celebranda divina officia aut administranda sacramenta, clerici hanc consuetudinem sequentes non peccant.

§ II. — De tonsura clericali.

1° Olim clerici, sicut nunc adhuc monachi, capita sua radere consueverant, ita ut, patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret. Progressu temporis introductum atque nunc in universali Ecclesia receptum est ut dicta corona a regularibus et Romano pontifice retenta, clerici sæculares, loco illius, modicum circulum in parte superiori capitis abrasum gerant.

2° Certissime existit præceptum pro cunctis clericis saltem in Ordinibus sacris constitutis vel beneficiatis, tonsuram clericalem jugiter deferendi, Decr. 1ª parte, dist. 23, can. 20 : « Clerici comam nutrire prohibentur, » quorum caput desuper in modum sphæræ rasum esse » debet. » Decretal. l. 3, tit. 1, cap. 15 : « Coronam et » tonsuram habeant congruentem, » id est, ut a monachis differre videantur. Idem habetur in Clem. l. 3. tit. 1, cap. 2, et in multis conciliis ac synodis diœcesanis. Ergo.

3° Communius theologi, etiam nimiæ severitatis non suspecti, docent obligationem deferendi tonsuram proprio ordini congruentem esse sub gravi pro clericis in Ordinibus sacris constitutis vel beneficiatis (pro aliis vero qui clericaturæ renuntiare nolunt, sub veniali) non solum in residentiæ loco, sed et in itinere, dum habitus brevior permittitur, nisi justa causa ab ea, sicut ab habitu, excuset; idque inferunt ex variis textibus juris canonici et conciliorum, in quibus graves decernuntur pœnæ contra hujus legis transgressores. Sic, inter alios, S. Raymundus *de Penafort,* Natalis Alexander, Collator Andegav., *Layman, Ferraris* et S. Ligorius qui, citans *La Croix*, dicit cum illo « facilius tamen mortaliter peccare non deferendo habitum quam coronam; quis enim arguet sacerdotem de mortali, si per sex vel octo hebdomades coronam non deferat, etiamsi nullum de ea vestigium appareat? »

Caveant igitur clerici eorumque confessarii ne circa hoc punctum sibi illudant: saltem indubium est eos mortaliter peccare coronam non deferendo, si episcopus legis observationem premat.

Quæritur ad quid teneatur sacerdos, vi obedientiæ quam promittit in sua ordinatione.

Respondit Bened. XIV., in Const. *Ex quo dilectus*, 14 jan. 1737, Bull. l. 2, 1° hanc reverentiæ et obedientiæ sponsionem, ante mille annos indubitanter usitatam, pro nuda inanique formula non habendam esse; 2° presbyterum, hujusmodi promissionis vigore, a servitio ecclesiæ cui addictus est, sine licentia episcopi discedere non posse; 3° nihilominus presbyterum et etiam pastorem ad claustra transire posse, etsi episcopus consensum deneget: sed eum prius monere ac consulere, et licentiam vitam regularem amplectendi ab eo humiliter petere debet; 4° eumdem episcopum habere facultatem clericum suum regularem ordini regulari adscriptum repetendi, si qua justa causa, v. g., gravis ipsius ecclesiæ jactura aliunde eventura, id postularet. Vide Constitutionem citatam, *Ex quo dilectus.* In ea Constitutione hæc verba

leguntur : *Hujus tamen juris, quo episcopus clericum sæcularem sibi subjectum, qui regulari instituto sine ipsius consensu nomen dedit, repetere et ad ecclesiæ servitium revocare potest, hujus, inquam, juris persecutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur.*

§ III. — De iis quæ clericis prohibentur.

Propter honorem et decentiam status clericalis sequentia strictissime prohibita sunt clericis, scilicet, venatio, armorum gestatio, negotiatio, ministerium sæculare, popinarum ingressus, ludi aleæ, choreæ, spectacula et quilibet luxus.

1° *Venatio.* Duplex distinguitur venatio, una clamosa, quæ fit cum canibus et armorum strepitu, olim cum accipitribus; et altera quieta, v. g., cum laqueis aut aliis instrumentis.

Posterior venationis species clericis non interdicitur, nisi inquantum eos ab officiis proprii status nimis distraheret, vel laicos offenderet et scandalum præberet; quod facillime accidit, ut experientia constat.

At venatio clamosa stricte prohibetur clericis, ut patet 1° ex Decretal. l. 5, tit. 24, cap. 1, ubi legitur : « Episcopum, presbyterum ac diaconum canes aut accipitres, » aut hujusmodi ad venandum habere non licet : quod si » quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus a communione; si presbyter, duobus; si diaconus, ab omni » officio suspendatur. » Glossa addit subdiaconum. Et ibid. cap. 4 : « Omnibus servis Dei (clericis) venationes et sylvaticas vagationes cum canibus, accipitribus et falconibus interdicimus. » 2° Ex multis conciliis provincialibus, puta Rhedonensi 1849, et omnibus synodis diœcesanis, ac maxime synodo hujus diœcesis, anni 1851, ubi habetur : *Veteribus inhærentes canonibus, omnino prohibemus ne clerici venationi dent operam cum armis igniariis aut canibus.* 3° Ex unanimi consensu theologorum, qui tamen non sunt ita concordes circa gravitatem peccati cujus clerici venatores fiunt rei : multi namque excusant a mor-

tali eos qui raro, sine contemptu legis et scandalo, sic venantur, ut videre est apud S. Ligorium, l. 3, n. 605. Verum talis venatio nunquam esset, apud nos, sine notabili scandalo.

Multi etiam volunt solam venationem cum magno canum et armorum apparatu, ut, v. g., apri, cervi majoresque bestiæ capiantur, dicendam esse clamosam et clericis prohibitam, non vero illam quæ fit cum armis et paucis canibus ad occidendum lepores, vulpes aliasve minores bestias : sed Bened. XIV, de Synodo diœces. l. 11, c. 10, n. 9, ait sententiam oppositam, quæ clericos ab omni venatione etiam solis avibus, sine tumultu et strepitu, arcet, juri ecclesiastico certe conformiorem esse. Quidquid sit ergo de aliis regionibus, certum est omnem venationem cum armis et canibus stricte prohibitam esse clericis in Gallia, et præsertim in diœcesi nostra.

Rationes autem hujus prohibitionis sunt : 1° quia talis exercitatio ab ea gravitate quæ in cunctis clericis semper relucere debet, aliena est; 2° quia ex illa maxima nascitur mentis distractio et quasi divagatio ; 3° quia fideles offenduntur, et reverentia sacris ministris debita minuitur, etc.

Idem ferme dicendum est de frequenti piscatione, quamvis nullo canone generali interdicatur clericis.

2° *Armorum gestatio.* In Decreto, part. 2, causa 23, quæst. 8, can. 6, habetur : « Quicumque ex clero esse » videntur, arma militaria non sumant, nec armati in» cedant. » Decretal. l. 3, tit. 1 de Vita et Honestate cle» ricorum, cap. 2. « Clerici arma portantes excommuni» centur. » In Synodo Cenomanensi anni 1788 sic statutum est : « Nous défendons à tous les ecclésiastiques de » porter aucune sorte d'armes à feu, ni épées, soit dans » leur domicile, soit en voyage, excepté dans le cas de » nécessité. » Arma et munimenta clericorum debent esse orationes et lacrymæ, inquit S. Ambros., Epist. 21 ad Valent. Hinc concludunt doctores, quod clerici arma prohibita deferentes, mortaliter peccent; *Ferraris*, v° *Clericus*, art. 6, n. 3. Potest tamen dari levitatem materiæ et

gravitatem culpæ pendere a circumstantiis temporis, motivi, scandali, etc.

3° *Negotiatio.* Omnibus clericis in sacris constitutis, et etiam in minoribus statum clericalem non deserentibus, prohibitum est jure ecclesiastico negotiis sæcularibus sese lucrifaciendi causa immiscere ; id apertissime constat innumeris textibus juris canonici, conciliorum et synodorum diœcesanarum : in pluribus, v. g., in Decreto, parte 1, distinct. 88, can. 2, 3, etc. ; in concilio Trid., sess. 22, cap. 1 de Reform., graves decernuntur pœnæ contra hujus legis transgressores. Unde infertur hanc legem sub gravi peccato obligare. Juxta multos, qui semel aut iterum quemdam negotiationis actum exercet absque dedecore et scandalo, non peccat mortaliter. Utrum autem liceat per alienum negotiari, non clare patet. Bened. XIV, Const. *Apostolicæ servitutis*, omnino illicitum pronuntiat, et pœnis canonicis plectit « clericos sub alieno laici nomine quo- » modolibet negotiantes, perinde ac si per seipsos, pro- » prio nomine, negotia exercerent illicita. »

Prohibitum est etiam clericis ne ad lucrum faciendum aliena prædia conducant, et quasi villicos se constituant.

Sub ea prohibitione non comprehenduntur clerici, 1° qui proprios vel commoditatis causa locatos colunt agros, et fructus inde provenientes justo pretio vendunt; 2° qui artem aliquam honestam et statui suo congruentem exercent, atque opera sua juste vendunt, ut sibi vel proximo necessaria subministrent : sic B. Paulus tentoria faciebat, antiqui solitarii canistra ex junctis texebant, alii libros conficiebant, etc., inde vivebant et eleemosynas distribuebant; 3° qui res quaslibet, tempore abundantiæ, vili pretio emunt, ut ea, cum ingruerit penuria, eodem cedant pretio cognatis, amicis, pauperibus, quia non ad lucrum faciendum hæc agunt. Vide plurimos casus circa hanc materiam a Congreg. Concil. Trid. resolutos apud *Ferraris*, v° *Clericus*, art. 3, n. 17 et seq.

4° *Ministerium sæculare.* Sub eo nomine intelliguntur : 1° officium procuratoris et advocati in sæculari judicio, quod expresse et in multis locis interdicitur clericis, nisi

agere debeant pro seipsis, pro Ecclesia aut pro miserabilibus alterius patrocinio destitutis : sic unanimiter canonistæ, textibus juris canonici claris et apertis fulti. 2° Officium tutoris, curatoris vices gerentis, cancellarii, administratoris, tabellionis, et qualecumque officium sæculare ex quo rationes reddi debeant : hæc omnia multis canonibus interdicta sunt clericis, ut unusquisque videre potest apud *Ferraris*, loco citato ; apud S. Ligorium, l. 3, n. 838, etc. Excipitur administratio locorum piorum, tutela pupilli derelicti et consanguinei usque ad quartum gradum, quia hæc pietatis opera statum clericalem non dedecent. Nunc in Galliis clerici non magis eximuntur a tutela suscipienda, quam alii cives. Ex art. 427 Codicis civ. qui functiones ministerii sacri exercent extra provinciam, vulgo *département*, in qua aperitur tutela gerenda, dispensantur. 3° *Ars chirurgica ;* quælibet enim operatio cum incisione vel adustione, sive in alios, sive in seipsum, prohibetur clerico, etsi venam tantum aperiret, aiunt plures, ex Decretal. l. 3, tit. 50, cap. 9. In hanc prohibitionem non incidit qui consilium dat, auxilium præstat operanti, vel tandem deficiente alio, et necessitate urgente, aliquam incisionem facit.

Quoad sententiam sanguinis ejusque exsecutionem dicemus ubi de irregularitate ex defectu lenitatis.

Non viget apud nos prohibitio olim facta clericis ne coram judicibus testando juramentum proferrent, sine licentia episcopi. Maxime convenit tamen ut episcopus certioretur de hujusmodi actibus.

5° *Popinarum ingressus.* Prorsus indignum est clerico, maxime in sacris constituto, ut extra necessitatem popinas vel tabernas ingrediatur, ibique manducet et bibat. Hoc igitur merito ipsis semper prohibitum est ; et adhuc in nostra diœcesi prohibetur sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ne quis majoribus ordinibus initiatus cibum potumve apud cauponem, ut talem, intra limites propriæ parochiæ vel in loco leuca integra a suo domicilio non distante, absque necessitate sumat. (*Stat. diœces. Cenom.* anni 1851.)

6° *Ludi aleæ.* Ludus alearum seu taxillorum, maxime ille qui magis fortuna quam arte ludentium regitur, severissime prohibitus est clericis : « Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe communione privetur. » Can. Apost. can. 42. Idem in can. 43 habetur de subdiacono et lectore. Innocentius III, in concilio Lateranensi IV, can. 16, ait : « Clerici ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint; » *Labbe*, t. II. Eadem prohibitio renovatur in Decretal. l. 3, tit. 1, cap. 5; in concilio Trid., sess. 22, cap. 1 de Reform.; in multis conciliis particularibus ac synodis, et præsertim in concilio Rhedonensi 1849 et synodo Cenom. 1851. Ergo.

Sententia communis est clericum in sacris constitutum, talibus ludis lucri gratia et pro notabili quantitate ludentem, mortaliter peccare, præsertim si frequenter publice et cum aliorum scandalo id faciat : patet ex prohibitione toties repetita et ex pœnis appositis.

Plurimi tamen contendunt mortaliter non peccare clericos, qui raro, moderate, privatim et sine scandalo aleis, tesseris, ludis chartarum a fortuna pendentibus ludunt, quia consuetudo sacros canones sic interpretata est; nec venialiter peccare, si tantum necessariæ recreationis causa et absque scandalo, et indebita pecuniæ jactura, sic ludant. Hæc sententia admittenda quidem nobis videtur; sed monemus a consuetudine ludendi sæpe cavendum esse, ut expresse docent Innocentius III, Decretal. l. 5, tit. 31, cap. 11; Bened. XIV, de Synodo diœces. l. 11, cap. 10, n. 5, etc.

Notandum, cum S. Ligorio, l. 3, n. 900, non omnes ludos chartarum cum alearum ludis confundendos esse, sed illos tantum qui totaliter pendent a casu, ut *le brelan* vel *la bouillotte*. Alii vero sunt mixti et inter alearum ludos non computandi, quamvis ordinarie multo magis expediat ut clerici ab eis præsertim coram sæcularibus abstineant et sollicite caveant ne ex voluptate ludant aut nomen *lusorum* sibi comparent, quia sanctum ipsorum ministerium grave detrimentum inde pateretur,

ut experientia sæpe demonstravit. Sæpe etiam adest culpa in hujusmodi ludis, ratione temporis perditi, negligentiæ piorum exercitiorum, offensionis fidelium, etc.

7° *Choreæ et spectacula.* « Enimvero, sive antiquos, » sive recentiores post Tridentinum coactas synodos per» curramus, omnes vehementer clericis succensuisse com» perimus ab hisce fœdis oblectamentis sese non continen» tibus, » inquit Bened. XIV, de Synodo diœces, l. 11, cap. 10, n. 11, ubi graviter reprehendit ut nimis laxam et ferme ut erroneam et scandalosam doctrinam *Ferraris,* circa hoc punctum.

Hinc clerici nunquam interesse possunt saltationibus, choreis publicis, ludis scenicis, nec quibuscumque cœtibus, turpes, lascivas vel amatorias cantilenas depromentibus, aliisve oblectationibus statum clericalem deturpantibus. Gravitas peccati eorum æstimanda est ex diuturnitate et repetitione assistentiæ, ex motivo determinante, ex periculo, ex scandalo, etc.

Quædam sunt spectacula quæ ita dedecere non videntur, ut cursus equorum, subtilitates equitum, etc.; vix tamen clerici eis adesse possunt sine peccato saltem veniali, et sæpe mortali, propter scandalum; omnes enim comperiunt hujusmodi oblectamenta gravitati et sanctitati clericorum non congruere.

8° *Quilibet luxus.* Maxima et nobilis relucere debet simplicitas in omnibus quæ ad clericos pertinent, in vestibus, in mensa, in supellectili, etc., ut imitentur Christum cujus sunt ministri, et de quo ait Apostolus, II Cor. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Unde concilium Carth. IV, can. 15 : « Episcopus vilem supellectilem, et mensam » ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vitæ meritis quærat ; » *Labbe,* t. II; concilium Nicænum II : « Omnis jactantia et ornatura corpo» ralis aliena est a sacrato ordine ; episcopos ergo vel cle» ricos qui se fulgidis et claris vestibus exornant, emen» dari oportet. » *Labbe,* t. VII, p. 660.

Nec ea quæ capillos et habitum spectant prætermisit

Ecclesia, quidquid sapit sæculum in ministris suis semper reformidans. Decret. 1ª part., dist. 33, c. 52; Decretal. l. 3, tit. 1, c. 7; Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 11, cap. 4 et 9.

A mente etiam Ecclesiæ et a pietate clericali bene intellecta alienus est habitus abjectus, sordidus, præsertim in sacerdote, qui cum multis quotidie relationes societatis habere debet.

Notandum ea omnia, quæ decentiæ causa clericis interdicuntur, *a fortiori* religiosis prohibita esse.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SACRA HIERARCHIA.

Hierarchia a duobus verbis græcis, ἱερὸς, *sacer*, et ἀρχὴ, *potestas*, veniens, definitur : *Potestas, in plures gradus distributa, a Christo instituta, Apostolis eorumque successoribus tradita, ad regendam Ecclesiam et divina mysteria celebranda et distribuenda.* Una est ordinis, et altera jurisdictionis. Hierarchia ordinis est potestas eo fine instituta, ut bona spiritualia a charactere pendentia, et maxime sacramenta, fidelibus tribuantur : hierarchia vero jurisdictionis est potestas subditos in ordine spirituali regendi.

ARTICULUS PRIMUS.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

De hac hierarchia loquitur concilium Trid., quando dicit, sess. 23, can. 6 : « Si quis dixerit in Ecclesia ca-
» tholica non esse hierarchiam divina ordinatione insti-
» tutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et minis-
» tris; anathema sit. »

Verbo communi *ministris* utitur, ut quæstionem de subdiaconatu et minoribus ordinibus agitatam, liberæ theologorum disputationi relinquat.

De fide est ergo sacram existere hierarchiam ex episcopis, presbyteris et saltem diaconis constantem, ac proinde statum clericalem a statu laicorum divina institutione esse distinctum : id aliunde evidenter constat ex dictis, ubi probavimus episcopatum, presbyteratum et diaconatum rationem sacramenti habere, et indelebilem characterem in anima imprimere. Unde ruit systema Lutheranorum, Calvinistarum aliorumque Protestantium, asserentium omnes fideles æqualiter esse sacerdotes, et sola communitatis vocatione ad obeundum ministerium sacrum deputari.

Ex hypothesi valde probabili, quod subdiaconatus et minores ordines a Christo non fuerint instituti, nihilominus subdiaconi et alii inferiores clerici propriam habent auctoritatem in ordinatione susceptam, atque suo modo ad hierarchiam pertinent, sed tantum jure ecclesiastico.

Patet autem, ex superius dictis in decursu hujus Tractatus, potestatem hierarchicam, ratione characteris spectatam, eamdem esse in omnibus individuis ejusdem ordinis. Unde omnes episcopi, rite ordinati seu consecrati, parem habent potestatem ordinis, sine ulla distinctione sedium, metropolitarum, patriarcharum, vel etiam papæ : idem omnino dicendum est de presbyterorum, diaconorum cæterorumque clericorum potestate vi ordinationis accepta.

Hæc potestas vi sacramenti Ordinis accepta, est inamissibilis : eo sensu coerceri potest quod illicite, non vero invalide exerceretur. Unde episcopus interdictus, excommunicatus, degradatus, scandalosus, apostata, valide confirmat, valide ordinat, servatis aliunde servandis; sacerdos valide consecrat, Extremam-Unctionem administrat, etc. De officiis singulorum Ordinum in proprio eorum loco diximus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS.

Jurisdictio in genere est potestas regendi subditos. Alia est ecclesiastica et alia civilis. Jurisdictio ecclesiastica est potestas regendi subditos in ordine ad salutem, et jurisdictio civilis, potestas eos regendi in ordine ad res sæculares et ad reipublicæ gubernationem respicit.

Jurisdictio ecclesiastica, licet cum potestate ordinis intime conjuncta, ab illa tamen multum differt. Potestas enim ordinis per consecrationem confertur, secundum suam substantiam est inamissibilis et habet pro objecto sacrificium, sacramenta, consecrationes et benedictiones : potestas vero jurisdictionis per hominis injunctionem confertur, et ei cui confertur non adhæret immutabiliter et habet pro objecto fidelium gubernationem.

Dividitur in voluntariam et contentiosam, et in ordinariam et delegatam.

Jurisdictio voluntaria ea est quæ per se in solos bene volentes exercetur, ut potestas a peccatis absolvendi; contentiosa etiam in invitos exercetur, v. g., potestas censuras ecclesiasticas ferendi, clericos ab officiis amovendi, etc.

Jurisdictio ordinaria est illa quæ alicui ratione dignitatis vel officii competit : delegata vero quæ alicui per alterius commissionem datur.

Jurisdictio ecclesiastica non per ordinem, sed per missionem conceditur, et vera esse non potest, nisi legitime descendat ab Apostolis, quibus Christus dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, Joan. xx, 21 : necessario igitur supponit assignatos esse subditos qui gubernentur ac regantur. Talem fuisse voluntatem Christi patet non solum ex constanti traditione, sed ex natura rei; si enim omnes episcopi et presbyteri, valide ordinati, diversas ordinis sui functiones ubique pro libitu exercere possent, intolerabilis existeret confusio totam conturbans Ecclesiam : sicut ergo in societate civili bene ordinata, singuli

magistratus, legitime constituti, speciales habent subditos quibus regendis præponuntur, ita sit in Ecclesia necesse est.

Cum utraque potestas, ordinis scilicet et jurisdictionis, non eadem acquiratur via, una ab altera separari potest, et de facto frequenter separatur. Episcopus canonice electus, confirmatus et possessionem sedis adeptus, episcopalem habet jurisdictionem eamque valide et licite exercere potest, licet non consecratus; functiones vero ordinis valide exercere nequit, defectu characteris.

E contra, episcopus consecratus qui sedem non obtinuit, vel eam abdicavit, vel ab ea canonice depositus fuit, actus ordinis valide exerceret, non item actus jurisdictionis : qui vero ordinem et jurisdictionem simul habet, omnes actus et ordinis et jurisdictionis valide ac licite intra limites sibi assignatos exercet.

Jurisdictio in genere a Christo fuit instituta, et ab eo per legitimos pastores usque ad ultimas generationes transmitti debet; sed modus eam transmittendi et dividendi est humanus atque variari potest.

In Tractatu *de vera Ecclesia* probavimus Romanum pontificem, B. Petri successorem, jure divino universalem habere jurisdictionem, ejusque prærogativas ab ea jurisdictione fluentes exposuimus. Ostendimus etiam episcopos legitime institutos jurisdictionem in totam diœcesim sibi assignatam a Christo probabilius immediate accipere. Sed, præter summum Pontificem et episcopos, qui jure divino hierarchiam jurisdictionis constituunt, alii jure ecclesiastico ad eam juxta varios gradus concurrunt, et sunt, in primo ordine, cardinales, legati, patriarchæ, primates, metropolitæ, vicarii apostolici, coadjutores, suffraganei, administratores et chorepiscopi; in secundo ordine, prælati inferiores, vicarii generales, canonicorum capitula eorumque dignitates, vicarii capitulares, parochi, et cæteri clerici.

Cum autem plura dicenda sint de episcopis, canonicis et parochis, de iis agemus in triplici sectione cui quartam

addemus de aliis ad hierarchiam jurisdictionis pertinentibus.

SECTIO PRIMA. — De Episcopis.

Dicemus 1° de legitima eorum constitutione; 2° de eorum translatione et renuntiatione; 3° de eorum dignitate et privilegiis; 4° de eorum potestate; 5° de eorum residentia; 6° de aliis eorum muneris officiis; 7° de eorum vicariis.

P. I. — *De legitima Episcoporum constitutione.*

Ad episcopum legitime constituendum tria sunt necessaria, nimirum electio, institutio et ordinatio.

Electio Episcoporum.

Electio, prout in jure accipitur, est designatio personæ ad certum officium promovendæ, suffragiis plurium capitulariter vel collegialiter facta. Duplex distinguitur : *collativa*, qua electores per seipsos immediate conferunt officium : sic cardinales summum conferunt pontificium; et *confirmativa*, quæ scilicet confirmatione indiget ut officium conferatur : talis est electio episcopi a clero vel a capitulo facta.

1° Certum est in primis Ecclesiæ temporibus sacros ministros a plebe christiana simul et a clero fuisse electos, ut patet exemplo successoris Judæ, Act. I, 23, et septem diaconorum, Act. VI, 3; Apostoli enim dixerunt : *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem quos constituamus super hoc opus... Placuit sermo coram omni multitudine, et elegerunt Stephanum, etc.*

2° Statim ac episcopus defunctus sepulturæ fuerat traditus, ad electionem successoris ejus procedebatur, ne, cum animarum detrimento, sedes diutius vacua remaneret : plebis et cleri ecclesiæ vacuæ consensus exquirebatur, ut innumeris constat testimoniis Patrum, et factis in historia ecclesiastica relatis.

3° Concilium Chalcedonense statuit, anno 451, canone 25, intra tres menses ordinationes episcoporum fa-

ciendas esse, nisi inexorabilis necessitas tempus ordinationis procrastinari suaderet.

Hunc canonem in memoriam revocat S. Greg. Magnus l. 7, Epist. 15; eum renovant concil. Vernense anno 755, can. 17; concil. Ravennense anno 878; et in concilio Lateranensi IV Innocentius III dicit : « Statuimus ut ultra « tres menses cathedralis vel regularis ecclesia prælato » non vacet. » Decretal. l. 1, tit. 6, cap. 41.

4° Non raro desideria principum electionem prælatorum determinabant : sic ad votum Theodosii Magni Nectarius patriarcha Constantinopolit. ordinatus est, et Arcudius, rogante clero et populo, Joannem Chrysostomum successorem ejus nominavit.

5° Facultas episcopum eligendi soli clero reservata est : populus tamen convocabatur, non ad eligendum, sed ad consentiendum : « Sacerdotum quippe est electio, et fi» delis populi consensus adhibendus est, quia docendus » est populus, non sequendus, » inquit papa Stephanus apud Gratianum, Decret. 1ª part., dist. 63, can. 12. Electio deinde ad solum transiit capitulum versus sæculum decimum tertium.

6° Magistratus et principes sæpe non modicam habebant partem in electione episcoporum, maxime pro sedibus primariis; vel nominationem sibi arrogabant, vel electionem dirigebant aut imperabant.

Pluries Sedes Apostolica pro libertate electionum fortiter reclamavit, episcopos sic irregulariter electos repulit, alios deposuit, electiones sibi reservavit, et inde inter utramque potestatem dissensiones bono regni et Ecclesiæ adversantes.

Hinc origo concordatorum quæ inter summos Pontifices et principes christianos variis temporibus inita fuerunt, ut in Tractatu *de Ecclesia* retulimus.

7° « Triplex est duntaxat via juridicæ electionis : per » inspirationem Spiritus sancti; per scrutinium et per » compromissionem : » sunt verba concilii Lateranensis IV, can. 24.

Per inspirationem, ut in sæculis aureis non semel acci-

dit : sic divinitus electi sunt Fabianus papa, Nicolaus Mirensis episcopus, Ambrosius Mediolanensis, Eucherius Lugdunensis, Anianus Aurelianensis, etc.

Per scrutinium, et tunc omnes qui jus ad electionem habent, et præsentes sunt saltem in civitate, convocandi sunt sub pœna nullitatis ad nutum contempti pronuntiandæ; singulorum præsentium suffragia colliguntur, et majori parte fit electio, quæ, semel manifesta, est irrevocabilis : *Publicato scrutinio, variare nequeunt electores.* Decretal. lib. 1, tit. 6, cap. 5, 8.

Per compromissionem, si nempe electores conveniant se habituros pro legitimo episcopo quem unus, duo vel tres, etc., elegerint, ut videre est in Decretal. l. 1, tit. 6, cap. 30, et in aliis juris canonici locis.

8° Lutherani et Calvinistæ arbitrantur sacrorum ministrorum, ideoque episcoporum ubi sunt episcopi, electionem ad clerum et populum jure divino pertinere, idque probare conantur exemplo Mathiæ et septem diaconorum. Sed 1° illa exempla præceptum non involvunt; 2° constans Ecclesiæ traditio et interpretatio populi concursum essentialem non esse docet; 3° concilium Trid., sess. 23, can. 7, dicit : « Si quis dixerit ordines ab ipsis » (episcopis) collatos sine populi vel potestatis sæcularis » consensu aut invocatione, irritos esse; anathema sit. » Ergo.

Confirmatio seu institutio Episcoporum.

Electione terminata, decretum ad metropolitanum mittendum statim conficiebatur, et omnes electores ei subscribebant.

Metropolitanus decretum sibi delatum examini subjiciebat, et, eo regulis canonicis congruente reperto, ad institutionem et consecrationem electi procedebat, quemadmodum in Tractatu *de Ecclesia* diximus.

Nunc apud nos et in pluribus aliis regnis electioni successit nominatio regia virtute concordatorum inter summos Pontifices et principes sæculares initorum. Institutio autem, paucissimis forsan exceptis sedibus in Oriente, universim petenda est a Romano pontifice, qui dat electo

vel nominato, in Bulla confirmationis, facultatem suum eligendi consecratorem.

Ordinatio seu consecratio Episcoporum.

1° Consecratio episcopi fieri debet die dominica, vel natalitia Apostolorum, vel etiam alio die festivo, si summus Pontifex hoc specialiter indulserit. Conveniens est, inquit Pontificale, ut tam consecrator quam electus præcedenti die jejunent.

2° Ex concilio Nicæno I, canone 4, Carth. III, can. 39, et perpetuo more apud Græcos et Latinos recepto, ad consecrationem episcopi tres alii requiruntur episcopi : existit ergo præceptum ecclesiasticum, obligans sub mortali, ut episcopus aliter non consecretur. *In hoc omnes consentiunt.*

3° Omnes pariter fatentur episcopum ab unico episcopo ex dispensatione summi Pontificis valide et licite ordinari posse; sæpe enim Romani pontifices hujus generis dispensationes concedunt ad consecrandos episcopos in missionibus extraneis, ubi tres episcopi difficile congregari possent : tunc consecrator a duobus presbyteris assistitur. Unde si Christus voluit tres episcopos ad consecrationem episcopi necessarios fore, dicendum est eum statuisse ut ex dispensatione Pontificia unicus sufficeret; sicque minister extraordinarius esset, velut presbyter respectu Confirmationis.

4° Nunc igitur quæstio est an consecratio facta ab unico episcopo, sine summi Pontificis dispensatione, sit nulla, an vero tantum graviter illicita. P. *Morinus* et *Tournely* eam habent ut nullam atque iterandam. Alii multo communius, et, ut nobis videtur, probabilius, contendunt eam esse tantum illicitam. Nam 1° « plures in sacra an» tiquitate occurrunt antistitum ordinationes ab uno tan» tum episcopo peractæ, quæ redarguuntur quidem ut » illicitæ, sed minime rejiciuntur ut irritæ ac nullæ; » Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 13, n. 4. 2° Concil. Carth. IV, can. 2, jubet ut duo episcopi *librum* Evangeliorum super cervicem electi teneant, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tan-

gant, *et uno super eum fundente benedictionem.* 3° In Pontificali Romano unus dicitur consecrator, et duo alii vocantur tantum assistentes. Ergo. Vide *Billuart,* dissert. 4, art. 3; Bened. XIV, loco citato; *Devoti*, t. I; *Thomassin*, *Cabassut*, *Van-Espen*, *Juénin*, etc.

Abs re non est hic annotare ea quæ in actu consecrationis promittuntur, ab episcopis omnino tenenda esse.

P. II. — *De translatione et renuntiatione Episcopi.*

1° Inter sacerdotem qui creatur episcopus et ipsius ecclesiam sublimis initur contractus matrimonio comparatus et qui, ex natura sua, est perpetuus : sola igitur summi Pontificis auctoritate episcopus semel institutus ab una ecclesia in aliam transferri potest, ut statuitur in Decreto, part. 2, causa 7, can. 38, et in Decretal. l. 1, tit. 7, de Translatione episcopi.

2° Duæ autem generatim assignantur in jure causæ justæ transferendi episcopum, scilicet necessitas et Ecclesiæ utilitas : unde regulas ecclesiasticas bene non intelligunt qui negant hujusmodi translationem licite fieri posse, quoties communis utilitas vel necessitas id persuadet.

3° Translatio episcopi regulariter fit a minore ad majorem ecclesiam, ut supponit Innocentius III, in Decretal. tit. de Translatione episcopi, modo citato, cap. 1. Attamen, ob causas particulares, translatio fit interdum ad aliam ecclesiam quæ non est major, et referuntur exempla translationis archiepiscoporum ad ecclesias episcopales, nec improbantur quando cessio non facta est per fraudem, v. g., ad obtinendum episcopatum archiepiscopatu derelicto locupletiorem.

4° Episcopus nominatus et confirmatus, nondum consecratus, ad aliam sedem transferri non potest invitus, quia nemo invitus in episcopum consecrari potest; sed in eo casu dignitati episcopali omnino cedere debet, allegando se nunquam consecrari velle in episcopum. Ast consecratus, ex rationabili causa, potest a Papa transferri invitus ad aliam ecclesiam, ut fuse probat *Ferraris*,

v° *Episc.*, art. 3, n. 52, ex jure canonico et ex multorum suffragio.

5° Quando episcopus sciens et volens transfertur, prior ipsius sedes vacat a die quo Papa de translatione pronuntiat in consistorio; non vero, ut quidam voluerunt, a die quo accipit possessionem novæ ecclesiæ. Item ubi episcopus sedi suæ simpliciter renuntiat, titulum suum amittit per ipsam et solam summi Pontificis acceptationem. Attamen in utroque casu jurisdictio remanet penes episcopum translatum vel renuntiantem, « quoadusque renun» tiatum ipsi fuerit rescissum jam in consistorio fuisse » vinculum quo ecclesiæ obstringebatur. Eo autem nuntio » ad ipsum perlato, abdicare illico se debere exercitio cu» juscumque jurisdictionis, hancque universam in capi» tulum transferri statutum est. » Ita se habet Bened. XIV, de Synod. diœces., l. 13, cap. 16, n. 10.

6° Ut renuntiatio sit valida, duæ necessariæ sunt conditiones, scilicet, 1ª, ut sit libera, non vero per dolum, fraudem aut metum extorta; 2ª ut a summo Pontifice sit acceptata et acceptatio sufficienter manifestata. Decretal. l. 1, tit. 7, et toto titulo 9, de Renuntiatione.

Ut autem renuntiatio sit licita, procedere debet ex causa gravi : causæ a canonistis recognitæ tanquam sufficientes sunt conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum, irregularitas personæ. Decretal. l. 1, tit. 9, cap. 10. Sæpius hujusmodi causæ reddunt demissionem non solum permissam, sed obligatoriam, et generatim quoties episcopus aliter bono suæ ecclesiæ providere non potest.

P. III. — *De episcopi dignitate et privilegiis.*

1° Ostendimus episcopos simplicibus presbyteris sua ordinatione esse superiores : constat eos Apostolorum esse successores, et semel canonice institutos, plenam habere jurisdictionem in tota diœcesi, summo Pontifici subordinatam. Nomen episcopi est græcum, idem significans ac latine speculator; et quamvis olim commune fuerit episcopis et sacerdotibus, ut quidam volunt, sicut voces *se-*

niores et *presbyteri* ad episcopos et sacerdotes sæpe adhibitæ fuerint, nihilominus certum est inter eos semper fuisse distinctionem, etiam tempore Apostolorum. Unde conc. Trid., sess. 23, can. 7 : « Si quis dixerit episcopos » non esse presbyteris superiores, vel non habere potes» tatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent » illis esse cum presbyteris communem... anathema sit. »

2° Episcopus dicitur ordinarius, quia ordinariam in sua diœcesi habet jurisdictionem; et diœcesanus, respectu civitatis et territorii sibi subjecti; ac suffraganeus, respectu metropolitani cui subjicitur : ipsius ecclesia appellatur cathedralis, quia in ea est ipsius sedes episcopalis seu cathedra.

3° Valde controvertitur inter theologos an Christus omnes Apostolos ordinaverit episcopos, ut videre est apud Bellarminum, de Romano pontifice, l. 4, cap. 13; Bellarminus, *Turrecremata*, *Barbosa* et alii docent solum B. Petrum a Christo immediate consecratum fuisse episcopum, et ipsum alios ordinavisse Apostolos; nituntur cap. 2, dist. 68 primæ partis Decreti Gratiani, ubi legitur: « Bea» tus Jacobus qui Justus dicebatur, et, secundum carnem, » frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo et Joanne » apostolis est ordinatus. » Alii vero, et generatim Galli, contendunt omnes a Christo immediate et simul ordinatos fuisse, probabiliter in ultima cœna, quando Christus dixit : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis;* vel post resurrectionem, quando insufflavit super eos et dixit : *Accipe Spiritum sanctum*; *quorum remiseritis*, etc. Unde auctor Quæst. ex Veteri et Novi Test. inter opera S. Aug. App. ad t. v : « Nemo ignorat epi» scopos ecclesiis Salvatorem instituisse; ipse enim prius» quam in cœlo ascenderet, imponens manus Apostolis, » ordinavit eos episcopos. » Quidquid sit, constat episcopos esse Apostolorum successores, et, ratione Ordinis, cardinalibus non episcopis, presbyteris et diaconis præstare, quia multa possunt quæ cardinales facere nequeunt.

4° Episcopus semel valide consecratus, etiam schismaticus, vocatur a Papa, *venerabilis frater*, ut ostendit Be-

ned. XIV, in Const. *In postremo,* diei 2æ octobr. 1756, § 2. Ab aliis, sive laicis, sive clericis, dicitur etiam ante consecrationem, *Illustrissimus, Reverendissimus,* et tituli, *Magnitudinis, Celsitudinis, Amplitudinis,* ei tribuuntur, gallice, *Monseigneur,* et *Votre Grandeur* vel *Sa Grandeur.*

Lex diei 18 *germinal an* x (8 aprilis 1802), art. 12, sic habet: « Il sera libre aux archevêques et évêques d'ajouter » à leur nom le titre de citoyen ou de monsieur. Toutes » autres qualifications sont interdites. » Mos tamen antiquus prævaluit, et tituli olim usitati ubique apud nos tribuuntur episcopis, non solum a fidelibus, sed a magistratibus et ab ipsis gubernii ministris, dicentibus eos *legaliter* non esse debitos, sed ex benevolentia concedi.

5° Episcopi semel consecrati ubique gentium habent locum a sacerdotibus et ab ipsis protonotariis Apostolicis distinctum, quod Pius II, Const. *Cum servare,* ad episcopos cathedralium auctoritate Apostolica electos et confirmatos extendit.

6° Episcopus titularis, qui canonicatum vel dignitatem in aliqua ecclesia retinet, cunctis aliis canonicis et dignitatibus etiam ipso antiquioribus præcedere debet, ex variis Congr. Rit. decisionibus. *Ferraris,* v° *Episc.,* art. 4, n. 2.

7° Episcopus prior ad episcopatum promotus alteri post ipsum promoto, etsi digniori vel illustriori, præcedere debet, ex decisione ejusdem Congr. diei 21 martii 1609. Inter suffraganeos, sive Latinos, sive Græcos, alia non habenda est ratio, cæteris paribus, quam promotionis ad episcopatum. Sic definit Cong. de Propaganda fide, die 16 febr. 1630.

8° Episcopus, in sua ecclesia vel diœcesi, omnibus aliis episcopis et archiepiscopis, solo metropolitano suo excepto, præferendus est, ex decreto Congr. Rit. diei 10 januarii 1609; sed ex urbanitate, juxta eamdem Congr., extraneos in sua diœcesi honorare debet.

9° In concilio provinciali præcedentia episcoporum statuenda est secundum tempus ordinationis, non secun-

dum ecclesiarum dignitatem. Ita decrevit Congr. Concilii, die 19 aprilis 1596.

10° Ex concilio Trid., sess. 25, cap. 17 de Ref. et ex variis sacrarum Congregationum decretis, constat episcopum in sua ecclesia et diœcesi omnes sæculares, etiam principes, præcedere debere, ut longe et solide probat *Pignatelli*, referente *Ferraris* v° *Episc.*, art. 3, n. 8.

11° Episcopus, in sua ecclesia, in sublimiori loco sedere debet, ut habetur in Decreto, 1ª part., dist. 95, can. 10. In omnibus diœcesis suæ ecclesiis, quantumvis exemptis aut privilegiatis, est honorandus; in choro, in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis primus locus et prima sedes ipsi danda est, ut decrevit sacra Rituum Congr. die 6 decembris 1613. Pulchriorem et majorem habere debet sedem quam gubernator civitatis, non tamen rubri coloris, ex decisione ejusdem Congr. diei 3 octobris 1615 : quæ limitatio in Gallia non servatur. Vide etiam concil. Trid., sess. 25 de Reform., c. 6.

12° Sedes episcopi debet esse fixa et immobilis, apud parietem contra altare constituenda, ad cornu evangelii collocanda, cum decenti ornamento paranda, habens hinc et inde sedes seu stallas pro dignitatibus et canonicis episcopo adstituris. Hæc a S. Congr. Rituum in variis decretis fuerunt statuta et Cæremoniali Episcoporum, l. 1, c. 13, concordant. Si chorus modo romano sit dispositus, vulgo *à la romaine*, sedes episcopalis e regione altaris parieti applicabitur, ita ut episcopus in ea sedens, respiciat recta linea mediam altaris partem, habens hinc et inde sedilia canonicorum.

13° Eadem Congr. definiit, die 9 maii 1606, episcopum posse tamen exigere ut sedes sibi erigatur extra chorum in ecclesia, ubicumque voluerit, modo et pro canonicis etiam præparentur loca.

14° Solus episcopus privatc celebraturus paramenta in altari accipere potest, et duos habere ministros superpelliceis indutos præter tertium, clericum vel laicum, communi veste indutum. S. Congr. Rit. 7 julii 1608.

15° Episcopus in omnibus diœcesis suæ ecclesiis, quan-

tumvis exemptis, divina celeberare potest officia in pontificalibus, cum sua dignitatum et canonicorum assistentia, et per alios celebrare facere; S. Congr. Rit. 26 julii 1600. In omnibus ecclesiis intra fines suæ diœcesis existentibus, dum ibi celebrat, aut, quacumque ex causa, missæ aut vesperis solemnibus interest, potest sibi assumere suos canonicos assistentes : ad ipsum pertinet confessionem in principio missæ facere; incensum imponere et benedicere, ac benedictionem post missam aut vesperas dare. Congr. Rit. 7 febr. 1604.

16° Eadem Congr. definit, die 23 nov. 1612, non decere ut episcopus celebrans prælatos, canonicos et alios quoscumque thurificet, et aqua benedicta aspergat.

17° Episcopo celebranti assistere debet prima dignitas in ordine presbyterali constituta, quocumque nomine appelletur, ex decreto Congr. Rit. 7 aug. 1610. Si episcopus extra cathedralem in pontificalibus celebrare velit, secum ducere potest, in quamcumque ecclesiam suæ diœcesis, aliquos de capitulo qui sibi assistant et ministrent, etiamsi in ea ecclesia sufficiens sit numerus presbyterorum, quia semper habere debet pro assistentibus digniores et honoratiores. Sic variæ Congr. Rit. decisiones a *Ferraris* citatæ, v° *Episc.*, art. 4, n. 32. et 33.

18° Eadem Congr. definiit, 20 febr. 1627, quod in publicis processionibus episcopus incedere non debeat inter dignitates, sed solus, cum cappa et biretto, post reliquiam aut imaginem, si deferatur, nisi existat consuetudo in contrarium.

19° Si episcopus junior ad archiepiscopatum promoveatur, alios antiquiores se præcedit; et si antiquior post juniorem ad archiepiscopatum evehatur, junior prius archiepiscopus factus præcedentiam retinet, ut plurimi docent apud *Ferraris*, ibid., n. 43 et seq.

20° Episcopi est abusus circa ritus et cæremonias corrigere et cuncta ad normam Cæremonialis reducere; *Gardellini*, n. 436. Item abusus tollere etiam in ecclesiis regularium. Id. 2293, ad 5.

21° Ad episcopum *privative* pertinet indicere, regulare,

prohibere processiones publicas, *de consilio* non *de consensu* capituli, etiam quoad processiones una vice faciendas. Vide apud *Ferraris,* v° *Process.*, n. 14 et 15, quæ processiones reputandæ sint publicæ. Circa processioneslocis speciales, sine concursu capituli faciendas, episcopus statuere potest, etiam consilio capituli non requisito. Plures apud *Gardellini* citantur S. R. Congr. decisiones, v° *Process.*

22° Episcopo quædam ad majus Ecclesiæ decus jubenti canonici cathedralis parere debent, ex decisione S. R. Congr. 2 decembr. 1673.

23° Episcopus pontificaliter celebrans prohibere potest ne interim missæ privatæ celebrentur. *Eadem S. Congr.* 28 *aug.* 1665. Data benedictione post concionem, iterum benedicit, missa expleta. *Ead. S. Congr.* 14 *nov.* 1676.

24° Pontificalia extra suam diœcesim exercens, uti debet faldistorio, nec ei licet sedere in cathedra sub baldachino, etiam annuente episcopo loci. *S. R. Congr.* 29 *jan.* 1636 *et* 6 *maii* 1706.

25° Episcopus privatim benedicere non potest in process. Corporis Christi, neque feria 6ª in Parasceve. *Ead. S. Congr.* 26 *jan.* 1638 *et* 18 *sept.* 1666.

26° Episcopus divinis officiis cum rochetto et mozetta assistens, sedere debet, non in sede episcopali, sed in primo stallo, sine assistentia, ex variis S. R. Congr. responsionibus, apud *Gard.* n. 927, 1430 et 2351, ad 3um. In Galliis usus est ut, saltem diebus solemnibus, in sede pontificali cum rochetto, mozetta et assistentia sedeat.

P. IV. — *De potestate episcopi.*

Multa jam diximus de potestate episcopi, sive ratione ordinis, sive ratione jurisdictionis, tum in Tractatu *de Ecclesia,* tum in aliis Tractatibus, agendo de legibus, de sacramentis, de dispensationibus, de monialibus, etc. Quædam tamen alibi omissa, vel insufficienter exposita, hic breviter annotabimus.

1° Probavimus, in Tractatu *de Ecclesia,* simplices sacerdotes ipsosque parochos non esse necessarios episcopi consultores : attamen ut regimen ecclesiasticum suavius

esset, statutum fuit in concil. Carth. IV, anno 398, can. 23, « ut episcopus nullius causam audiat absque præsen- » tia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia. » Hæc disciplina diu exstitit. Presbyteris ecclesiæ successit capitulum cathedralis, unum corpus administrationis constituens cum episcopo, qui caput illius erat, et in negotiis ecclesiæ suæ nihil peragere aut pertractare poterat sine illius aut sanioris ejus partis consilio, ut expresse declarant Alexander III anno 1181 defunctus, et Cælestinus III, in Decretal. l. 3, tit. 10, cap. 4 et 5. Deinde canonicorum negligentia, incuria, ignorantia, aliave de causa, a multo jam tempore prævaluit consuetudo ut episcopi in exercitio suæ jurisdictionis a capitulo essent prorsus independentes : suos habere debent consiliarios quos pro arbitrio eligunt, sive ex capitulo, sive ex aliis presbyteris diœcesanis aut extraneis.

2° Bened. XIV, de Synodo diœces. l. 13, cap. 1, n. 5 et seq. docet 1° canonicos cathedralis consiliarios esse natos episcopi, jure Decretalium; 2° episcopum teneri, jure communi, et seclusa consuetudine legitime præscripta, consilium capituli sui exquirere in rebus gravioris momenti, sed non sequi, nisi in casibus jure expressis et per legitimam præscriptionem non sublatis, quia latum intercedit discrimen inter consilium et consensum. Dicit enim capitulum esse respectu episcopi, sicut collegium cardinalium respectu Papæ : Papa autem ardua Ecclesiæ negotia decernere non solet sine fratrum suorum cardinalium consilio, quamvis sciat supremæ potestatis suæ exercitium ab eorum consensu non pendere : ita et episcopus consilium capituli petere tenetur, sed assensu ejus non indiget, exceptis casibus in jure expressis. 3° Casus autem jure communi excepti sunt præcipue si agatur de rerum ad cathedralem pertinentium alienatione, de earum administratione, de canonicatuum suppressione, de auctoritatis vel dignitatis ecclesiæ cathedralis diminutione, de quolibet ejus præjudicio, de numeri canonicorum augmentatione, de curæ animarum toto capitulo incumbentis in certam personam vel dignitatem transla-

tione, etc. In cæteris vero capituli consilium exquirere sufficit, etiam in officiis præscribendis, in processionibus indicendis. *Ferraris*, v° *Capit.*, art. 2, n. 19. Quæ ad administrationem vel alienationem rerum ad cathedralem pertinentium spectant, vi circumstantiarum ad fabricam transierunt apud nos, et ideo nec consilium capituli nunc exquirendum est, nisi ex aliqua convenientia, si expedire videatur episcopo. Jam ante schisma anni 1791 mos invaluerat ut episcopi absque ulla capituli participatione jurisdictionem suam voluntariam et contentiosam exercerent, leges et statuta disciplinæ conderent, etc., ut videre est apud *Bergier, Dict. théol.*, art. *Chapitre; Conf. d'Angers, 2e édit. par le card. Gousset*, t. xx, p. 344, etc. Docet insuper Bened. XIV episcopum novas constitutiones in synodo promulgaturum, sententiam totius cleri suæ diœcesis efflagitare non teneri, sed satis esse si capituli consilium exposcat, etsi illud sequi non teneatur, nisi ipsis constitutionibus agatur de re ad quam jura majoris partis capitularium exigunt consensum; imo, ab obligatione petendi consilium capituli solutum esse episcopum « qui » per legitime præscriptam consuetudinem jus sibi acqui- » siit novas leges condendi et publicandi inconsulto capi- » tulo. *Ubi vero* contrariorum eadem est disciplina, ob- » stringeretur episcopus non solum consilium, sed etiam » sui capituli consensum expetere, ubi idem capitulum » id juris ex antiqua consuetudine sibi vindicasset. Con- » stant hæc omnia ex pluribus sacræ Congr. Concilii res- » ponsis. » Itaque episcopus consuetudines in sua ecclesia receptas apprime noscere debet, et sicut iis quæ sibi favent licite utitur, eas quæ capituli jus antiquum servant observare tenetur. Unde, juxta doctissimum pontificem, « posito quod episcopus, priusquam synodales constitutio- » nes promulget, sui capituli consilium exposcere debeat, » decet ut illas ante synodum singulis canonicis tradat » expendendas, omnibusque deinde in unum congregatis, » quid de iisdem sentiant requirat et audiat. » Non tenebitur tamen consilio eorum acquiescere; verum, si constitutiones inconsulto capitulo edidisset et promulgasset,

firmitate carerent, ut pote a norma jure præscripta deficientes : attamen, si justæ et rationabiles essent, sanciri possent a S. Congr. Concilii, quod aliquando factum est.

3° Ex decision. Congr. Episcop. 4 junii 1604 et Congr. Concil. 16 febr. 1700, episcopus semper intervenire potest in actibus capitularibus, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, dummodo de interesse suo non agatur, et convocationem capituli ex rationabili causa habere et suspendere potest.

4° Episcopus penes se retinere potest unum vel duos canonicos qui fructus præbendæ nihilominus percipiunt, id est, nunc apud nos, reditus a gubernio solutos, perinde ac si choro præsentes essent, ex decisione S. Congr. Concil. apud *Ferraris* citata, v° *Episc.*, art. 6, n. 21. At jus non haberent ad distributiones manuales, si essent.

5° Ecclesia cathedralis est episcopi plus quam canonicorum : *elle est honorée du titre de cathédrale, parce qu'elle est le siége de l'évêque : c'est la chaire épiscopale qui fait que cette église est la mère des autres, et le centre de la communion de tout le diocese.* (*Mémoires du clergé*, t. VI, p. 1121.) Episcopus ergo in ea celebrare potest, non solum diebus solemnibus qui dicuntur festa episcopalia, sed et aliis diebus si illi placeat, et insuper ordines conferre, chrisma conficere, fontes solemniter benedicere, etc. Imo in quibuslibet diœcesis suæ ecclesiis celebrare, prædicare, sacramenta per se vel per alium, etiam invitis canonicis et parochis, administrare potest, quia totius diœcesis primarius est pastor.

6° Quamvis episcopus plenam habeat jurisdictionem in sua diœcesi, consuetudines legitime existentes mutare non debet, nisi saltem ex gravi causa sedulo ponderata : « Justitia *enim* ac ratio suadet, ut qui sua a successoribus » desiderat mandata servari, decessoris procul dubio vo- » luntatem et statuta custodiat ; » Decreti 2ª p., causa 25, q. 1, can. 15 ; et ibid. can. 3 : « Quæ ad perpetuam utili- » tatem generaliter instituta sunt, nulla mutatione varien- » tur. » Consuetudines universim receptas in Ecclesia non magis abrogare vel mutare posset quam leges ge-

nerales, siquidem tales consuetudines veræ sunt leges.

7° Episcopi est jure communi, ad omnes diœcesis suæ titulos ecclesiasticos nominare eos qui sibi coram Deo magis idonei videntur, institutionem et jurisdictionem eis conferre. Olim, ex variis privilegiis, multi erant in Gallia patroni et præsentatores, quorum votis cedere tenebantur episcopi, nisi canonicas haberent rationes recusationis; nunc, hujusmodi privilegiis sublatis, episcopi plenitudinem suæ jurisdictionis sub hoc respectu recuperaverunt, excepto quod gubernium sibi reservavit facultatem probandi vel reprobandi nominationem vicariorum generalium, canonicorum et parochorum, ad effectum percipiendi emolumenta a gubernio soluta. Hæc reservatio pro parochis exprimitur in art. 19 legis 18 *germinal an* x (8 apr. 1802); nulla fit mentio de vicariis generalibus et canonicis, ad quos tamen hæc dispositio fuit extensa.

8° Quilibet ergo sacerdos sacri ministerii functiones exercens, regularis aut sæcularis, canonicus vel parochus etiam titularis, vicarius, aliusve, in iis quæ ad regimen animarum et sacramentorum administrationem pertinent, diœcesano episcopo subjicitur, ab eo moneri, corrigi aut suspendi potest, etiam pro occultis, sufficienter probatis, licet *extrajudicialiter*, pro ignorantia, negligentia, vel alio quovis excessu, ut loquuntur canonistæ, quamvis pœna a jure non specificetur : imo, quandoque sola præventio sufficit ut quis a certis functionibus, præsertim jurisdictionis voluntariæ, arceri possit. Delicta quorumvis clericorum punire, mores reformare, scandala prævenire, bono fidelium providere debet episcopus : sed soli Deo rationem sui ministerii reddere stricte tenetur, licet valde expediat ut non nisi cum maxima prudentia et ex virorum gravium consilio procedat. Causam suspensionis, si eam pronuntiaverit *ex informata conscientia*, ut aiunt, et virtute, cap. 1, sess. 14, conc. Trid., exprimere nullatenus tenetur, nec ipsi reo manifestare, sed soli Papæ, si requiratur.

Talis suspensio probabiliter non debet esse perpetua, nec indefinita. Per se non sufficit ad tollendum titulum

ecclesiasticum; v. g., ad privandum canonicum aut parochum suo titulo. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 12, cap. 8, n. 4; *Ferraris*, v° *Episc.* art. 6, n. 163; *Giraldi*, 3, p. 846; Bulla *Auctorem fidei*, prop. 49.

9° Canonicum autem et parochum titularem deponere et a titulo removere non potest, nisi in casibus in jure expressis, et ex consensu gubernii apud nos : plurimi sunt casus in quibus beneficium ipso facto amittitur, ut mors naturalis, mors civilis, renuntiatio, assecutio alterius beneficii incompatibilis, v. g., alterius parochiæ, contractus matrimonii per verba de præsenti, militia sæcularis, desertio status clericalis, promotio ad episcopatum secuta consecratione, translatio episcopi ad aliam sedem, professio religiosa, etc. Alii sunt casus in quibus titulus ipso facto non amittitur, sed episcopus, ob gravia crimina, depositionem titularis pronuntiare potest per modum pœnæ; at effectus in foro civili non obtinetur nisi consensus gubernii accesserit : imo, matrimonium coram parocho sic deposito, et titulum in foro civili adhuc retinente, contractum probabilius validum foret, juxta ea quæ diximus in Tractatu *de Matrimonio*.

10° Si titularis arbitretur se ab episcopo injuste fuisse damnatum, ad archiepiscopum, deinde ad primatem et tandem ad Papam appellare potest. Judicem medium præterire non posset, juxta nonnullos, ut ad superiorem immediate appellaret : attamen jure communi appellari potest immediate ad Papam in causis spiritualibus et ecclesiasticis, omissis cunctis judicibus intermediis, quia Papa est judex ordinarius omnium Christianorum, concurrentem habens potestatem cum cunctis Ordinariis; Decret. p. 2, causa 2, q. 6, can. 4, 6 et 16; Decretal. l. 2, tit. 8, cap. 8, etc. Appellatio etiam fieri potest ad legatum in tota provincia ei subjecta. Decretal. l. 1, tit. 30, cap. 1.

11° Cæterum ubi de correctione morum et honesta vita clericorum agitur, pœnæ arbitrio episcopi impositæ observari debent, et appellatio earum exsecutionem suspendere non potest; concil. Trid., sess. 22, cap. 1 de Re-

form., et Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 12, cap. 8, n. 5. Unde titularis ab episcopo censura ligatus eam servare tenetur, etiamsi ad superiorem pro reformanda sententia recurrat.

12° Parochi non titulares, qui in præsenti Ecclesiæ Gallicanæ statu vocantur *deservientes*, et *a fortiori* vicarii, ad nutum episcopi revocari possunt. Nihilominus, ex naturali æquitate, revocari non debent, nec revocantur, præsertim *deservientes*, nisi causa eorum mature, sub omni respectu, fuerit perpensa; absque tamen judicialibus formis. Si ageretur de suspensione a divinis indefinita contra quemcumque clericum, *Vuillefroy*, p. 407 et seq., plures ministrorum cultuum decisiones referens, contendit pronuntiandum esse judicium canonicum saltem summarium, et dari in foro civili recursum, qui effectum censuræ suspendat. At certe nullatenus pro foro interno suspendit.

13° Per decretum diei 17 nov. 1811, et instruct. minister. diei 1 aprilis 1822, statutum est ut in temporaria parochi absentia, episcopus alium committeret sacerdotem qui interea parochiam administraret, et præter fortuitos proventus (*casuel*) et usum domus presbyteralis, haberet, pro indemnitate, si titularis ob malam agendi rationem amoveretur, in parochia vulgo dicta *succursale*, dimidiam partem reditus fixi; in parochia secundæ classis, tres e quinque partibus (*trois cinquièmes*); et in parochia primæ classis, duas e tribus partibus (*deux tiers*). Hinc episcopi parochum titularem munere suo indignum facile amovere possunt, eum suspensione percutiendo, et administratorem ei, ex consensu gubernii, substituendo cum sufficientibus emolumentis ut honeste vivere possit.

Si titularis sit absens ob infirmitates, aliæ præscribuntur dispositiones, in citatis decreto et edicto regio, ad sustentationem vicarii qui pro tempore ei substituitur. Vide præfatos actus in collectione dicta *Bulletin des lois*, vel apud D. *Affre*, *Administration temporelle des paroisses.*

14° *Ferraris*, v° *Insignia*, varias refert S. Congr. Rit.

decisiones ex quibus constat episcopum non posse, inconsulta Sancta Sede, insignia canonicis Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ concedere vel concessa mutare, nec de novo almutiam concedere. Et hoc videtur conforme decreto cardinalis *Caprara,* 9 april. 1802, in quo facultatem concessit archiepiscopis et episcopis qui primi canonice instituerentur, capitula erigendi et quæcumque ad ea spectant statuendi, « relicta tamen eorum successoribus » statutorum illorum immutandorum facultate, requi- » sito prius capitulorum respectivorum consilio, si, at- » tentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum » judicaverint. In ipsis autem statutis vel condendis vel » immutandis religiosa sacrorum canonum observantia » retineatur, usuumque ac consuetudinum laudabilium » antea vigentium præsentibusque circumstantiis accom- » modatarum ratio habeatur. » Sed Pius VII, in bulla *Paternæ charitatis*, diei 6 octobris 1822, pro nova circumscriptione diœceseon Galliarum, vult et decernit ut archiepiscopi et episcopi pro singulis canonicorum collegiis statuta decernant, et ab ipsis observari curent. Solam eis imponit obligationem omnium hanc in rem gestorum documentum ad Sedem Apostolicam mittendi.

15° Episcopi insignia suæ dignitatis deferre et benedictiones publicas aut privatas impertiri possunt per omnia loca suæ diœcesis; archiepiscopi et legati, per totam provinciam sibi subjectam, sed non ultra. Item nulli episcopo licet, cujusvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia; et hæc prohibitio est sub pœna excommunicationis; conc. Trid., sess. 6, cap. 5 de Reform. Pro benedictionibus privatis, in itinere, in domibus, in oratoriis, vel etiam in ecclesiis, absque solemnitate, licentia Ordinarii communiter præsumitur. Archiepiscopus pontificalia in diœcesibus suorum suffraganeorum semper exercere potest, juxta *d'Héricourt* concilium Viennense citantem et in sola visitatione, juxta *Van-Espen,* sine Ordinarii licentia. Ordinarius autem, cujus licentia requiritur, est ipse episcopus loci, ipsius vicarius gene-

ralis, et vicarius capitularis. *Ferraris*, v° *Vicarius generalis*, art. 2, n. 591, hanc facultatem vicario generali denegat, nisi speciale ad id habeat mandatum a suo episcopo.

Actus autem voluntariæ jurisdictionis, usum pontificalium non requirentes, ut approbatio confessarii, nominatio ad beneficium, etc., exercere possunt episcopi et archiepiscopi extra limites territorii sibi subjecti, sed erga suos subditos duntaxat.

P. V. — *De episcopi residentia.*

1° Residentia ecclesiastica in genere est commoratio continua in loco beneficii vel officii, ipsius officii personaliter præstandi causa. Hæc tamen *continuitas* intelligenda est juxta leges ecclesiasticas. Unde, ex variis textibus juris, præsertim ex concil. Trid., sess. 23, de Reform. cap. 1, canonistæ duas distinguunt absentias, unam *brevem* quæ ultra tempus ab Ecclesia statutum non extenditur et residentiæ proprie dictæ non opponitur, et absentiam proprie dictam quæ, ultra limites asignatos extensa, residentiam debitam tollit.

2° Episcopi, etiam cardinales, tenentur jure divino in suis episcopatibus residere, ut colligitur ex concil. Trid., sess. 6, cap. 1 de Reform., ac sess. 23, cap. 1 de Reform., et expresse docent innumeri doctores etiam nimiæ severitatis non suspecti, idque ex ipsa animarum cura divinitus commissa evidenter sequitur.

3° Quando summus Pontifex permittit ut episcopus per aliquod tempus in diœcesi non resideat, illum ab obligatione jure divino præscripta proprie non dispensat, sed, ut advertit *Ferraris*, v° *Episc.*, art. 3, n. 2, declarat jus divinum in tali casu vel circumstantia non obligare; præcepta enim divina positiva non obligant semper et pro semper; Pontifex Romanus, ut vices Christi gerens, habet auctoritatem circa earum applicationem pronuntiandi. Eodem modo Ecclesia potuit generali statuto permittere quamdam fieri absentiam singulis annis, judicando eam sufficienti motivo communiter fundatam iri, nec bono

animarum obfuturam, nisi specialis aliqua circumstantia exigeret.

4° Plures sunt causæ quæ excusant episcopum a continuitate residentiæ in sua diœcesi, scilicet, 1° Christiana charitas, ut si qua Ecclesia versatur in periculo hæresis, et episcopus sua prædicatione ei succurrere possit, vel si ipsius mediatio necessaria sit ad pacem componendam, modo ex tali absentia notabile non sequatur damnum in propria ecclesia; 2° urgens necessitas, ut si episcopus grave malum vitæ incurreret propter morbum temporaneum, aeris intemperiem, personalem persecutionem, principis aut populi furorem, modo ex ipsius absentia oves ejus detrimentum non patiantur, alioquin remanere deberet cum periculo, quia *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. x, 11; 3° obedientia debita, quando scilicet Papa aliquem ad se vocat episcopum ob negotium ei committendum; sic cardinales Romano pontifici assistentes sufficientem habent causam ut ab ecclesiis quarum sunt episcopi absint; 4° evidens Ecclesiæ utilitas, v. g., si ad defendenda ecclesiæ suæ jura per aliquod tempus abesse debeat, aut si ad concilium generale aut provinciale sit convocatus; 5° magna reipublicæ utilitas, ut si episcopus pro negotiis magni momenti suæ civitatis aut totius regni ad summum Pontificem aut ad reges mittatur; 6° communiter etiam docent canonistæ episcopum licite ab ecclesia sua abesse ex summi Pontificis licentia, ut in curia regum fungatur munere regii præsidis, consiliarii, confessarii, etc., si tanta sit hominum penuria ut alii satis idonei minime reperiantur qui talia officia præstare possint : sunt propria verba *Ferraris*, v° *Episc.*, art. 3, n. 10.

5° Congr. Concil. declaravit, 23 sept. 1571, parochum teneri, etiam tempore pestis, sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ cum periculo vitæ ministrare, et Gregorius XIII eodem anno respondit hanc decisionem ad ipsum respicere episcopum, ob majorem ejus obligationem, qui tamen in loco tutiori manere potest unde necessitatem patientibus providere possit; nec stricte obligatus videtur ad mi-

nistranda per se sacramenta, præter Confirmationem, nisi deficiente sacerdote qui possit et velit. *Ferraris*, v° *Episc.*, art. 3, n. 12.

6° Congr. Episc. pronuntiavit, die 24 martii 1597, episcopum qui habet coadjutorem, ad residentiam nihilominus teneri etiam tempore contagii; et, 17 decembr. 1649, eum in quacumque diœcesis parte residere posse, modo vadat ad cathedralem temporibus a concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform., præscriptis, id est temporibus Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Domini, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eum alio vocent.

7° Sacrosanctum concil. in eodem capite permittit ut episcopus singulis annis per duos aut ad summum tres menses, continue aut diversis vicibus, ex æqua causa et absque ullo gregis detrimento, abesse possit, modo id non contingat, quantum fieri potest, temporibus et diebus supra exceptis. At ultimum trimestre unius anni cum primo trimestri anni sequentis jungere non potest, alioquin per sex menses continuos et per dies Adventus ac Nativitatis Domini abesset, sicque menti concil. adversaretur. Bened. XIV, Const. *Ad universæ*, 3 sept. 1746, requirens qualis sit causa æqua a concil. Trid. pro trimestri absentia episcoporum, dicit: *Animi levitas*, *oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur.*

Alia non pauca circa residentiam episcoporum reperiuntur apud *Barbosa*, *Van-Espen*, *Ferraris*, etc.

P. VI. — *De aliis muneris episcopalis officiis.*

Alia præcipua episcopi officia sunt prædicatio, oratio, diœcesis visitatio et synodi celebratio.

De prædicatione.

1° Episcopos strictam habere obligationem verbum divinum prædicandi per se, vel saltem per alios, si legitime fuerint impediti, constat 1° ex Act. vi, 2 et 4 : *Non est æquum,* inquit B. Petrus, *nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis... Nos vero orationi et ministerio verbi*

instantes erimus; 2° I Cor. IX, 16 : *Necessitas mihi incumbit ; væ enim mihi est si non evangelizavero :* episcopi autem sunt Apostolorum successores : ergo; 3° ex concil. Trid., sess. 5, cap. 2 de Reform. : « Quia vero christianæ reipu- » blicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelii » quam lectio, et hoc est præcipuum episcoporum munus, » statuit et decrevit eadem sancta synodus omnes episco- » pos, archiepiscopos, primates et omnes alios ecclesiarum » prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non » fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evange- » lium. Si vero contigerit episcopos et alios prædictos le- » gitimo detineri impedimento, juxta formam generalis » concilii, viros idoneos assumere teneantur ad hujus- » modi prædicationis officium salubriter exsequendum. » Unde cuilibet episcopo in ipsius consecratione dicitur : *Accipe Evangelium; vade, prædica populo tibi commisso.*

2° Nulla consuetudo aut contraria multorum episcoporum praxis episcopum ab eo munere eximere potest, quia, ut ait concil. Lateran. III, in Decretal. l. 1, tit. 31, cap. 15, citatum, « inter cætera quæ ad salutem spectant po- » puli Christiani, pabulum verbi Dei permaxime sibi » noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiali, » sic anima spirituali cibo nutritur. » Ab ea igitur obligatione, quæ est juris naturalis et divini positivi, nulla concedi potest dispensatio, nulla contra eam admittitur præscriptio.

3° Gravissimo autem huic muneri non satisfaceret episcopus aliquoties per annum ex cathedra concionando, sed totis viribus incumbere debet ut, non tantum in sua cathedrali, sed per omnem diœcesim populus sibi commissus præcipuis fidei nostræ dogmatibus et vitæ christianæ principiis imbuatur, ipso, data occasione, sæpe concionante, exhortante, instruente, mandata et epistolas pastorales mittente, curante ut parochi, vicarii aliique presbyteri cum animarum habentes vel in sacro ministerio laborantes, sanam doctrinam frequenter et debito modo annuntient, etc., ut dicere possit cum Apostolo, Act. XX, 20 : *Vos scitis... quomodo nihil subtraxerim uti-*

lium, quominus annuntiarem vobis et docerem vos publice et per domos, testificans Judæis et gentilibus in Deum pœnitentiam et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Quando in cathedrali præficitur parochus, ut nunc in Gallia, episcopus in ea, sicut in aliis ecclesiis diœcesis, per parochum et vicarios ejus verbum Dei *ordinarie* annuntiat, et hoc ad munus ejus implendum sufficere videtur, modo identidem, pro posse suo, sermonem ad populum habeat.

4° Sicut omnis cura animarum et plenitudo sacerdotii est penes episcopos, a quibus in clerum inferiorem, in presbyteros diffunditur; ita et prædicandi auctoritas, quæ præcipua est pastoralis officii portio. Nullus igitur hoc munus, nisi auctoritate ab episcopo accepta, obire potest.

5° Attamen ex quo ministeria Ecclesiæ in beneficia et dignitates fuerunt distributa, quicumque obtinet titulum cui annexa est cura animarum, eo ipso habet jus ibi concionandi, quo privari non potest, nisi officium amittat, vel ab illo, sive totaliter, sive quoad jurisdictionem suspendatur. Suspensio autem titularis, in Gallia, debet esse solum temporaria, ex decreto 17 nov. 1811, alioquin veræ destitutioni æquivaleret; *Vuillefroi*, edit. 1842, p. 226. Unde concil. Trid., sess. 24, cap. 4 de Reform., decretum 5 sess. renovans, mandat ut episcopi munus prædicationis frequentius per se, vel, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos in sua ecclesia impleant : « In aliis » autem ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per » alios ab episcopo, impensis eorum qui eas præstare te» nentur vel solent, deputandos in civitate aut in qua» cumque parte diœcesis. » Ad quæ verba notat *Van-Espen*, part. 1, tit. 17, cap. 8, n. 9, mentem concilii esse ut episcopi curam prædicandi in ecclesiis a cathedrali distinctis committere non debeant, nisi dum ipsi parochi legitime fuerint impediti vel insufficientes. Hujus autem necessitatis vel convenientiæ solus episcopus, ut pote primarius pastor, est judex.

6° Si, ex consuetudine immemoriali, nominatio vel designatio prædicatoris ad capitulum, ad parochum, ad

æditüos ecclesiæ vel ad populum pertineat, hanc consuetudinem servandam esse censent Fagnanus, *Van-Espen*, *Ferraris*, v° *Præd.*, n. 43, et alii, quia talis designatio vel nominatio prædicatoris haberi potest velut jus patronatus ad beneficia curata, quod laicis competere potest; at, sicut præsentatus ad beneficium functionibus pastoralibus se immiscere non potest quin prius curam animarum ab episcopo obtinuerit, ita et ad prædicandum designatus prædicare non debet priusquam licentiam prædicandi ab episcopo acceperit. Sic etiam agnoscit Napoleo in decreto 30 decembr. 1809, art. 32.

7° Laici cujuscumque ordinis vel professionis deputari non possunt ad prædicandum, et prædicantes subjacent excommunicationi, ex Decretal. l. 5, tit. 7, cap. 13, § *Quia vero : a fortiori* prædicare nequeunt mulieres, nec ad id committi. Docere tamen possunt doctrinam catholicam in domibus privatis, in monasteriis et puellarum scholis, sub vigilantia et regimine episcopi, parochi aut alterius huic officio præpositi.

8° Munus autem prædicationis committi potest ab episcopo clerico sacris ordinibus nondum initiato, ex decisione sacræ Congr. Concil. diei 23 junii 1580; verum hæc facultas regulariter non conceditur nisi sacerdotibus, vel saltem in ordine diaconatus constitutis, et sic expresse fuit ordinatum in edicto de mandato Clementis XI publicato die 20 jan. 1705.

9° Regulares nunc prædicare non possunt, etiam in propriis ecclesiis, nisi ex licentia saltem tacita episcopi diœcesani, siquidem in concil. Trid., sess. 24, cap. 4 de Ref., post non exiguam inter patres contestationem, statutum fuit ut « nullus sive sæcularis, sive regularis, etiam » in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, » prædicare præsumat. » Idem concil., sess. 5, c. 2 de Reform., præscribit ut regulares, ad prædicandum in alienis ecclesiis, expressam habeant licentiam. Hæc autem disciplina stricte semper servata est in Gallia, ut patet ex multis conciliis provincialibus, ex theologis, ex edicto regio anni 1695, etc.

10° Cum facultas concionandi sæcularibus aut regularibus beneficia curata non habentibus concessa, sit duntaxat delegata, ad libitum restringi, modificari aut revocari potest, etiam sine causa; quod etiam intelligendum est de facultate curatorum relative ad alienas ecclesias. Procul dubio episcopi prohibere possunt ne parochi ullum admittant ad prædicandum aut catechizandum in suis ecclesiis, nisi exhibeat licentiam Ordinarii loci in scriptis datam. Usus in diœcesi nostra receptus est, ut sacerdos etiam alterius diœcesis, sed bene notus, et nulla censura aut prohibitione ligatus, a parocho invitari possit ad concionandum per transennam, non vero diaconus sine licentia episcopi aut vicarii ejus generalis.

De Oratione.

1° Apostoli semper jungebant orationem prædicationi : *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus*, aiebat B. Petrus ad multitudinem ; sciebat enim quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus*, I Cor. III, 7. Aliunde : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*, Hebr. V, 1. Ergo episcopi jugiter orare, in divinarum rerum contemplatione se exercere, et divini luminis illustrationem pro seipsis, pro clero suo et pro fidelibus sibi commissis ardentissimis animæ votis deposcere debent.

2° Frequenter et saltem diebus dominicis et festivis Missam pro tota diœcesi celebrare debent, ut in Tractatu *de Eucharistia* diximus. S. Carolus eos insuper hortatur, in concilio Mediol. IV, ut præterea Missæ sacrificium facere studeant illis diebus quibus ecclesiastica beneficia conferent, examina generalia clericorum vel confessariorum habebunt, cæterasque graves consultationes vel deliberationes inibunt, etc.

3° Episcopi est insuper populum ad orandum incitare, modum orandi docere, preces publicas et privatas præscribere et dirigere, libros orationum legere, examinare, approbare; preces extraordinarias ex causa publica et

communi indicere et dirigere; quomodo processiones sint habendæ, quæ in eis vitanda vel servanda sint statuere, ordinem inter parochias, inter sæculares et regulares tenendum assignare, etc. Ad præscribendas preces extraordinarias *consensu* capituli non indiget: teneturne *consilium* ejus exquirere? Nihil demonstrat talem existere obligationem, nisi ageretur de precibus modo permanenti in liturgia introducendis. Conveniens est tamen ut consulatur capitulum, quando ad explendas extraordinarias preces concurrere debet.

4° Ordinaria sua auctoritate episcopus immutare vel penitus abrogare potest processiones locales a multo jam tempore observatas, si advertat abusus in eas irrepsisse, et ad excessus committendos magis conducere quam ad excitandam populi devotionem: hoc patet ex dictis, ex praxi universali et communi doctorum consensu.

5° Ad publicam orationem evidenter pertinet officium canonicum, id est, solemnis ac perpetua Horarum canonicarum persolutio: episcopus igitur invigilare debet ut officium istud non omittatur, devote ac recto ordine peragatur, canonici fideliter ei assistant, illud integre recitent vel canant, etc.

6° Tenentur insuper episcopi Breviaria, Missalia, Antiphonaria aliosque libros ad officium ecclesiasticum spectantes diligenter examinare, et si quid superfluum, indecens, falsum aut cultu divino minus dignum repererint, illud resecare aut emendare debent. Semper tamen attendant bullam S. Pii V circa librorum divinorum correctionem, quæ Breviario Romano præfici solet, uti de officio agentes explicavimus.

De visitatione diœcesis.

1° Cum episcopus sit pastor totius diœcesis, et curam habere debeat omnium animarum sibi commissarum, sequitur eum vigilanti sollicitudine diversas suæ jurisdictionis ecclesias visitare teneri, ut oves, quantum potest, cognoscat, necessitates earum detegat, media illis subveniendi inquirat, ut nulla sua culpa pereat, et me-

rito dicere possit cum B. Paulo, Act. xx, 26 : *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Hæc igitur obligatio est juris naturalis ac divini, et nulla consuetudine abrogari aut imminui potest. Unde concil. Trid., sess. 24, cap. 3 de Reform. : « Patriarchæ, primates, metropolitani et episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut, si legitime impediti » fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, » si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare » non potuerint, saltem majorem ejus partem, ita tamen » ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, » visitare non prætermittant. »

2° Ex mente autem concilii episcopi non semper unica visitatione annuali aut biennali obligationi suæ satisfaciunt. Valde necesse est ut statum suæ diœcesis perspectum habeant, et ideo, si possint, sæpe curare debent ut quasdam partes frequentius visitent. At qui habent diœceses immensas, ut nunc in Gallia, eas neque quotannis, neque biennio integras per seipsos visitare possunt. Excusantur ergo per impossibilitatem, modo faciant saltem quod moraliter possunt. In lege civili diei 18 *germinal an* x (8 april. 1802), art. 22, legitur : « Ils visiteront » annuellement et en personne une partie de leur dio» cèse, et, dans l'espace de cinq ans, le diocèse entier. » En cas d'empêchement légitime, la visite sera faite par » un vicaire général. » Ex pluribus monumentis constare videtur disciplinam concilii Trid. circa visitationem diœcesis ab episcopo, per se vel per delegatos, receptam esse. Contrarius usus generalis hanc legem temperavit. Caveant tamen episcopi ne tanto muneri non sufficienter incumbant.

3° Metropolitani olim, post visitationem propriæ diœcesis absolutam, diœceses suffraganeorum visitare poterant; sed hodie hoc amplius non possunt, *nisi causa cognita et probata in concilio provinciali :* sunt verba concilii Trid., sess. 24, cap. 3 de Reform.

4° Vicarius generalis jus visitandi diœcesim non habet,

nisi hoc specialiter ei committat episcopus, quia episcopi per seipsos suas diœceses visitare tenentur, si legitime non fuerint impediti : ergo visitatio eis reservatur, ac proinde specialis requiritur commissio ut per alium exerceri possit. Ita *Barbosa, Ferraris* et alii passim.

5° Vicarius vero capitularis, sede vacante, hujusmodi visitationem facere potest, sive per se, sive per alium, modo elapsus sit annus a postrema visitatione, ut decrevit Congr. Episc. 10 januar. 1629 et 3 febr. ejusdem anni. Item vicarius apostolicus, ut eadem Congr. pluries definiit.

6° Decani, archidiaconi, archipresbyteri, plebani et alii inferiores jus habent visitandi, si id longa consuetudine præscripserint, ut expresse tradit concil. Trid. in loco citato : at rationem visitationis a se factæ et acta omnia exhibere tenentur episcopo infra mensem, et nihilominus episcopus potest, per se vel per alium, easdem ecclesias visitare.

7° Præcipuus visitationis scopus est sanam doctrinam inducere, errores expellere, bonos mores tueri, malos corrigere, populum exhortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem et innocentiam accendere, cæteraque, prout locus, tempus et occasio ferent, ad fidelium ædificationem, bonum spirituale et æternam salutem constituere. Visitatores igitur primum dignoscant, de fide, vitæ sanctimonia et moribus clericorum, monialium, fidelium, etc. ; deinde inquirant an serventur vel negligantur regulæ, an singula rite et ordinate constituantur, an clerici congruentem deferant habitum, tonsuram et alia hujusmodi, an pastores munera sua recte ac diligenter impleant docendo, catechizando, sacramenta ministrando, sacram Eucharistiam, olea sancta, baptisterium, altaris paramenta, etc., honeste conservando ; an bona ecclesiæ (*de la fabrique*) regulariter administrentur, an piæ fundationes fideliter impleantur ; quomodo se habeant scholæ sive puerorum, sive puellarum, sub respectu religionis, an parochi eis invigilent et faciant saltem quod possunt, etc.

8° Visitationi episcopi subjiciuntur omnes Ecclesiæ parochiales ipsius diœcesis, vicariales et annexæ; capellæ publicæ in quibus Missa celebratur, et etiam oratoria privata pro quibus facultas celebrandi Missam petitur vel fuit concessa, et seminaria, quia hæc ad jurisdictionem episcopi evidenter pertinent. Item episcopus visitare potest capitulum cathedrale per seipsum solum, nullis capitularibus sibi adjunctis, vel cum aliis extra capitulum, omissis capitularibus suis, ut constat ex concilio Trid., sess. 6, cap. 4 de Reform. et ex declaratione Congreg. Concil. a Fagnano relata, ad cap. *Ut juxta*, 17, tit. 31, l. 1 Decretal.

Nulla nunc capitula sunt exempta, nullæ communitates mulierum a jurisdictione episcopali eximuntur. Monasteria autem virorum episcopi *canonice* visitare nequeunt, nisi tanquam Sanctæ Sedis delegati.

9° Olim episcopus visitare poterat omnia hospitalia, rationem administrationis exigere, abusus corrigere et reformare : nunc in Gallia ei tantum agnoscitur jus ea visitandi sub respectu religionis, et inquirendi an piæ fundationes accurate impleantur. Item visitandi collegia et examinandi quomodo ibi doceatur religio.

10° In omnibus quæ ad visitationem et morum correctionem spectant, episcopi habent jus ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi, juxta canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia pro subditorum emendatione ac diœcesis utilitate necessaria videbuntur : « Nec ulla » exemptio, inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad » Sedem Apostolicam, interposita, exsecutionem eorum » quæ ab his mandata, decreta aut judicata fuerint, quo» quo modo impediat aut suspendat. » Concil. Trid., sess. 24, cap. 10 de Reform. Attamen in visitatione eas infligere non possunt pœnas, quæ in jure censentur graves et formas judiciales exquirunt, nec ullo modo jurisdictionem stricte contentiosam exercere.

11° Caveant episcopi diœcesim visitantes, aut confirmantes, « ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onero» sive sint, neve ipsi aut quisquam suorum quidquam

» procurationis causa pro visitatione... aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, » etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante » quacumque consuetudine, etiam immemorabili, ex» ceptis tamen victualibus quæ sibi ac suis frugaliter mo» derateque pro temporis tantum necessitate et non ultra, » erunt ministranda. » Concil. Trident., sess. 24, cap. 3 de Reform.

De synodi celebratione.

1° Synodus diœcesana, de qua hic agitur, est legitima congregatio ab ipso episcopo, aut, ex ipsius consensu, a vicario ejus generali facta, ex presbyteris et aliis clericis diœcesis, in qua de his quæ ad curam pastoralem spectant, agendum et deliberandum est. Sede vacante, probabilius est vicarium generalem capitularem, uno anno revoluto ab ultima synodo, synodum convocare posse eique præesse. Apud nos, cum ordinarie plures existant vicarii generales capitulares, collective agere deberent, et primus naturaliter præesset. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 2, cap. 7; Collator Andeg., *des Synodes.*

2° Ex S. Cypriani aliorumque Patrum epistolis ac scriptis, manifestum est episcopum frequentissime in primis sæculis coadunasse presbyterorum suorum senatum, qui vocari solebat *presbyterium* et deinde *synodus,* in lingua græca, idem significans ac comitatus vel cœtus; quotiescumque enim ardua occurrebant negotia, convocabatur clerus, ut maturius de illis deliberaretur. Labentibus autem sæculis, mos invaluit ut bis tantum in anno celebraretur synodus diœcesana, et postea annuatim tantum, ut evidenter supponit Innocentius III, in concilio Lateran. IV anno 1215 celebrato, relatus in Decretal. lib. 5, tit. 1, cap. 25; et concil. Trid., sess. 24, cap. 2 de Reform., ait: « Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur, ad » quas exempti etiam omnes qui nec capitulis generali» bus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen pa» rochialium aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam » annexarum; debeant ii qui illarum curam gerunt, qui-

» cumque illi sint, synodo interesse. » Si necessitas postulare videatur, synodus diœcesana sæpius in anno celebrari potest, ut docent canonistæ.

3° Congregatio Concil. decrevit die 26 junii 1621, episcopum synodum diœcesanam singulis annis non celebrantem pœnas a jure statutas incurrere; et alibi, eum ab officio suspendendum esse. Attamen mos invaluit ut decretum istud nullibi servaretur; « cum, » inquit *Van-Espen*, 1ª part., tit. 18, cap. 1, n. 6, « nullibi annuam » hanc synodorum celebrationem fieri videamus; imo in » multis diœcesibus nec spatio quinquaginta et amplius » annorum ullam synodum celebratam. » Consuetudo igitur legem abrogavit, sicut et legem antiquam in concil. Trident., sess. 24, cap. 2 de Reform., renovatam de synodis provincialibus *quolibet saltem triennio* celebrandis. Merito notat DD. *Devie*, episcopus Bellicensis, in suo Rituali, t. I, p. 51, « que les retraites ecclésiastiques » peuvent être regardées comme l'équivalent des synodes, » et sont même plus efficaces pour le maintien de la dis» cipline ecclésiastique. » Idem fusius habetur in concilio Rhedonensi 1849, decreto VII, *de Synodo diœcesana et de spiritualibus pro clero exercitiis.*

4° Forma celebrandi synodum reperitur in Pontificali Romano et sequenda est, nisi alia usu vel scripto fuerit introducta; v. g., in Pontificali Romano statuitur quod, lectis Constitutionibus, habetur scrutinium, et *quæ placent, per patres confirmantur.* Hæc tamen forma minime necessaria est et communiter non servatur saltem in Gallia. Vide Coll. Andeg., *Hierarchie et Synodes, tom.* III, 5ᵉ *Conf.*

5° Ad synodum accedere tenentur et admitti debent soli curati, id est, qui ecclesiam parochialem vel annexam habent regendam, et beneficiati, nisi existeret consuetudo in diœcesi ut totus conveniret clerus. Sic pluries definiit Congr. Episc. Attamen episcopus numerum eorum qui convocantur restringere potest, et convocare, v. g., solos archipresbyteros et decanos, vel solos parochos inamovibiles. Convocare solet capitulum vel delegatos a capitulo.

Alios clericos convocare posset. Omnes autem qui convocantur interesse debent, nisi sufficienter excusentur. Coll. Andeg., *Hiérarchie et Synodes*, *tom.* III, *pag.* nobis 247, etc.

6° Tota synodi auctoritas a solo derivatur episcopo, qui sua decreta et constitutiones synodales facere et exsecutioni mandare potest absque capituli et cleri approbatione; tenetur enim consilium capituli exquirere, non vero consensum ejus exspectare, ut declaravit Congr. Conc. 27 martii 1632, 26 febr. 1639 et 26 nov. 1689.

7° Episcopus, priusquam synodales constitutiones promulget, sui capituli consilium exposcere debet; deinde in ipsius arbitrio erit aut huic consilio acquiescere, aut in suo proposito persistere, prout magis expedire judicaverit. Bened. XIV, de Synodo diœces., lib. 13, cap. 1, n. 15.

8° Non tenetur tamen episcopus sua decreta synodalia ante eorum publicationem mittere Romam, ut expresse docent Gavantus, *Barbosa*, *Ferraris*, etc.

9° Neque synodus diœcesana, neque synodus provincialis se sanctas inscribere possunt, quia ille titulus nunc solis tribuitur conciliis generalibus, ut testatur Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 1, cap. 3, n. 1.

P. VII. — *De vicario generali Episcopi.*

Nomine vicarii generalis, ille intelligitur qui ab episcopo constitutus est, cum generali potestate ut vices ejus in tota diœcesi gerat. Nulla fit mentio vicariorum generalium in Decreto Gratiani, neque in Decretalibus Gregorii IX, sed in Sexto et Clementinis non raro nominantur et officia eorum assignantur : unde concluditur eos in sæculo decimo tertio existere cœpisse, ut in Tractatu *de Legibus* ostendimus.

Quilibet episcopus habet facultatem unum aut plures eligendi vicarios generales, vel nullum, si diœcesim solus per seipsum administrare possit, quod pluries tenuit Rota, et Congr. Concil. diei 11 febr. 1696 definiit. *Ferraris*, v° *Vic. gen.*, art. 1, n. 5.

Quædam jam specialiter de juribus vicarii generalis diximus agendo de episcopo : alia plura illi applicari possunt, quia vicarius generalis una est persona moralis cum episcopo.

Vicario generali tota generaliter competit episcopi jurisdictio, quæ non est stricte contentiosa.

Dicimus 1° *generaliter*, quia nonnulla jure communi excipiuntur, et a vicario generali fieri nequeunt nisi ex speciali mandato episcopi, v. g., beneficia conferre vel auferre, diœcesim visitare, litteras dimissorias, episcopo præsente, dare, indulgentias concedere, censuras ferre et alia quæ videri possunt apud *Ferraris, Abelly, Ducasse, Mémoires du Clergé, etc.*

Dicimus 2° *quæ non est stricte contentiosa*, quia communiter admittitur, præsertim in Gallia, vicarios generales posse visitare, reformare, corrigere, absolvere, etc., ac proinde *summarie* seu *de plano* judicare, ut aiunt. Non autem adhibere possent citationes testium, eorum collationem aliasque judiciales formas, nec attingere causas quæ tales requirunt formas, ut officii inamovibilis privationem : hæc enim jurisdictionis stricte contentiosæ sunt, et ad solum officialem pertinent.

Eadem vero persona potest simul esse vicarius generalis et officialis : sic ordinarie fit in Italia.

Jurisdictio vicarii generalis communiter habetur ut ordinaria, quia vicarius generalis eadem est persona moralis cum episcopo. Nihilominus hæc jurisdictio ab episcopo limitari et auferri potest, juxta concedentis arbitrium. Idcirco vicarius generalis tenorem litterarum suarum percallere et nunquam excedere debet.

Ex eo quod vicarius generalis sit eadem persona moralis cum episcopo, sequitur non dari appellationem proprie dictam ab uno ad alterum, et episcopo moriente, vel quoquo modo jurisdictionem amittente, eo instanti omnem vicarii generalis jurisdictionem exspirare.

In omni cœtu ecclesiastico vicarius generalis primum tenet locum, ut pote repræsentans episcopum.

Possunt insuper episcopi foraneos habere vicarios, in

oppidis suæ diœcesis residentes, quibus partem suæ jurisdictionis, vel totam suam jurisdictionem, sed pro determinata circumscriptione delegant : hi nonnisi improprie vicarii generales dicuntur, siquidem vices episcopi per universalem diœcesim, vel in omnibus causis gerere nequeunt.

Officialis, de quo in Tractatu *de Legibus* agetur, eodem titulo ac vicarius generalis ad hierarchiam jurisdictionis pertinet, siquidem contentiosam jurisdictionem episcopi modo generali exercet.

Sectio secunda. — De Canonicis.

In primis Ecclesiæ christianæ temporibus omnes clerici dicebantur canonici, quia in canone vel in catalogo Ecclesiæ inscripti erant : decursu temporum, ii soli dicti sunt canonici a verbo græco κανών, *regula,* qui vitam communem sub eadem regula ducebant, et nullis astringebantur votis. S. Chrodegangus, Metensis episcopus, primus videtur hujusmodi canonicos instituisse versus medium octavi sæculi ; fere omnes alii episcopi simile habuerunt institutum; et sic ubique fuerunt canonici in ecclesiis cathedralibus, in quibus scilicet episcopi suam habebant cathedram, vel in aliis ecclesiis quæ dictæ sunt collegiatæ, quia cœtus canonicorum vocabatur collegium : vocatus est etiam capitulum, et sub eo nomine generaliter designatur.

Quoniam vita communis et regularis canonicorum decursu annorum fere ubique desierat, prodiere viri insignes, qui eos monasticis votis astringere voluerunt, ut B. Petrus Damianus in Italia, Ivo Carnutensis in Gallia, Ecbertus Eboracensis in Anglia. Cum vero non omnes hoc vitæ genus amplecti consenserint, facta est divisio inter canonicos regulares sub præposito viventes, et canonicos sæculares, qui bona sua retinent et seorsim vivunt.

Canonici ergo sæculares, de quibus hic agitur, sunt, juxta canonistarum definitionem, clerici jus perpetuum habentes occupandi sedem in choro, sedendi et suffra-

gium emittendi in cœtibus capitularibus ac percipiendi certam partem redituum ecclesiasticorum, cum onere operam præstandi solemnitati divinorum officiorum in ecclesia cathedrali aut collegiata. Hæc ex dicendis elucidabuntur. Corpus canonicorum dicitur capitulum.

Agemus 1° de constitutione capitulorum apud nos in præsenti rerum statu; 2° de capitulorum dignitatibus et officiis; 3° de juribus et prærogativis canonicorum; 4° de eorum obligationibus, sede occupata; 5° de eorum obligationibus et potestate, sede vacante; 6° de vicariis generalibus capitularibus.

P. I. — *De constitutione capitulorum apud nos in præsenti rerum statu.*

Sub præsenti Ecclesiæ disciplina solus pontifex Romanus erigere potest capitula cathedralium, siquidem solus potest instituere novas sedes episcopales et episcopos confirmare. An ipse solus possit etiam erigere collegiatas, disputatur inter canonistas.

Quod ad præsentem constitutionem capitulorum in Galliis spectat, hæc in primis notanda sunt : omnia antiqua capitula cathedralium, cum cunctis juribus suis, prorsus fuerunt suppressa simul ac sedes episcopales quibus erant annexa, per bullam *Qui Christi Domini,* diei 29 nov. 1801. Pius VII, eadem bulla, mandabat card. Legato ut « decerneret circa dignitates et canonicos cujus» cumque capituli juxta præscriptum sacrorum concilio» rum efformandi... Ad quod præstandum amplissimas » quasque ei facultates, etiam subdelegandas, impertitur, » necessarias atque opportunas ad probanda statuta res» pectivorum capitulorum. »

Huic mandato obtemperans card. Legatus, edidit, die 9 aprilis 1802, decretum in quo legitur : « Inter cætera » enim quæ nobis mandata sunt, alterum illud est, ut, » suppressis jam a Sanctitate Sua antiquis omnibus gal» licani territorii capitulis, nova in singulis metropolita» nis et cathedralibus ecclesiis, qua ratione fieri poterit, » constituantur. Quod cum ita nobis commissum sit, ut

» facultas quoque has partes subdelegandi per memora-
» tas litteras Apostolicas nobis ipsis tributa fuerit; ideo
» hujus facultatis vigore archiepiscopis et episcopis Gal-
» liarum primo futuris facultatem concedimus, ut postea-
» quam canonice instituti, ecclesiarum suarum regimen
» actu consecuti erunt, capitulum in metropolitanis et
» cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi pos-
» sint, juxta formam a sacris canonibus conciliisque
» præscriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam, cum
» eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad ea-
» rumdem metropolitanarum et cathedralium utilitatem
» et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire
» judicabunt.

» Ut vero in iisdem metropolitanis et cathedralibus
» ecclesiis, in iis quæ ad capitula ut supra erigenda spec-
» tant, ecclesiastica disciplina servetur, iisdem archiepi-
» scopis et episcopis primo futuris curæ erit ut quæ per-
» tinent ad eorumdem capitulorum sic erigendorum pros-
» perum et felicem statum, regimen, gubernium, direc-
» tionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremo-
» nias ac ritus in iisdem ecclesiis earumque choro ser-
» vandos, ac alia quælibet per eorumdem capitulorum
» dignitates et canonicos obeunda munia, pro eorumdem
» archiepiscoporum et episcoporum arbitrio et prudentia,
» definiantur et constituantur, relicta tamen eorum suc-
» cessoribus statutorum illorum immutandorum facul-
» tate, requisito prius capitulorum respectivorum consi-
» lio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et
» opportunum judicaverint : in ipsis autem statutis vel
» condendis vel immutandis, religiosa sacrorum canonum
» observantia retineatur, usuumque ac consuetudinum
» laudabilium antea vigentium, præsentibusque circum-
» stantiis accommodatarum, ratio habeatur. Quam qui-
» dem capitulorum erectionem, cæteraque omnia ad ipsa
» capitula pertinentia singuli archiepiscopi et episcopi,
» cum primum perfecerint, erectionis hujusmodi om-
» niumque hanc in rem constitutorum acta authentica
» forma exarata nobis reddenda curent, ut ad perfectam

» Apostolicarum litterarum exsecutionem huic nostro de-
» creto inserere possimus. »

Episcopi igitur, jure sibi concesso utentes, capitula in respectivis ecclesiis suis metropolitanis vel cathedralibus erexerunt, et condiderunt statuta quæ sibi visa sunt magis accommodari *præsenti rerum statui*, et bono Ecclesiæ magis congruere, *habita ratione circumstantiarum*. Sua acta authentica miserunt ad card. Legatum, juxta ipsius mandatum, non ad obtinendam ejus approbationem, quæ nullatenus requirebatur. Ipse cardinalis, die 28 martii 1803, respondens ad Rothomagensem archiepiscopum qui approbationem sollicitaverat, dicebat gallice : « J'ai l'honneur de faire repasser à Votre Eminence
» la copie des statuts et règlements qu'elle a faits pour son
» église métropolitaine. Comme mon décret d'érection du
» siége archiépiscopal de Rouen accorde expressément à
» Votre Eminence les pouvoirs de former ces statuts en
» définitif, il n'est besoin d'aucun acte subséquent d'appro-
» bation de ma part. Aucun des autres évêques ne m'a
» fait passer ces sortes de pièces réglementaires, mais
» seulement copie de l'organisation générale, tant de leur
» chapitre que des paroisses du diocèse ; copie dont j'ai
» besoin pour la joindre à la bulle de circonscription des
» diocèses de la France. » Attamen idem cardinalis specialiter approbavit, die 27 nov. 1803, episcopo rogante, statuta pro capitulo ecclesiæ Suessionensis condita, in quibus agnoscuntur duo vicarii generales et octo canonici : vicarii generales necessario possident dignitates decani et archidiaconi.

In bulla *Paternæ charitatis*, diei 6 oct. 1822, relativa ad novam circumscriptionem diœceseon Galliæ, eadem conceditur facultas episcopis sedium quæ eriguntur ; in ea quippe legitur : « Porro cætera in iisdem Apostolicis
» litteris anni 1817 statuta et ordinata, præsertim pro
» capitulorum et seminariorum erectione, ac pro tempo-
» raria administratione locorum novis diœcesibus attri-
» butorum, donec antistites possessionem suarum eccle-
» siarum rite susceperint, firma et integra perstare vo-

» lumus atque decernimus; utque eorumdem capitulorum
» statui et regimini felicius atque expeditius prospicia-
» tur, archiepiscopi et episcopi pro singulis canonicorum
» collegiis statuta decernent et ab ipsis observari cura-
» bunt : cum primum vero capitulorum formam et erec-
» tionem perfecerint, omnium hanc in rem gestorum do-
» cumentum ad nos mittent. »

Omnes episcopi post utrumque concordatum an. 1801 et 1822 pro capitulis suarum respectivarum ecclesiarum condiderunt statuta omnia substantialiter similia, eaque miserunt, juxta præscriptionem, ad legatum vel ad Papam. Pleraque a diversis quæ sibi successerunt guberniis pro foro civili fuerunt approbata, et nulla intervenit reclamatio authentica : ergo habent vim legis tum in foro ecclesiastico, tum in foro civili.

Sic habet concilium Rhedonense anni 1849, Romæ recognitum, decreto V : *Quamvis hodierna in Galliis capitulorum constitutio non sit juri antiquo omnino conformis, eorum nihilominus statuta, ipsis, virtute auctoritatis Apostolicæ, per cardinalem Legatum subdelegatæ, ab episcopis data, nec non ab eodem cardinali Legato sufficienter approbata, et aliunde per diuturni temporis usum sufficienter confirmata, observanda esse declaramus, quoadusque S. Sedes aliter statuerit, vel episcopus virtute decreti præcitati, ea, aut proprio motu, aut prævio concilii provincialis judicio, perspecta opportunitate et attentis circumstantiis, requisito prius capituli consilio, immutaverit.*

Nova igitur cathedralium nostrarum capitula ut legitime constituta habenda sunt.

Hinc sequitur exemptiones capitulorum cathedralium, ante rerum perturbationem jam strictis limitibus arctatas, nunc omnino abrogatas esse etiam pro foro ecclesiastico. Unde omnia jura et munia hodiernorum capitulorum apud nos definienda sunt primum statutis particularibus ab episcopo conditis, juxta mandatum card. *Caprara* vel Pii VII, anno 1822, dein jure communi, quatenus his statutis non opponitur.

P. II. — *De capitulorum dignitatibus et officiis.*

Tres præcipue sunt altiores canonicorum gradus, scilicet dignitas, personatus et officium.

Dignitas est quædam præeminentia cum jurisdictione.

Duæ præsertim et antiquissimæ sunt dignitates, nempe archidiaconatus et archipresbyteratus.

Archidiaconus, sic dictus quia primitus caput erat diaconorum administrandis rebus externis præpositorum, est vicarius natus episcopi, ejus oculus, ut ait concil. Trid., sess. 24, cap. 12. de Reform. In quibusdam ecclesiis unus tantum erat archidiaconus, in aliis communiter apud nos plures.

Initio potestas archidiaconorum erat mere delegata, et ad nutum episcopi revocabilis : « Deinceps eo usque » progressi sunt (*archidiaconi*) ut propriam atque ordi- » nariam obtinerent jurisdictionem, ac jura etiam inva- » derent quæ propria erant episcoporum. Tantam hanc » archidiaconorum potestatem episcopi tollendam aut » minuendam curarunt, et nunc vix umbra ejus et imago » superest. » *Devoti,* t. I, p. 237.

Archidiaconus episcopo quasdam functiones Ordinis sui exercenti, v. g., olea sancta consecranti et Ordines conferenti, assistere debet. Cæterum cum nunc totam habeat suam auctoritatem ex mandato episcopi, caveat ne illius limites excedat.

Archipresbyter erat olim princeps presbyterorum et variæ erant ejus prærogativæ variaque officia. Nunc nihil aliud est in Gallia quam decanus plures sub se habens decanos, vel ita denominatur quia est canonicus cui ab episcopo defertur administratio parochiæ cathedralis capitulo unitæ. Quoniam omnia ex voluntate episcopi tenet, tenorem decreti episcopalis eum constituentis apprime noscere et sequi debet.

Personatus, qui etiam sæpe minus proprie vocatur dignitas, est honor præeminentiæ sine jurisdictione, qualis videtur apud nos præcentor.

Officium est nuda rerum ecclesiasticarum administra-

tio quæ præcipue competit theologo et pœnitentiario. Ex concilio Lateran. IV et Trid., sess. 5, de Reform. cap. 1, in omnibus capitulis cathedralium ab episcopo, de capituli consilio, creari deberet theologus, qui sacras Sripturas explicare et theologiam clericos docere teneretur; et ex sess. 24, de Reform. cap. 8, pœnitentiarius qui confessiones audire deberet.

P. III. — *De juribus et prærogativis canonicorum.*

1° Collatio canonicatuum in cathedralibus olim pertinebat, jure communi, ad episcopum et capitulum simultanee, ut probatur ex Glossa in cap. 31, tit. 6, l. 1 Decretal., et e canonistarum testimoniis : in pluribus tamen ecclesiis mos invaluerat ut jus istud ad solum episcopum, et in aliis ad solum capitulum pertineret; quæ consuetudo per quadraginta annos præscribi poterat, ut communiter dicunt auctores. In Gallia rex solebat nominare ad primum canonicatum in singulis capitulis vacantem post suum adventum ad thronum, et post juramentum fidelitatis novi episcopi; quæ nominationes vocabantur *de joyeux avènement et de serment de fidélité*. Statim concedebatur diploma regium, vi cujus vir ecclesiasticus illud possidens primum titulum vacantem obtinebat. Ludovicus XVIII et Carolus X usi sunt veteri hac consuetudine, quæ juxta *d'Héricourt*, a Germania, ubi erat antiquissima, transiit in Galliam currente decimo sexto sæculo; eam vero sibi non vindicaverunt Napoleo I et Ludovicus-Philippus. Nunc igitur episcopi omnes nominant canonicos sicut parochos.

Gravis hic moveri potest quæstio, an videlicet episcopus constituere possit canonicos ultra numerum titulorum a gubernio fundatorum, jura ac prærogativas verorum canonicorum eis tribuendo, cum obligatione eadem sufferendi onera : pars affirmativa probabilior videtur, quia præbendæ ad essentiam jurium spiritualium pertinere nequeunt : verum solus Pontifex maximus certo hac de re pronuntiare potest.

At mos invaluit ut episcopi, pro libitu, canonicis pro-

prie dictis addant canonicos quos vocant *honorarios*, quibus insignia conceditur canonicorum deferre et sedere in choro cathedralis si velint; nulla autem eis assignatur pensio, nec ideo eis incumbunt obligationes præbendis annexæ.

2° Concil. Trid., sess. 24, cap. 12 de Reform., statuit quod in omnibus ecclesiis cathedralibus canonicatus haberent annexum ordinem presbyteratus, diaconatus vel subdiaconatus, et dimidia pars saltem essent presbyteri. Nullus igitur fieri potest canonicus in aliqua cathedrali, nisi vigesimum secundum ætatis annum attigerit et ordinem subdiaconatus susceperit. Nunc gubernium Gallicum exigit ut quilibet canonicus sit sacerdos.

3° Canonici cathedralis semel instituti tenentur, intra duos menses a die adeptæ possessionis, professionem fidei facere, non solum coram episcopo aut vicario ejus generali, sed etiam coram capitulo, ut expresse habet concil. Trid., sess. 24, cap. 12 de Reform., et, sede vacante, hæc fidei professio fieri debet coram vicario capitulari, qui jurisdictionem episcopalem exercens repræsentat Ordinarium, et coram capitulo. Canonici autem e pluribus Congr. Concil. decisionibus et canonistarum interpretationibus, hanc professionem facere tenentur per seipsos personaliter et non per procuratorem. Unde qui sumit possessionem per procuratorem, fidei professionem emittere tenebitur in persona; et si eam emisisset Romæ coram vicario generali, illam repetere teneretur coram Ordinario et capitulo statim atque in loco residentiæ advenisset, ut definiit supradicta Congr. die 22 sept. 1696, et docet Bened. XIV, Inst. 60, n. 3, qui ibid., n. 7, ait hanc legem de facienda fidei professione per consuetudinem etiam constantem non solvi, sed solum per expressam exemptionem.

4° Convocatio capituli fieri debet, juxta morem solitum, a digniori seu præsidente, qui negotia proponit et suffragia colligit : si fuerit absens, hæc convocatio spectat ad sequentem in dignitate. Qui autem capitulum convocat, explicare non tenetur materiam convocationis in ipsa

convocatione, ut declaravit Congr. Conc. die 12 martii 1655.

5° Eadem Congr., in variis responsis, censuit 1° licentiam episcopi non requiri ad convocandum capitulum ubi mos est illud absque tali licentia convocandi; 2° in eo casu episcopum, et *a fortiori* vicarium ejus generalem, jus non habere talem convocationem prohibendi, nisi ex justa causa; 3° eum cogere non posse canonicos ad significandum sibi quid tractare velint in capitulo, sed exigere posse ut exemplar resolutionum capitularium sibi exhibeatur, quia ipsius est vigilare ne fiant a capitulo resolutiones juri suo aut aliorum contrariæ; 4° eum jus non habere convocandi capitulum pro actibus capitularibus qui spectant ad capitulum ut capitulum : nam in illis actibus remanere debet jurisdictio et potestas capituli, si qua ei competat, illæsa et integra, ut statuit concil. Trid., sess. 25, cap. 6 de Reform.; 5° episcopum vero illud semper convocare posse per se vel per vicarium generalem, pro casibus in quibus, juxta sacros canones, illius votum vel consilium exquirere tenetur, et pro aliis ad ipsius dignitatem spectantibus; et tunc in eo præsidere debet cum omnibus prærogativis suis, vel præsidet vicarius generalis et primam sedem occupat : sed neuter habet jus suffragii, nisi sit simul canonicus, quia hoc spectat solum ad eos qui sunt de capitulo. Ita Congr. Conc. die 13 julii 1694. Nunc vero in Gallia, e plerisque statutis virtute decreti card. *Caprara* et bullæ 1822 conditis, vicarii generales dicti titulares ad gremium capituli pertinent, et jus suffragii exercent. Item episcopus, qui naturalis est capituli præses; et sic fieri consuevit.

6° Si legitima existat consuetudo ut episcopus vel vicarius ejus generalis in omnibus interveniat capitulis, etiam in eis quæ ad solum spectant capitulum, debet servari, inquiunt *Ferraris* et multi apud ipsum, v° *Capit.*, art. 1, n. 17. Excipitur tamen nisi in capitulo agendum sit de proprio episcopi vel suorum interesse; tunc enim episcopus vel vicarius generalis, qui convocationem fecit et rem proposuit, statim exire debet et capitulares relinquere

solos ut ipsi libere rem discutiant et resolutionem emittant. Sed nec hæc exceptio stricte nunc admittitur in Gallia, cum nova statuta tribuant episcopo generaliter facultatem interveniendi in cunctis capitulis, sine ulla exceptione, per se vel per vicarium generalem.

7° Capitulum potest, sine consensu episcopi, condere statuta de his quæ ad specialia ipsius negotia respiciunt, aut proprios capitulares concernunt, v. g., ut certis temporibus ad capitulum non vocati conveniant, ut tali ordine vel ad pulsum hujus aut illius campanæ ad chorum aut ad capitulum convocentur; pro bonorum communium, si quæ habeant, administratione, pro canonicorum defunctorum exsequiis vel anniversariis, et aliis hujusmodi. Ita communiter canonistæ, ut videre est apud Fagnanum, t. 1; *Ferraris*, v° *Capit.*, art. 3, n. 1, etc. Non vero facere potest, sine consensu episcopi, statuta quæ obligent extraneos, sive totam diœcesim, vel ad communem ecclesiæ cathedralis statum aut jura vel alia negotia ardua respiciant, vel illius ecclesiæ constitutiones aut consuetudines immutent, vel novas inducant; episcopus enim est caput canonicorum sicut aliorum clericorum totius diœcesis : capitulum igitur nihil extraordinarium sine illius consensu agere potest. Imo in præsentibus rerum adjunctis capitulum nihil agere aut decernere potest sine consensu episcopi.

8° Ut actus capituli sint validi quatuor requiruntur conditiones, ex variis canonistis, scilicet 1ª ut canonici legitime sint convocati, nempe ab episcopo aut vicario ejus generali, vel a decano, aut, defectu ejus, ab alio antiquiori : circa modum convocandi nihil statuitur in jure, et ideo sequenda est consuetudo uniuscujusque ecclesiæ; alibi enim fit convocatio per sonum campanæ, alibi per litteras, alibi viva voce, quod nunc facile est ob exiguum eorum numerum : locus solet esse determinatus : verum si alibi, modo in loco honesto, convocatur capitulum, actus nihilominus erit validus, et episcopus illud in propria aula convocare potest, nisi habeat controversiam cum ipso capitulo; demum a nemine convocari debet

tempore divinorum officiorum, nisi ob causas accidentales et extraordinarias; 2ª ut omnes jus suffragii habentes convocentur, nisi sint absentes : si autem capitulum diebus determinatis coadunari soleat, qui ad illud non eunt, prætendere nequeunt se non fuisse convocatos; 3ª ut negotia capitulariter expediantur, id est, ut omnes sint congregati, suffragia libere emittant post deliberationem in communi; non sufficerent enim suffragia a singulis canonicis seorsim sumptis extra capitulum data; 4ª ut major pars canonicorum præsentium in capitulo consensum præbeat; id enim sequitur ex natura corporum deliberantium in quibus major pars negotia terminat, nisi aliter expresse fuerit statutum, ut in collegio cardinalium pro electione Papæ.

De eorum prærogativis.

1° Canonicus alicujus ecclesiæ urbis Romæ dignior est quolibet alio canonico etiam cathedralis, cujus capitulum est exemptum. Sic declaravit S. Congr. Conc. apud *Ferraris* citata, v° *Canonic.*, art. 7, n. 1.

2° Ex pluribus S. Congr. Rit. decretis constat, 1° canonicos cathedralis in omnibus et per omnia præferendos esse magistratibus sæcularibus, prius a prædicatore salutandos et thurificandos, tam in cathedrali quam in aliis ecclesiis in quibus simul conveniunt, et ubi talis existit consuetudo; 2° canonicos cathedralis, cum extra suam ecclesiam nullam habeant jurisdictionem, si incedant uti singuli, habentibus jurisdictionem, et magistratibus cedere teneri, præsertim si de consuetudine in contrarium non constet; 3° canonicos cathedralis ut corpus incedentes, semper alios canonicos etiam in propria eorum ecclesia præcedere, quia ecclesia cathedralis alias ecclesias vincit in dignitate, et capitulum, ut senatus episcopi, aliis clericis præcellit; 4° canonicos et presbyteros ecclesiæ cathedralis, propter eamdem rationem, omnes parochos aliosque clericos parochialium ecclesiarum præcedere in processionibus atque aliis functionibus, etiam in propriis ipsorum parochorum ecclesiis; 5° canonicos

cæterosque sæculares clericos semper præcedere regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis ; 6° canonicos incedentes ut singulos non præferendos esse parochis, sed procedentes capitulariter antecedere etiam abbatibus benedictis. Vide *Ferraris*, loco citato.

3° Eadem S. Congr. respondit, diebus 29 nov. 1603, 15 maii 1610, 9 jan. 1618, etc., 1° canonicos prius factos aliis postea admissis, etsi doctoribus vel ætate provectioribus, anteferendos esse ; 2° ubique canonicos cathedralis, licet doctores non sint, præferendos esse aliis presbyteris non canonicis, licet sint doctores ; 3° canonicos digniores occupare debere sedes quæ sunt viciniores sedi episcopali ; 4° canonicum celebrantem, ratione paramentorum et officii, primam habere sedem et primum locum chori, supra canonicos et dignitates ; 5° canonicos vestibus sacris paratos præcedentiam habere supra vicarium generalem ; secus vicarium generalem eos præcedere, dummodo non sit de eorum numero, quia vicarius generalis canonicus, dum sedet ut canonicus, servare debet locum suæ receptionis et in habitu canonicali ; nova autem statuta volunt generaliter ut vicarii generales titulares, tanquam capituli duces, canonicos in omnibus præcedant ; 6° canonicum factum episcopum, cum retentione canonicatus, omnes canonicos et dignitates etiam antiquiores præcedere.

4° Canonici ægrotantes sacramenta Extremæ Unctionis et sacri viatici a parocho cathedralis suscipere debent, si in territorio ejus suam residentiam habeant, ut omnes docent auctores ; et a parocho domicilii, si in aliena parochia habitent, vel infirmitate deprehensi fuerint, ut Congr. Concilii pluries decrevit : si contrarium alibi videatur dixisse, id intelligendum est de contraria consuetudine quam noluit reprobari. Mos Cenomani receptus est quod præses capituli omnibus canonicis, sive intra limites ecclesiæ cathedralis, sive in aliis parochiis civitatis de gentibus, ultima administret sacramenta : quo autem fundamento innitatur hæc consuetudo juri communi opposita, et cujus sit antiquitatis, ignoramus.

5° Canonici cathedralis, intra limites alterius parochiæ decedentes, non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in cathedrali, si in ea proprium sit canonicorum sepulcrum, ut censuit S. Congr. Conc. die 12 maii 1685; imo etiamsi proprium hujusmodi non sit sepulcrum, probabilius etiam sepeliri debent in cathedrali seu cœmeterio cathedralis, ut docet *Ferraris*, v° *Canonic.*, art. 8, n. 20, allegans decisionem S. Congr. Rit. et dicens in utroque casu solvenda esse jura parochialia parocho dimicilii. Cenomani canonici, sive titulares, sive honorarii, in aliis parochiis civitatis decedentes, non electa sibi sepultura, sepeliuntur a capitulo perinde ac si in territorio cathedralis decessissent; nihil solvitur neque parocho cathedralis neque parocho domicilii, et cadaver levatur, parocho minime requisito.

P. IV. — *De obligationibus canonicorum, sede occupata.*

Præcipuæ canonicorum obligationes reducuntur ad residentiam, officium chori, missam conventualem et assistentiam episcopo debitam.

De residentia.

1° Concil. Trid., sess. 24, cap. 12 de Reform., statuit quod «non liceat (canonicis), vigore cujuslibet statuti » aut consuetudinis, ultra tres menses... quolibet anno » abesse, salvis nihilominus ecclesiarum constitutioni» bus, quæ longius servitii tempus requirunt, alioquin » primo anno privetur unusquisque dimidia parte fruc» tuum;» secundo anno privandus est omnibus fructibus, et post triennium, «crescente contumacia, contra » eum, juxta sacrorum cononum constitutiones, proce» datur,» id est, ut aiunt omnes canonistæ, privetur ipso canonicatus titulo.

2° Ex præcedentibus concilii Trid. dispositionibus in Gallia receptis, et e pluribus sacræ Congr. Conc. decretis apud Fagnanum et *Ferraris* relatis, sequitur 1° canonicos abesse non posse ultra tres menses in toto anno; 2° non omnes simul abesse posse, quia illi menses va-

cationis conceduntur canonicis, non vero capitulo : curandum est igitur ut ecclesia convenienti servitio non destituatur ; 3° tres menses sensu obvio accipiendos esse, ac proinde nonaginta dies continuos aut interpolatos continere ; 4° ad eos constituendos non computandas esse horas cujuslibet diei, sed dies integros in quibus servitium ecclesiæ consuetum non fuit præstitum ; 5° eos qui sic absunt, quotidianas non percipere distributiones, si existunt, sed duntaxat præbendam, id est nunc apud nos, honorarium a gubernio solutum ; 6° qui ultra tres menses continuos vel interruptos absunt, ad restitutionem pro ratione absentiæ minoris uno anno teneri ; si vero absentia fuerit unius anni, ad dimidiam partem ; si duorum annorum, ad totum restituendum tenentur, sed tantum post episcopi sententiam, ut indicat verbum *privetur*, et id, non absolute requisita admonitione prævia, quæ in citato decreto non præcipitur. Præcipitur vero ad auferendum titulum, ut supponunt hæc verba, *crescente contumacia.*

Nota. Ex edicto regio diei 13 martii 1832, lege diei 23 aprilis 1833, et responso ministri cultuum diei 28 decembris 1847 ad episc. Andegavensem, honorarium reducitur ratione absentiæ.

3° Ut canonici abesse possint, intra diœcesim, tribus mensibus a concilio permissis, non requiritur capituli aut episcopi licentia, nisi forsan quoad tempus eligendum, ne officium consuetum aliquid detrimenti e plurium absentia patiatur. Nec requiritur aliqua causa : sola recreatio sufficit, ut pluries declaravit S. Congr. Conc., præsertim die 4 maii 1737 ; ad absentiam vero extra diœcesim licentia episcopi est necessaria, ut eadem censuit S. Congregatio. Pariter omnis absentia ultra tres menses permitti debet ab episcopo, qui prius causam cognoverit et probaverit. *Reiffenstuel*, l. 3, t. IV ; *Ferraris*, v° *Canonicus.*

4° Tres menses vacationis permissi incidere non debent in Natale Domini, in Pascha, vel in similes magnas solemnitates earumque octavas, scilicet Natalis Domini,

ejus Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, neque in tempus Adventus aut Quadragesimæ; neque canonici ultra tertiam partem capituli simul abesse possunt, ut S. Congr. Concil. definiit, die 12 julii 1631.

5° Si legitima adsit causa, episcopus concedere potest canonicis ut absint per quatuor menses, ut docent generaliter canonistæ et decisum fuit a S. Congr. Conc., referentibus *Barbosa,* Fagnano. *Ferraris,* etc.

6° Sunt autem causæ ob quas major vel indefinita permitti potest absentia, scilicet: 1° Christiana charitas, ut si canonicus a loco domicilii discedat ad adjuvandum proximum indigentem, ad terminandas lites; 2° urgens necessitas, nempe si aeris intemperies, corporis infirmitas, sæviens persecutio absentiam canonici suadeat: ad eam causam reducitur pia peregrinatio, v. g., Romam, Jerusalem, cum licentia episcopi; 3° debita obedientia, puta si Papa canonicum a residentia dispenset ut negotiis Ecclesiæ vel Sedis Apostolicæ incumbat; vel si episcopus unum aut alterum canonicum sibi assumat pro negotiis diœcesis, ut in Decretal. l. 2, cap. 7 et 15, conceditur; 4° evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas, v. g., ut adeat synodum generalem, provincialem aut diœcesanam, ut theologiæ per quinquenninm studeat, ut eam quamdiu voluerit doceat. *Ferraris*, v° *Canonic.,* art. 5, n. 37.

7° Canonici ex juxta causa absentes aliquem sibi substitutum, qui ecclesiæ pro ipsis deserviat, relinquere non tenentur, ut S. Congr. Concil. declaravit, et in hoc conditio canonici longe melior est conditione curati.

Multa alia ad residentiam et distributiones quotidianas respicientia hic consulto omittimus, quia in præsenti rerum ordine sunt sine objecto.

De officio chori.

1° Concilium Trid., sess. 24, cap. 12 de Reform., ait de canonicis: « Omnes vero divina per se, et non per » substitutos, compellantur obire officia..... atque in choro » ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen » reverenter, distincte devoteque laudare. » Nullo fun-

damento diceretur aut dispositionem hanc non esse claram, aut in Gallia non fuisse receptam, aut mutatione rerum fuisse abrogatam, aut canonicos esse in numero insufficienti; nam S. Congr. Concil. definiit, die 13 martii 1696, canonicos, etsi paucos, puta duos vel tres, officium in choro canere aut recitare teneri.

Attamen in Gallia, ubi episcopi nova condentes statuta juxta facultatem sibi concessam, putaverunt hanc obligationem, propter varias rationes, ad levem officii partem, vel etiam ad solam Missam capitularem, reducendam, videtur hanc praxim tuta conscientia retineri posse, licet sane optandum foret laudes Deo melius in choro persolvi.

2° Canonici muneri suo non satisfaciunt, si solum divinis officiis per alios cantatis aut recitatis intersint in choro; sed tenentur alta voce, pro posse suo, canere aut recitare cum magno pietatis studio, ut solide ac fuse, cum omnibus canonistis, probat Bened. XIV, Instit. 107, § 3, fortiter damnans eos qui otiosi velut simulacra muta in sedibus suis immorantur. Eadem habet in Const. *Cum semper*, diei 19 aug. 1744, § 24, dicens eos qui ita se gerunt, id est, qui assistunt in choro *absque divinæ psalmodiæ cantu, præbendarum et distributionum* non facere fructus suos; idque clarius explicat in Brevi diei 19 januarii 1748, asserens canonicos choro assistentes, minime vero canentes psallentesve, nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus suos, atque ideo restitutioni obnoxios esse. Sic expresse idem pontifex, de Synodo diœcesana, l. 11, cap. 3, n. 8, et l. 13, cap. 9, n. 21.

3° *Suarez*, *Bonacina*, *Concina*, *Collet*, S. Ligorius, lib. 3, n. 675, et alii communiter docent mortaliter peccare canonicos qui notabiliter absunt a choro ultra tempus a concilio Tridentino permissum, et venialiter tantum si per breve tempus, v. g., tres aut quatuor dies absint. S. Th. et alii communiter tenent episcopos non obligari ad chorum, quia sic fert consuetudo; et aliunde majoribus vacare debent negotiis quæ assistentiam officio chori non compatiuntur.

4° Loquendo de choro in genere multi dicunt, et S. Ligorius contendit hanc sententiam esse communiorem, eum qui submisse partem officii recitat, alteram partem audiendo, obligationi divinum officium recitandi satisfacere, sed canonicum sic recitantem non satisfacere, quia psallere tenetur; et Bened. XIV affirmat eum restituere teneri, non solum distributiones, sed fructus præbendæ tempori hujusmodi recitationis respondentes. Excipitur si ob infirmitatem aliter facere non possit. Eadem ratione arbitramur episcopum permittere aut tolerare posse ut omnes Horæ non cantentur, quamvis S. Congr. Conc. id faciendum esse definierit, die 27 sept. 1762, si ob paucitatem canonicorum talis cantus sit moraliter impossibilis. Hoc præsertim verum est in Gallia sub novis statutis.

5° Canonici officium recitare vel canere debent in choro, et episcopus concedere non potest ut officient in sacristia, nisi ob magnum frigus diebus ferialibus, et nunquam diebus festivis, ut declararunt S. Congr. Episc. die 12 jan. 1604 et S. Congr. Rit. die 5 martii 1633.

6° Officium defunctorum aut B. Mariæ, psalmi pœnitentiales et graduales non sunt de præcepto, sed tantum de rubrica et consilio, ut Fagnanus, *Ferraris* aliique canonistæ docent, post Const. *Quod a nobis* S. Pii V, in capite Breviarii Romani præfixam. Attamen S. Congr. Conc. respondit, die 28 sept. 1754, servandam esse consuetudinem.

De Missa conventuali.

1° Communis est theologorum et canonistarum sententia, canonicos teneri Missam conventualem quotidie canere, idque sub peccato mortali, quia hæc obligatio est in materia gravi; stante autem materia gravi, consurgit obligatio gravis. Sic Bened. XIV, Inst. 107, § 2, et Const. *Cum semper,* diei 10 aug. 1744; *Ferraris,* v° *Canonic.,* art. 5, n. 65; S. Ligorius, l. 6, n. 314; plures SS. Congr. Conc. ac Rit. decisiones; et Leo XII, a Capitulo Cenomanensi consultus, eo sensu respondendum esse jussit.

2° Eadem S. Rit. Congr. respondit, die 16 febr. 1627, Missam conventualem omittendam non esse diebus quibus alia dicitur Missa votiva; et 28 aug. ejusdem anni, abrogandam esse consuetudinem non cantandi Missam de die ultra votivam seu pro defunctis. Unde 1° in ecclesiis ubi inveterata existit consuetudo Missam de Beata singulis diebus sabbati cantandi, S. Congr. Rit. definiit, die 2 decemb. 1648, hanc populorum devotionem continuari posse, etiam in sabbatis festo duplici impeditis, sed Missam conventualem de die, id est de festo, dicendam esse; 2° si in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliis et aliis similibus festum duplex occurrat, duas celebrandas esse Missas, scilicet unam de festo, post Tertiam, et alteram de feria, post Nonam, ut ait Bened. XIV, Inst. 107, § 2; 3° ubi dicitur Missa defunctorum sive pro fundatione, sive pro anniversario, sive pro sepultura, secundam nihilominus celebrandam esse de die; 4° si in vigilia Ascensionis festum duplex aut semiduplex occurrat, docet Bened. XIV tres celebrandas esse Missas : videlicet unam de festo, secundam de vigilia, post Sextam, et tertiam de Rogationibus, post Nonam. In his tamen ratio consuetudinum haberi potest.

3° Bened. XIV, in citata Const., § 11 et seq., statuit 1° Missam conventualem quotidie canendam esse; 2° eam pro fundatoribus et benefactoribus ecclesiæ in genere applicandam esse; 3° Missam pro aliquo fundatore in particulari vel aliquo defuncto celebratam, huic obligationi non satisfacere; 4° contra hanc obligationem invocari non posse consuetudinem etiam immemorabilem, *quæ potius abusus et corruptela dicenda est;* 5° obligationem istam reduci tamen posse a S. Congr. Conc. ad dies festos, si canonici sint adeo pauperes ut retributionibus Missarum indigeant ad vivendum; 6° pro applicatione secundæ et tertiæ Missæ conventualis a rubricis certis diebus præscriptæ, sequendam esse consuetudinem in unaquaque ecclesia vigentem, etc.

Ibi, sub fine suæ Constitutionis, de novo affirmat doc-

tissimus Pontifex canonicos *muneri suo non satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinæ psalmodiæ cantu.*

S. Rit. Congr. die 12 nov. 1831 respondit quod, « quando » episcopus pontificaliter celebrat in diebus festivis ubi » debet Missam applicare ovibus suis, hebdomadarius, » vel is cui onus inest Missæ conventualis, illam celebret » lectam, vel ante vel post Missam conventualem. »

4° Missa conventualis semper debet celebrari cum diacono et subdiacono, duobus ceroferariis, uno thuriferario et uno acolytho, ex declaratione S. Congr. Conc. diei 2 decemb. 1786, quæ tamen permittit ut deficientibus ministris, a celebrante cantetur cum uno ministro qui canat epistolam. Si autem, aliqua de causa, absque cantu et ministris celebraretur, altaris thurificatio non facienda esset, ut S. Congr. Rit. definivit die 22 jan. 1701.

5° Ex decretis S. Congr. Rit. dierum 10 jan. 1595, 11 junii 1606, 2 martii 1609, etc., Missas pontificales celebrare, absente episcopo, pertinet ad primam ecclesiæ dignitatem, vel ad antiquiorem canonicum, non vero ad hebdomadarium, nisi opposita et immemorabilis existat consuetudo, quæ sequenda est. Nunc in Gallia, prior vicarius generalis titularis aut posterior, aut utriusque defectu antiquior canonicus episcopum, pro Missis pontificalibus, supplet.

6° Eadem S. Congr. pluries declaravit canonico solemniter celebranti pro diacono et subdiacono inservire debere alios canonicos, sive juniores, sive antiquiores, et non alios inferioris ordinis, non obstante immemorabili contraria consuetudine *quæ potius est abusus et corruptela.*

De assistentia Episcopi.

1° Concilium Trid., sess. 24, cap. 2 de Reform., dicit de canonicis cathedralium : « Omnes compellantur episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, adsistere » et inservire. » Et Cæremoniale Episcoporum hoc habet, l. 1, cap. 15 : « Cum episcopus rei divinæ peragendæ causa

» ad ecclesiam venturus erit, sive ipse celebraturus sit,
» sive alter, debent canonici omnes in eorum ecclesiastico
» et canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum
» accedere eumque cappa indutum ex ea aula seu camera
» quam ad hoc destinavit, ad ecclesiam progredientem
» comitari et deducere. Eo ordine procedent usque ad por-
» tam primariam ecclesiæ; ibi dignior e capitulo porriget
» episcopo aspersorium cum osculo aspersorii et manus...
» In redeundo idem ordo servatur. »

2° Ex multis sacræ Congr. Rituum resolutionibus apud *Ferraris*, v° *Canonic.*, art. 6, relatis, seligemus sequentia : 1° Non tantum ex urbanitate, sed ex debito, omnes canonici ire debent obviam episcopo usque ad cameram palatii, si domus ejus sit contigua aut non multum distet; secus eum associare debent ex loco ad hoc deputato et prope ecclesiam sito. 2° Episcopus assignare debet horam sui adventus, tempore congruente; et si, dato ultimo signo campanæ, non adveniat, canonici inchoare possunt officium. 3° Si episcopus inchoato officio adveniat, saltem duo ex canonicis discedere tenentur e choro, ire obviam ei et aspersorium præsentare. 4° Idem faciendum est si, inchoata concione, episcopus ei adstiturus adveniat. 5° Si, finita concione, domum redire velit, sufficit quod tres vel quatuor canonici eum comitentur usque ad portam ecclesiæ, et statim redeant. 6° Ubi vero, persolutis divinis officiis, sive celebraverit, sive adstiterit, discessurus est, omnes canonici eum comitari seu associare debent extra portam ecclesiæ vel ad atrium domus ejus contiguæ. 7° Quamvis Cæremoniale Episc. loquatur tantum de canonicis, S. Congr. definiit, die 21 aug. 1601, etiam dignitates episcopum associare teneri. 8° Non tenentur tamen eum sic associare quoties ad ecclesiam venit aut ab ea discedit, sed solum in solemnioribus diebus in quibus celebraturus est, vel ad assistendum cum cappa aut ad alia pontificalia exercenda accedit : in cæteris diebus non tenentur, nisi ex urbanitate, et sufficit ut aliqui ex canonicis vel dignitatibus ad ostium ecclesiæ occurrant, et dignior aspersorium præsentet, atque discedentem simi-

liter ad ostium comitentur. Attamen si existat consuetudo ut canonici eum sic comitentur, licet cappa non utatur, servanda est. 9° Non tenentur ire obviam episcopo suffraganeo qui celebraturus est, usque in cubiculum, sicut tenentur ire obviam proprio episcopo; satis est ut aliqui accedant usque ad portam ecclesiæ. 10° Si suffraganeus, de licentia episcopi, cappam deferat, duo canonici ire debent usque ad ostium ecclesiæ, et dignior ei porrigere debet aspersorium quo suffraganeus seipsum tantum aspergit, dum proprius episcopus seipsum, canonicos, incipiendo a digniori, et assistentes aspergit. Eum similiter usque ad portam ecclesiæ associare debent in reditu.

3° Assistentia a canonicis et dignitatibus episcopo debita facienda est secundum Cæremoniale Episcoporum, et curare debet episcopus ut cunctæ hujus Cæremonialis dispositiones stricte in cathedrali et in aliis diœcesis suæ ecclesiis observentur, nisi forte laudabilis et immemorialis existat consuetudo in contrarium; quia dictum Cæremoniale tales auferre noluit consuetudines, sed tantum abusus.

4° Primæ dignitates aut digniores canonici episcopo celebranti vel alia pontificalia exercenti assistere debent cum pluviali, et ad id cogi possunt pœnis et censuris, ut constat e textu concil. Trid. supra citato, et e decisionibus S. Congr. Rit. dierum 10 jan. 1609 et 28 maii 1616.

5° Canonici assistere debent episcopo ordinationem facienti, sive Missam solemniter celebret, sive privatam dicat; sic S. Congr. Rit. die 15 maii 1607.

6° Qui assistunt episcopo cum cappa, birretum ei ponere et deponere non tenentur, sicut ponunt et deponunt mitram, sed ipse sibi hoc officium præstare debet. Eadem S. Congr. die 21 aug. 1632.

7° Eadem S. Congr. variis decretis definiit canonicos cogi posse ab episcopo ad ei in quibuscumque civitatis ecclesiis publicas vel solemnes episcopales functiones exercituro assistendum, modo sufficiens remaneat numerus canonicorum ad officium chori in cathedrali, sed non extra civitatem. Cogi vero non possunt ad ei private cele-

braturo assistendum, sive in ecclesiis civitatis, sive in ipsa cathedrali; et qui sic ei assisterent, obligationi non satisfacerent, ut S. Congr. Conc. censuit, die 17 maii 1618.

8° Dignitates et canonici cathedralis, si adsint, assistere debent episcopo extra cathedralem exercenti, et non inferiores clerici : ita judicavit S. Congr. Rit. die 2 aug. 1631.

9° Episcopo suffraganeo, nomine proprii episcopi exercenti, eadem debentur obsequia quæ præstarentur proprio episcopo, excepto quod, præter diaconum et subdiaconum, duo non sunt canonici assistentes cum pluviali. Ita expresse S. Congreg. Rit. 21 febr. 1604 et 1 sept. 1607, quæ tamen permisit, die 7 julii 1612, ut antiqua consuetudo dandi suffraganeo assistentiam duorum canonicorum, præter diaconum et subdiaconum, servaretur.

Alia plura videri possunt apud *Ferraris*.

P. V. — *De obligationibus canonicorum, sede vacante.*

1° Eo instanti quo sedes vacat per mortem, renuntiationem, aut translationem episcopi, capitulum succedit in ordinariam episcopalem jurisdictionem, non vero in delegatam, sive particularem, sive generalem, neque in eam quæ, ex concilio Trid. competit episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato. Hæc in pluribus juris canonici capitibus statuuntur et ab omnibus canonistis admittuntur.

2° Capitulum jure communi jurisdictionem ad se devolutam per seipsum diu exercere non potest, ut notant Fagnanus, *Ferraris* aliique canonistæ; sed, ex concil. Trid., sess. 24, cap. 16 de Reform., tenetur intra octo dies, vicarium generalem constituere aut existentem confirmare; quod si non fecerit, jus eum constituendi ad metropolitanum devolvitur; et si ecclesia vacans sit ipsa metropolitana, atque capitulum fuerit negligens, jus ad antiquiorem suffraganeum defertur. In Gallia et in Belgio mos generalis est ut plures vicarii generales capitulares eligantur. Videatur tamen recens summi Pontificis resolutio ad Capitulum Leodiense missa.

3° Capitulum cogi non potest ad eligendum vicarium ante diem octavum, ut ex verbis concilii Trid. eruitur et a canonistis admittitur; interea, ante electionem vicarii capitularis aut vicariorum capitularium, exercitium jurisdictionis spectat ad totum capitulum in solidum, non autem ad primam dignitatem. Sic expresse decrevit S. Congr. Concil. die 19 sept. 1690.

Durante hoc tempore, potest capitulum quod poterat ante concil. Trid., quia tunc solum jus commune viget; habet igitur facultatem quasdam faciendi constitutiones totam diœcesim obligantes, etiam in tempus futuri episcopi, donec ipse vel ejus successor eas revocaverit. Vide *Ferraris*, v° *Capit.*, art. 3, n. 26.

4° Sedes respectu capituli vacat a die quo certam habet notitiam, scripto aut testimonio, episcopum esse mortuum, aut a vinculo suæ ecclesiæ in consistorio fuisse absolutum per renuntiationis ejus acceptationem vel translationis actum pontificalem, etiamsi possessionem secundæ ecclesiæ ipse nondum fuerit adeptus. Sedes pariter vacat si episcopus ab hostibus fidei catholicæ, puta a Turcis, Sarracenis, paganis, hæreticis, schismaticis et aliis hujusmodi efficiatur captivus, ut expresse docet *Ferraris*, ibid., n. 32. Item si fuerit depositus aut relegatus, quia hæc morti naturali æquiparantur; non vero si fuerit suspensus, vel excommunicatus, aut absens, et vicarius generalis ab eo relictus moriatur, aut a principe sæculari extra diœcesim sit dejectus, quia tunc ad Sedem Apostolicam recurrendum est pro obtinenda provisione, ut S. Congr. Episc. et Regul. decrevit die 11 januarii 1616, et celebriores tenent canonistæ.

5° Omnes et soli canonici titulares non absentes, juxta formam consuetam convocandi sunt a decano seu primo ætate in canonicatu, et coadunati ad electionem vicarii aut vicariorum capitularium per suffragia secreta procedere debent, atque, electione semel canonice facta, eam revocare non possunt, nec, ante electionem, quasdam conditiones vicariis capitularibus eligendis apponere, ut ostendemus infra.

Vicarii generales episcopi a gubernio acceptati, qui, ex communi usu in Gallia nunc existente, vivente episcopo, ad gremium capituli pertinent et suffragium emittunt, ad electionem vicariorum capitularium concurrere nequeunt, quia, moriente episcopo, suum titulum amittunt; at qui a capitulo eliguntur ut titulares, juxta vulgarem loquendi modum, ad ipsius gremium attinent, primas sedes occupant in choro et jus suffragandi habent. Sic fert usus in novis diœcesibus Galliæ receptus. Consectarium videtur ut primus eo ipso sit capituli præses tempore vacationis.

6° Capituli est etiam nominare officialem ad quem dispensationes matrimoniales a curia Romana diriguntur.

7° Item capitulum debet statim commonefacere metropolitanum et omnes provinciæ episcopos de morte sui prælati, et curare ut pro ipso solemnis celebretur Missa ac publicæ indicentur preces pro obtinendo novo pastore qui sit juxta cor Dei. Sic in pluribus conciliis fuit statutum, ut videre est, *Mémoires du clergé*, t. II, p. 229.

8° Antiquior canonicus, tanquam temporarius capituli præses, annuntiat ministro cultuum mortem episcopi, vacationem sedis et electionem duorum vicariorum capitularium, quos nomine capituli præsentat, ut ab imperatore acceptati jus ad emolumenta habeant et diœcesim *legaliter* administrare possint.

P. VI. — *De vicariis generalibus capitularibus.*

Vidimus quomodo et quo tempore vicarius capitularis a capitulo constituendus sit.

1° E pluribus sacræ Congr. Conc. decisionibus vicarius capitularis debet esse doctor saltem in jure canonico, sub pœna nullitatis ipsius electionis, si doctor haberi possit. Verumtamen usus prævaluit apud nos ut habilis, licet non doctor, toleraretur, et nunc aliter in Gallia fieri non potest cum fere nulli sint doctores, et aliunde sic permittit concil. Trid. dicens, sess. 24, de Reform. cap. 16 : « Qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, » vel alias, quantum fieri potest, idoneus. »

2° Tota jurisdictio episcopalis transit ad vicarios capitulares regulariter electos privative quoad capitulum, non cumulative, ut ait *Ferraris*, v° *Vicarius capit.*, art. 1, n. 39 : « Unde, inquit, substitutio facienda propter ab-« sentiam vicarii spectat ad ipsum vicarium, et non ad » capitulum. »

3° Cum in Gallia, sicut et in pluribus Belgii diœcesibus (in Brugensi, v. g., non autem in Leodiensi, uti nobis fuit assertum), plures eligi soleant vicarii capitulares (de quibus videatur decisio Romani Pontificis ad capitulum Leodiense), inter se jurisdictione sunt æquales, et unus contra aliorum sententiam valide agere non posset. Qui a capitulo fuit electus ut primus, aliorum est præses et velut consilii administrationis caput. Si unus absit vel moriatur, jurisdictio penes alios remanet integra, nec capitulum alterum ei substituere potest, nisi ad summum de consensu remanentium aut remanentis atque jurisdictionem possidentis, siquidem constat vicarium capitularem semel valide electum revocari non posse, ut probat Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 2, cap. 9, nisi obj justam causam a S. Congr. Episc. et Regul. approbatam. Multi olim arbitrati sunt capitulum vicarium capitularem eligendo jurisdictionem ejus restringere et partem aliquam sibi reservare posse. Verum hæc sententia ab omnibus nunc rejicitur, ut testatur Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 4, cap. 8, n. 10, eamdem solide confutans. Potestas igitur vicariorum capitularium per se est indefinita, et durat usque dum episcopus electus et a Papa institutus, litteras suæ institutionis capitulo ecclesiæ ad quam destinatur ostenderit, et sic possessionem adeptus fuerit, nisi forte Papa, vel S. Congr. Episc. et Regul. ob longiorem ecclesiæ viduitatem aliamve causam vicarium apostolicum mitteret : quo in casu jurisdictio vicariorum capitularium statim cessaret.

4° Vicarii capitulares, tota jurisdictione episcopali gaudentes, omnia possunt quæ potest episcopus, exceptis iis quæ a jure canonico ipsis prohibentur, ut aliquid innovare, jura episcopalia minuere, beneficia jungere vel

dividere, proprietates alienare, indulgentias tribuere, litteras dimissorias ante annum elapsum concedere, titulos inamovibiles conferre, etc. Vide *Ferraris*, v° *Vicarius capitular.*, art. 2, et *l'Ami de la Religion*, t. LXX, p. 118.

5° Ante elapsum annum extraneum advocare non possent episcopum qui Ordines subditis diœcesanis conferret, nisi defunctus episcopus aut vicarius ejus generalis, ipso adhuc vivente, dimissorias eis dedisset litteras quæ tunc perseverarent. Possent, e contra, permittere ut alienus episcopus Ordines in diœcesi vacante propriis subditis vel aliis rite dimissis conferret, aut quælibet alia pontificalia exerceret.

6° Tenentur vicarii capitulares rationem suæ administrationis reddere, non canonicis a quibus fuerunt constituti, sed episcopo succedenti, ut unanimiter docent canonistæ, innixi expressis verbis conc. Trid., sess. 24, cap. 16 de Reform., in quo etiam statuitur nominandum esse œconomum a vicario capitulari distinctum, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerat et rationem omnium futuro episcopo reddat. Eadem dispositio jam fuerat præscripta in concilio Chalcedonensi, can. 25.

7° In Gallia, in Belgio, in aliisque regionibus nulla nunc annexa sunt episcopatibus bona quæ, sede vacante, administrari debeant, et ideo non nominatur œconomus. Nominari tamen posset pro gerendis reditibus sigilli, vulgo *ce qui revient au secrétariat pour les diverses expéditions*, et quorum ratio reddenda est futuro episcopo. Communiter hæc cura vicariis capitularibus relinquitur.

8° In decreto diei 6 nov. 1813, art. 24, statuitur quod si quædam bona fuerint annexa curatui (*cure*), titulo vacante, thesaurarius fabricæ reditus percepturus sit et in arcam fabricæ depositurus. Si forte quædam bona ad sedem episcopalem pertinerent, illorum reditus, juxta leges canonicas, futuro episcopo deberentur.

Quæritur an vicarius capitularis ad sedem diœcesis quam administrat nominatus, eo ipso jurisdictionem a capitulo sibi collatam amittat.

R. negative. Nam hæc privatio in jure non exprimitur, et *odia restringi convenit.*

Sectio tertia. — De parochis.

Parœcia venit a verbo græco παροικία, vicinam habitationem significante. Parochia et parochus oriuntur ab altera voce græca παρέχω eamdem significationem habente.

Qui autem parochiæ gubernandæ committitur, dicitur parochus, et in nonnullis diœcesibus, v. g., in Britannia, appellatur rector.

In Ecclesiæ principio diœceses non erant divisæ : omnes fideles, tum urbis episcopalis, tum locorum vicinorum, ad ecclesiam cathedralem die dominico confluebant : sacra Eucharistia præsentibus distribuebatur, et diaconi eam ad absentes deferebant. Ipse episcopus ecclesiæ cathedrali præsidebat, et senatum presbyterorum, diaconorum aliorumque ministrorum secum habebat. Quando numerus fidelium nimis auctus late diffundebatur, tunc in quibusdam dissitis locis novi fiebant cœtus ex consensu episcopi, qui ad eos regendos singulis diebus dominicis clericos ex sua cathedrali mittebat. Deinde constitutæ sunt parochiæ, primum in vicis et villis, quibus præficiebantur sacerdotes ad nutum episcopi revocabiles : serius ortæ sunt parochiæ in ipsis civitatibus etiam episcopalibus, ubi scilicet major erat fidelium numerus quam ut omnes in ecclesia cathedrali coadunarentur.

Priores parochiæ cœperunt existere ante concilium Chalcedonense, in quo earum fit mentio, can. 17; sed tertio sæculo antiquiores non sunt. Posteriores ante annum Christi millesimum non exstitisse probat *Mario Lupi*, prælatus Romanus, Pii VI camerarius, in opere inscripto : *De parochiis ante annum Christi millesimum.* Idem fuse ac solide demonstrat *Nardi*, in opere italiano inscripto : *Dei Parrochi*, 2 vol. in-4°, anni 1829 et 1830 typis mandato *Pesaro.*

Ecclesia enim in qua episcopus suam habebat cathedram vocabatur cathedralis; numero fidelium crescente,

aliæ instituebantur particulares ecclesiæ quibus administrandis episcopus præficiebat sacerdotes, diaconos aliosque ministros, quos revocabat aut mutabat, juxta suam prudentiam, ut nunc fieri solet in novis diœcesibus Americæ aliarumve regionum.

Primorum beneficiorum fundatores, sibi suisque hæredibus reservarunt jus titulares designandi : tunc obstiterunt ne episcopi eos pro nutu revocarent vel mutarent. Ex altera parte episcopi maxime dolebant quod domini temporales sacerdotes sibi displicentes dimitterent et alios, sæpe mediante pecunia, eis substituerent, quod non fiebat absque simonia. Hinc paulatim contigit ut statuerentur regulæ in depositione alicujus beneficiarii sequendæ. Unde provenit circa duodecimum sæculum beneficiatorum, ac proinde parochorum, inamovibilitas. Falsum est igitur parochorum inamovibilitatem esse juris naturalis, ut volebant fratres *Allignol*, aut juris divini. Ejus existentia a jure ecclesiastico duntaxat repetenda est, et idcirco varias subire potest mutationes. S. Congr. Concilii pluries permisit, et recenter episcopo Portuensi, ut instituerentur parochi etiam titulares amovibiles. *Correspondance de Rome du* 14 *janv.* 1852. Si ergo in præsenti rerum statu apud nos parochi vulgo dicti *desservants* sint amovibiles, nihil est contra primitivam Ecclesiæ constitutionem. Non tamen mutari et multo minus revocari debent absque rationabili causa, quod omnes concedunt; sed prudenti episcoporum judicio subjiciuntur, et inde nata est in multis diœcesibus accurata disciplina quæ secus non exstitisset.

Hinc premens deducitur argumentum contra eos qui volunt parochos esse juris divini. Attamen, etsi cum Facultate Parisiensi, Collatore Andegavensi aliisque non paucis Gallicanis, concederetur parochos jure divino fuisse institutos, non sequeretur eos necessario esse inamovibiles.

Nardi probat ex professo, t. I, p. 288 et seq., omnino falsum esse parochos jure divino fuisse institutos.

Qui capellis vicarialibus deserviunt, aut aliter deter-

minatos habentes subditos, omnia pastoris munia exercent, quasi ordinariam habent jurisdictionem apud nos, ex consuetudine quæ sic communiter et præsertim ab episcopis intelligitur.

Nunc breviter dicemus in tribus punctis, 1° de parochorum juribus; 2° de eorum obligationibus; 3° de eorum vicariis.

P. I. — *De parochorum juribus.*

1° Quoniam saluti animarum maxime expedit ut a dignis atque idoneis parochis regantur parochiæ, conc. Trid. statuerat, sess. 24, cap. 18 de Reform., regulas pro vocandis, examinandis et præficiendis iis qui ad tantum officium judicarentur aptiores. Nunc, ut jam notavimus, episcopi tenentur quidem digniores eligere et parochiis præficere; sed cum aliis viis capacitatem, mores atque clericorum suorum aptitudinem cognoscere possint, sunt qui putent episcopum eos ad examen a concilio Tridentino præscriptum vocare non teneri. Plures tamen episcopi hujusmodi examen, et quidem modo perfectiori subeundum, restituerunt.

2° Parochus, quo nomine intelliguntur *deservientes* succursalibus et capellis vicarialibus, semel canonice institutus, ordinariam habet jurisdictionem in populum sibi commissum, et sine nova episcopi approbatione habet jus exercendi omnia munia parochialia, id est, prædicandi, docendi, sacramenta administrandi, officiis parochialibus præsidendi, ea dirigendi, officiales ecclesiæ eligendi, moderandi, etc. Nullus igitur clericus, excepto episcopo et vicario ejus generali, aliquam functionem sacram in ejus ecclesia aut parochia sine ipsius consensu expresso aut rationaliter præsumpto licite potest exercere, nisi ad id specialiter fuerit missus vel approbatus ab episcopo.

At, vi sui tituli, parochus nullam habet fori externi jurisdictionem proprie dictam. Unde, saltem sub disciplina nunc exstante, non potest excommunicationem aliasve censuras ferre aut ab eis absolvere, quemcumque

actum judicialem exercere, pœnas publicas imponere, mandata edicere, etc.; hujusmodi enim actus, ad externum Ecclesiæ regimen spectantes, ad solum episcopum vel ad ejus delegatos pertinent. Item dispensare non potest in legibus ecclesiasticis, nisi ex episcopi concessione expressa aut rationabiliter præsumpta, qualis nunc videtur communiter recepta quoad jejunia in individuis, abstinentiam a carnibus aut cessationem ab operibus servilibus in particularibus circumstantiis. Hæ tamen concessiones potius habendæ sunt, juxta plures, ut interpretationes quam proprie dictæ dispensationes.

3° E concilio Trid., sess. 21, cap. 4 de Reform., episcopi cogere debent rectores ecclesiarum parochialium vel baptismalium, ut sibi tot adjungant sacerdotes quot ad sacramenta ministranda et cultum divinum celebrandum sufficiant. Hinc concluditur in mente concilii parochos habere jus sibi eligendi vicarios in numero sufficienti, sed eos assumere teneri ex sacerdotibus ab episcopo approbatis, juxta dispositionem cap. 15 de Reformat., sess. 23. Testatur *Van-Espen*, part. 1, tit. 3, cap. 2, n. 2, morem in Belgio fuisse suo tempore ut parochi suos vicepastores, id est vicarios, sibi assumerent. Apud nos, et nunc etiam in Belgio, mos generalis invaluit ut soli episcopi eligant, approbent et mittant vicarios, tum quia episcopus eos saltem approbare debet, tum quia, seminariis ubique existentibus, juniores presbyteri sunt omnes sub manu episcopi, qui apprime illos novit et securius judicat quis ad hanc vel illam parochiam, pro majori bono, deputari debeat.

4° Hic a pluribus quæritur an et quomodo episcopus alicui committere possit munia parochialia, in toto vel in parte, in aliqua parochia, etiam invito parocho. Quæstio moveri non potest apud nos relative ad parochos *amovibiles* : cum enim episcopus eos a parochiis suis amovere possit, potest, *a fortiori*, jurisdictionem eorum, juxta suam prudentiam, limitare. Quoad parochos *titulares*, potest episcopus, imo et vicarius generalis, quædam officia determinata exercere per se vel per delegatos, etiam

invito parocho, ex Clement. l. 3, tit. 7, cap. 2. Hoc intelligitur etiam de iis quæ specialius a jure tribuuntur parocho, uti matrimonio interesse, confessiones annuas excipere, aut etiam de exercitiis extraordinariis, prædicationibus, missionibus, quæ, reluctante parocho, fieri vult episcopus.

Potest etiam, juxta omnes, jurisdictione contentiosa utendo, coadjutorem ad universa munia dare parocho qui, ex negligentia vel ignorantia, munus suum non implet; concil. Trid., sess. 21, cap. 6 de Reform. Secluso hoc *devolutionis* casu, plures dixerunt vicarium dari non posse parocho invito : at plerique contendunt episcopum posse, etiam absque judicii forma, constituere, invito parocho, vicarium, qui omnia munia pastoralia impleat; tum quia est supremus totius diœcesis pastor, et per alios facere potest Ecclesiæ bonum, quod est summa lex ecclesiastici regiminis. In hoc concordant praxis, apud nos generaliter recepta, et ipsa lex civilis, sic habens : *Dans le cas où un titulaire se trouverait éloigné temporairement de sa paroisse, un ecclésiastique sera nommé pour le remplacer.* (*Décret du* 17 *nov.* 1811.) Vide Coll. Andeg.; Hier., t. II, p. 382; *Collet, Diction.,* cas *Vicaire*, etc.

5° Constat parochos olim habuisse potestatem vicarios a functionibus sacris in sua parochia et erga subditos suspendendi, eis auferendo jurisdictionem quam, ex dictis, delegare censebantur. Nunc autem prohibere possunt, ob graves causas, ne vicarius sacras functiones pergat exercere, donec episcopus, ad quem res statim deferenda est, aliter judicaverit. Interea, si vicarius, non obstante tali prohibitione, actus sacri ministerii exerceat, graviter peccat; hoc enim saltem important episcopales provisiones, quæ communiter mandant vicario ut *de consensu parochi* agat : quod si parochus prohiberet ne vicarius sacras exerceret functiones in locis parocho non subditis vel erga extraneos, vicarius contra hanc prohibitionem agendo non peccaret, nisi scandalum vel aliud malum inde oriretur.

Quoad validitatem vero, judicandum est ex disciplina in loco recepta, sive consuetudine, sive statutis episcopi qui, cum sit solus jure divino totius diœcesis proprius pastor, disciplinam sub hoc respectu interpretari, vel etiam, ad majus bonum, moderari potest. Porro apud nos receptum est jurisdictionem vicarii a parocho non pendere, excepto matrimonio : vicarius ergo, in casu supposito, valide confessiones exciperet, etiam tempore Paschatis, sed *nulliter* matrimonio assisteret aut licentiam illud in alia parochia celebrandi, vel communionem paschalem faciendi concederet, donec specialem ad hæc obtinuisset ab episcopo delegationem.

6° Quoad præcedentiam, statuit *Ferraris*, verbo *Parochus*, art. 2, num. 57, e variis S. Congr. Rituum decretis, 1° eos debere ordinari, in publicis cœtibus et officiis, secundum ecclesiarum suarum prærogativam : si autem ecclesiæ nulla inter se distinguantur prærogativa, parochi ordinari debent juxta institutionis antiquitatem, sicut episcopi, ut nobis videtur, et communiter servatur ; 2° in processionibus parochum loci alios rectores et presbyteros præcedere ; 3° in funeralibus inferiorem esse canonicis, sed omnes alios presbyteros, etiam canonicos sine propria cruce et sine consessu capituli incedentes, præcedere : *Ferraris*, n. 66, et S. R. Congr. 20 novemb. 1627 ; 4° eum ratione officii præcedere quando est inter pares, non autem quando est inter majores ; 5° eumdem, tanquam caput ecclesiæ parochialis, thurificandum esse ante dominum loci, etc.

7° Quamvis stola sit ex se ornamentum sacerdotale, omnibus sacerdotibus commune in celebratione Missæ et sacramentorum administratione, nec jurisdictionem necessario indicet, est tamen sæpe signum auctoritatis in parochis qui eam deferre consueverunt quotiescumque gradiuntur processionaliter cum clero suo, et, in pluribus ecclesiis, quoties assistunt officio ab alio celebrato. Eam vero communiter deferre non possunt extra suam parochiam. Excipiuntur tamen casus sequentes : 1° si parochi civitatis ad publicas processiones convocen-

tur, incedere possunt cum stola, e S. Cong. Rit. 24 jan. 1728. 2° Parochus libere transire potest, cum stola et cruce elevata, per alienas diœceses et parochias, etiam non requisitis earum parochis, ad effectum conducendi processionaliter cadaver proprii parochiani alibi sepeliendum, ut decrevit S. Congr. Episc. et Reg. 24 nov. 1713. Vide *Ferraris*, verbo *Stola*. Parochi alieni nihil exigere possunt ratione transitus per suas parochias.

8° Cum episcopus primarius sit pastor totius diœcesis, parochi stolam coram ipso in signum auctoritatis deferre non possunt, nisi eo consentiente. Duo fratres Nicolaus et Renatus *Dehors*, parochi Rothomagenses, qui contendebant se habere jus deferendi stolam coram suo archidiacono ecclesias eorum visitante, per sententiam officialitatis hujus diœcesis damnati sunt, die 12 decem. 1625. (*Mémoires du clergé*, t. VI, p. 53, et t. VII, p. 628.) Idem dicendum est, jure communi, ubi adest vicarius generalis, vel etiam archipresbyter aut decanus in ipso actu visitationis, quia tunc aliquam in ipsum parochum, nomine episcopi, exercet jurisdictionem.

9° Parochi licentia vel interventus requiritur ad hoc ut regulares cadavera defunctorum in parochia ejus levare possint, nisi ipse requisitus venire omnino recuset, e decisione S. Congr. Rit. diei 18 octob. 1621. Non arbitramur extraneum sacerdotem habere jus, in præsenti rerum statu apud nos, cadaver defuncti in aliena parochia levandi, proprio parocho venire recusante, nisi licentia episcopi fuerit obtenta.

Multa alia olim occurrebant discutienda inter parochos et regulares, quæ nunc apud nos forent sine objecto et omittimus.

10° Si parochus ad aliam parochiam transferatur vel suo titulo renuntiet, suam jurisdictionem et omnia jura sua retinet, non solum usque ad diem quo novam institutionem vel episcopi censensum obtinet, sed ad diem quo, annuente episcopo, parochia egreditur animo eam deserendi. Interea quoslibet actus jurisdictionis valide exercet, atque emolumenta casualia percipit.

P. II. — *De parochorum obligationibus.*

Jam pluribus in locis de parochorum obligationibus aliquid diximus : nunc de obligatione quam habent residendi, orandi, prædicandi et oves cognoscendi acturi sumus.

De obligatione residendi.

1° Parochus tenetur jure divino in sua parochia residere ; eo ipso enim quod gubernationem spiritualem parochiæ in se suscipit, strictam contrahit obligationem juris naturalis et divini saluti omnium animarum sibi commissarum invigilandi eamque pro posse suo procurandi : hoc autem præstare non potest nisi resideat : ergo, etc. Unde concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform., postquam declaravit residentiam esse præcepto divino episcopis præscriptam, declarat idem dicendum esse « de » curatis inferioribus et aliis quibuscumque qui benefi» cium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, » obtinent. » Ita omnes theologi et canonistæ quoad substantiam obligationis sub peccato mortali; sed notant concilium Trid. noluisse definire tanquam de fide eam esse de jure divino, sive pro episcopis sive pro curatis inferioribus, quia inter patres longa fuit hac de re discussio, ut narrat Palavic., l. 7, cap. 6, et in aliis locis, et plures contendebant eam obligationem esse tantum juris ecclesiastici.

2° Parochus residere tenetur quamvis tenuem habeat parochiam, etiamsi tres tantum aut quatuor remanerent incolæ, ut apud *Ferraris,* verbo *Parochus,* art. 2, n. 5 et 6, docent *Garcias*, *Barbosa*, Reginaldus aliique canonistæ. Si duas habet parochias, in digniore; si non constet quæ sit dignior, in frequentiori residere debet; si una sit extra civitatem, et altera intra civitatem, in posteriori debet esse ipsius residentia, et, in cunctis casibus, prope ecclesiam parochialem, quando fieri potest.

3° Ex decisione S. Congr. Concil. diei 19 decemb. 1718, cogendus est parochus habitare in domo presbyterali,

vel, si non sit, in domo propinquiori intra limites parochiæ. Poterit tamen, relicta domo parochiali, in paterna vel cognatorum domo habitare, intra fines parochiæ, modo inde muneri residentiæ satisfacere possit. Sic multi apud *Ferraris*, ibid., n. 17, ubi plures id sustinent, etiamsi talis domus sit extra fines parochiæ, dummodo non distet ultra milliare Italicum, id est, circiter tertiam partem unius e leucis nostris.

4° Residere autem, est ecclesiæ per seipsum deservire; unde in Decretal., lib. 3, tit. 5, cap. 30, sic statuitur : « Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vica- » rium, sed per seipsum illi deserviat, in ordine quem » ipsius ecclesiæ cura requirit. » Potest tamen, pro meliore animarum cura et officiorum parochialium exsecutione, unum aut plures habere vicarios quibus munera magis ardua committat, ut ire de nocte ad infirmos, divina officia in ecclesiis filiabus peragere, multas confessiones audire, etc., sed ipse interea; legitimo cessante impedimento, alia et principaliora parochialia munia præstare, et quoties a parochianis nominatim vocatur, statim ire debet.

5° Attamen absentia parochi quandoque licita esse potest; sed, ex loco citato concil. Trid. quatuor præsertim attendenda sunt; scilicet, duratio conveniens, licentia scripto data, causa legitima et vicarii idonei substitutio.

6° Duratio variatur pro majori vel minori gravitate causarum, ut patet, sed bimestre excedere non debet, nisi ex causa judicio episcopi gravissima. Sic S. Congr. Concilii censuit 14 septemb. 1630, et, die 15 octobris 1644, declaravit episcopum, ob inimicitias sine parochi culpa ortas, sex menses concedere posse. At, per alteram decisionem 20 aprilis 1652, injungit episcopo ut, si inimicitiæ componi non possint, mediante resignatione, vel aliis mediis jure permissis, provideat ut titularis resideat.

7° Ad qualemcumque absentiam, etiam ad eam quam canonistæ vocant brevem, v. g., unius hebdomadis, re-

quiritur causa legitima. Legitima autem non censetur causa docendi grammaticam in civitate, ex decisione S. Congr. Concil. an. 1573; nec intemperies aeris, ex altera decisione 16 martii 1651, nisi saltem episcopus hoc specialiter, ad majus bonum, concedendum duxerit; nec periculum extraordinarium, v. g., pestis grassantis, hostium incursionis, etc., ut definiit eadem Congr. 10 octobris 1676 et docet Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 19, n. 2 et seq.; neque fugienda persecutio sibi et populo communis, quia *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. x, 11. Attamen in casu persecutionis aliquando licitum imo et necessarium est ad tempus fugere, prout major ecclesiæ utilitas postulat. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 19, n. 2.

8° Ex lege Trid. necessaria est licentia episcopi aut vicarii generalis non solum ad absentiam bimestrem, sed etiam, ut communiter docetur, ad absentiam brevem. Bened. XIV, Inst. 17, n. 23, statuerat ut licentia saltem vicarii foranei obtineretur, quoties absentia ad triduum extendenda esset. S. Congr. Concil., citata apud Garciam, declaravit servandam esse constitutionem episcopi prohibentem ne parochus, etiam relicto vicario idoneo, ultra biduum abesse possit sine Ordinarii licentia. Citra hujusmodi constitutionem, *Rieffenstuel* et alii docent parochum per sex aut septem dies, sine licentia episcopi, abesse posse, ob legitimam causam, substituto vicario. Variæ Congregationum romanarum decisiones negant hunc terminum præteriri posse, et hæc praxis apud nos recepta videtur. In primis ergo sciendum est quid episcopus in sua diœcesi statuerit, vel quid ferat consuetudo nota et probata. Gravi tamen occurrente causa, quæ dilationem non patiatur, parochus, relicto idoneo vicario, discedere poterit absque licentia episcopi, quia necessitas non habet legem; sed quamprimum certiorare debet episcopum de tali discessu et de causa urgente, ut licentiam obtineat, nisi brevi tempore sit reversurus.

Supponimus parochum nunquam, sine licentia, abesse

posse die dominica vel festiva, adeo ut officium parochiale interrumpatur (1).

Hæc licentia, causa cognita, danda est scriptis : sic *Ferraris* cum multis aliis, v° *Paroch.*, art. 2, n. 21, et expresse Congr. Concil. 4 octobris 1604. Nihilominus invaluit usus ut quandoque concedatur viva voce, et hæc concessio sufficit, modo de voluntate episcopi constet. *Ferraris, Reiffenstuel* aliique frequenter notant non sufficere ut licentia fuerit petita, nisi sit obtenta, atque episcopo eam negante, ad superiorem esse recurrendum, vel residentiam tenendam.

9° « Quandocumque eos (parochos), causa prius per » episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vica» rium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum » debita mercedis assignatione, relinquant, » ait concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform. Hoc extendi posse videtur ad parochum vel ad alium sacerdotem omnino vicinum, qui facillime accersiri possit : expedit tamen ut de substitutione moneantur, tum ipse sacerdos, tum parochiani.

Bened. XIV, Inst. 17, n. 23, dicit : « Absentiam vel » unius diei interdicimus, nisi parochus sacerdotem ad » confessiones audiendas approbatum suo loco substitue» rit, qui, si occasio ferat, administret sacramenta. » Plures tamen canonistæ, quibus consuetudo apud nos recepta concordat, dicunt non urgere obligationem substituendi vicarium in absentia unius diei vel etiam duorum dierum, quando nullum apparet probabile periculum. Multi tamen dicunt vix concedi posse biduum plenum et a gravi culpa difficile excusant eum qui sic per triduum abest, etiamsi nullus existat infirmus, nisi causa subsit extraordinaria; *Reiffenstuel*, de Clericis non resid.,

(1) La loi organique, art. 29, prescrit aussi la résidence, et l'ordonnance du 13 mars 1832, art. 4, porte qu'une absence de huit jours peut être autorisée par l'évêque; pour une absence plus longue, le préfet doit être informé; si elle devait se prolonger au delà d'un mois, il faudrait l'autorisation du ministre, ou le traitement correspondant serait retranché.

n. 83; *Collet, Devoirs des pasteurs.* Hoc præcipue applicandum est quando vicinus sacerdos longe distat, aut aliquod timendum est periculum. Si quis exstat infirmus periclitans, nulla de causa abesse potest parochus, nisi tali substituto sacerdote idoneo. Hinc judicandum est an parochus et vicarius ejusdem magnæ parochiæ simul abesse possint etiam per unum diem, nisi legitima adsit causa.

10° Ex his omnibus patet quam graviter errent qui arbitrantur se, absque licentia episcopi, per plures hebdomadas posse tuta conscientia abesse. Juxta omnes, quicumque sine causa sufficienti et licentia episcopi absunt, graviter peccant, nisi brevitas temporis eos a tanto excuset : quanto magis peccant qui, absque licentia requisita, et extra causam urgentem, suas parochias sic deserunt!

11° Præter peccatum coram Deo admissum, parochus legem residentiæ transgrediens incurrit pœnas canonicas : 1° non facit fructus suos; eos igitur qui absentiæ suæ irregulari correspondent, fabricæ ecclesiæ suæ vel pauperibus erogare debet. *Ferraris,* v° *Paroch.*, art. 2, n. 31. Casuales retributiones, etiam jus curiale vel solventibus restituere debet, vel, ex judicio episcopi, Missas celebrare aliasve preces pro defunctis fundere. 2° Beneficio suo privari potest post canonicas monitiones, quod de solis titularibus intelligendum est, et, in Gallia, necessarium esset Imperatoris edictum : non residentes enim, si, moniti, remaneant contumaces, liberum est Ordinariis eos per omnia juris media, usque ad tituli privationem, compellere, ex concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform.

De obligatione orandi.

1° Probavimus, in Tract. *de Eucharistia,* secunda parte, parochum Missæ sacrificium pro parochianis suis offerre teneri, saltem omnibus diebus dominicis et festis de præcepto, nec non festis reductis per indultum anni 1802.

2° Tenetur insuper pro ovibus sibi commissis, juxta proprias uniuscujusque necessitates, frequenter orare, ut supernæ benedictionis infusionem in conatus suos descendere faciat, sæpe memor sequentium Apostoli verborum : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, I. Cor. II, 7.

3° Præterea invigilare debet ut omnes discant orare, convenienter orent atque suos doceant orare. Expedit ut matutinas vel saltem serotinas orationes publice agat diebus dominicis et festivis, tempore Adventus et Quadragesimæ, aut frequentius si possit, tum quia ubi plures sunt congregati in nomine Christi, Christus est in medio eorum, tum quia hujusmodi oratio est Deo gratior et efficacior, tum ut parochiani paulatim discant quomodo orandum sit, ut consuetudinem orandi in communi acquirant, etc.

De obligatione prædicandi.

1° Jure naturali et divino tenentur parochi prædicare et docere, quantum necessitas fidelium exigit : « Cum, » inquit concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform., « præ» cepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum » cura commissa est, oves suas agnoscere... verbique di» vini prædicatione... pascere, » satagere ergo debent, quantum possunt, ut omnes sibi commissi, sive adulti, sive pueri, statim atque usum rationis obtinuerint, doceantur ea quæ necessaria sunt necessitate, tum medii, tum præcepti, sive generalis, sive unicuique specialis. Eosdem debent hortari ut sanam conservent doctrinam, vitia devitent, virtutes christianas prosequantur et ad Deum finem suum ultimum perveniant.

2° Hanc obligationem jus ecclesiasticum vehementer urget et magis determinat. « Archipresbyteri, plebani et » quicumque parochiales vel alias curam animarum ha» bentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel » alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus sal» tem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commis» sas pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus

» verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est » ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et faci- » litate sermonis vitia quæ eos declinare et virtutes quas » sectari oportet, ut pœnam æternam evadere, et cœles- » tem gloriam consequi valeant. » Concil. Trid., sess. 5, cap. 2 de Reform. Eadem obligatio exprimitur in sess. 24, cap. 4 de Reform. in quo, præter dies dominicas et festa, additur quod tempore Quadragesimæ et Adventus quotidie aut saltem tribus in hebdomada diebus prædicandum sit, si ita oportere duxerint episcopi. Ergo negari non potest cunctos pastores strictam habere obligationem juris ecclesiastici populos sibi commissos sana doctrina frequenter pascendi.

3° Graviter peccant parochi qui tribus mensibus anni, etiam discontinuis, per se vel per alios non concionantur : nam concil. Trid., sess. 5, capite citato, ait : « Itaque ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio » muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu » alias, ad ipsius episcopi arbitrium, cogantur. » Tantæ pœnæ non decernuntur nisi pro culpa gravi. Ergo. *Ita omnes theologi, etiam molliores.*

4° Sæpe longe minus spatium temporis sufficit ad constituendum peccatum mortale. S. Ligorius, l. 3, n. 269, dicit non improbabiliter a pluribus doceri graviter peccare illum qui per mensem continuum prædicationem omittit. Alii tamen paulo minus urgent. Habenda est ratio statutorum diœcesis, et circumstantiarum quorumdam anni temporum, ubi vel pastor prædicare vel fideles audire difficilius possunt. Si parochus transitorie infirmatur, excusari potest : si vero infirmitas videatur perpetua, officio cedere vel coadjutorem ab episcopo petere debet. Habenda est etiam ratio majoris vel minoris necessitatis juxta omnium vel quorumdam ignorantiam aut vitia. Ubi autem non reperiuntur qui in tali sint spirituali indigentia? Licet autem parochus huic muneri satisfacere possit per alios prædicatores, sive ordinarios, sive extraordinarios, non se tamen putet liberum, si saltem quandoque ipse non prædicet; nec etiam judicet se excusari

quavis consuetudine, vel parvo fidelium numero, vel frequentia aliarum ecclesiarum.

Notandum insuper, prædicationem indigentiæ et capacitati audientium non proportionatam prorsus insufficientem esse, ut parochus muneri prædicationis satisfaciat. Quot ergo parochi judicio Dei damnabuntur ob solam gravissimæ hujus obligationis omissionem!

5° Nomine prædicationis non intelliguntur sermones juxta eloquentiæ regulas compositi, ornati, memoriæ commendati et pronuntiati : quandoque sunt utiles vel necessarii, v. g., in solemni festo, in extraordinario concursu; sed communiter parochus, tales habendo conciones, muneri suo minime satisfaceret. Studeat pro viribus suis facere quod præscribit concil. Trid. in textu superius citato, et quod ipse ovibus suis magis expedire judicabit : non tantum intra missarum aliorumve officiorum solemnia populum coadunatum sana doctrina sic imbuere satagat, sed in catechismis, in scholis, in domibus privatis, denique omnibus viis quæ sibi efficaciores videbuntur, ut dicere possit cum Apostolo, Act. xx, 26 : *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium*, sciens quod si vel una anima culpa ejus pereat, Deus illam de manu ejus requisiturus sit.

6° A peccato igitur mortali excusari non possunt parochi 1° qui raro prædicant, nisi legitime impediantur, quo in casu curare debent ut alii pro ipsis hoc munere convenienter fungantur; 2° qui nullam aut fere nullam adhibentes præparationem, loquuntur sine ordine, claritate, pietate et zelo, verbum Dei indigne tractant, et fastidium in audientibus excitant; 3° qui conciones minime congruentes pronuntiant; 4° qui in prima Missa, cui fideles magis ignari assistere solent, concionari nolunt, et *a fortiori*, qui vicarium a brevi et facili concione, hujusmodi fidelibus proportionata, prohibent; 5° qui sua negligentia in pueris catechizandis, in scholis visitandis, in rudibus requirendis et instruendis, causa sunt cur animæ sibi concreditæ pereant. Unde qui munus ca-

techizandi et concionandi, v. g., in prima Missa dierum dominicarum et festivorum, vicariis aliisve committunt, prudenti sollicitudine invigilare debent ut omnia convenienti modo fiant, alioquin rationem ipsi supremo Pastori reddere tenebuntur de animabus sic perituris.

7° Vicarii ab episcopo in adjutorium parachorum missi, vices eorum gerere pro posse suo tenentur : graviter igitur peccant si notabiliter sint negligentes in concionando convenienti modo, in catechizando et in alia munia sibi commissa exercendo.

8° Pluries a nobis quæsitum est utrum parochus qui, allegans se conciones scribere, memoria retinere et pronuntiare non posse, pias facit lectiones, loco sermonis ad populum, muneri suo satisfaciat. Certum est melius esse tales facere lectiones quam omnino tacere, ac consequenter qui memoria concionari non potest, eas omittere non debet. Attamen evidens est concil. Trid. conciones viva voce datas requirere, et experientia constat eas multo efficaciores esse. Si magistri in scholis non nisi legendo artes et scientias edocere vellent, numquid muneri suo satisfacerent? Certe difficilius est fideles omnis ætatis et conditionis vera religionis doctrina imbuere : caveant ergo parochi et quicumque saluti animarum præponuntur, ne in re tantæ gravitatis sibi illudant. *Collet, Devoirs des curés,* c. 7, § 1, permittit ut parochus qui multis annis feliciter laboravit, et propter senectutis infirmitates aliasve causas accidentales factus est impotens viva voce concionari, proprios sermones vel aliorum homilias prudenter selectas populo legat ; verum docet eum qui concionari non valet, curam animarum suscipere non posse, nisi impossibilitatem qua detinetur aperiat episcopo, et episcopum debere, ob hanc causam, eum communiter repellere. Excipiendum tamen est si alium non habeat sacerdotem huic ecclesiæ præficiendum.

9° Quamvis Urbanus VIII approbaverit decretum S. Congr. Conc. diei 2 maii 1629, in quo statuitur ut, prædicante episcopo, omnes alii concionatores sileant, eadem S. Congregatio respondit, die 11 januarii 1631, id

non intelligi respectu parochorum qui eadem die in ecclesia parochiali concionari possunt.

10° Si parochi per se munus prædicationis obire velint, impediri non debent, et tempore Quadragesimæ etiam mane in suis ecclesiis prædicare possunt, non obstante consuetudine quod in sola ecclesia matrice vel in alia concionetur, ut S. Congr. Conc. definiit die 26 jan. 1697.

11° Parochi nullum sacerdotem sibi ignotum ad concionandum in suis ecclesiis admittere possunt, nisi ab Ordinario loci fuerit approbatus; nec etiam notum, ad stationem aut missionem faciendam, sine ejusdem Ordinarii consensu; nec diaconum aut alium inferiorem clericum : sed dare possunt licentiam alicui viro docto et noto, etiam regulari, ut bis vel ter concionetur in suis ecclesiis, sine approbatione episcopi. *A fortiori* hanc licentiam dare possunt et debent eis qui ab episcopo sunt approbati. Ita communiter theologi apud *Ferraris*, v° *Parochus*. art. 2, n. 79.

12° Qui coram episcopo verbum Dei annuntiaturus est intra Missam, finito Evangelio, ante *Credo*, benedictionem ab eo genuflectens, vel, si canonicus sit, profunde inclinatus, petere debet : ubi vero habendus est sermo extraordinarius, v. g., ad publicandum Jubilæum, ad gratias Deo agendas pro aliquo felici nuntio vel publicatione fœderis, vel adventu magni principis, aut simili occasione, fieri non debet intra Missam, sed ea finita, et tunc non petitur benedictio. Idem observandum si sermo habendus sit in Missa defunctorum vel in laudem alicujus magni viri defuncti : fit inter Missam et absolutionem; Cæremonial. Episcop., l. 1, cap. 22. Mos apud nos invaluit ut verbum Dei annuntiaturus, sive intra, sive extra Missam, excepta Missa defunctorum, genuflectens benedictionem petat, dicens : *Jube*, etc.

13° Notat Cæremonial. Episc., l. 1, cap. 22, n. 3, prædicatorem semper dicere Salutationem Angelicam, non vero *Regina cœli*, etiam tempore Paschali, quod apud nos non servatur, S. Congreg. Rit. respondit, die 23 januarii 1700, in confirmationem aliarum decisionum jam emis-

sarum, prædicatores salutare teneri capitulum seu canonicos in apparatu chorali assistentes, prius quam civitatis gubernatorem.

Nota. Quædam sunt publicationes a parocho, per se vel per alium, necessario et sub gravi faciendæ, ut festa et jejunia observanda, quæ fideles cognoscere tenentur, matrimonia celebranda, vi legis ecclesiasticæ. Aliæ vero stricte prohibentur : sic prohibetur ne nova miracula, novæ revelationes, etc., annuntientur, aut festivitates vel processiones extraordinariæ indicentur, vel res omnino sæculares commendentur, petantur, etc., absque episcopi auctoritate vel licentia.

Lex 18 germ. an x, art. 53, ait : *Ils ne feront au prône aucune publication étrangère à l'exercice du culte, à moins qu'ils n'y soient autorisés par le Gouvernement.*

Prædicatores aliquem expresso nomine redarguere non possunt in actu prædicandi, sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, ex concil. Lateranensi V; *Ferraris*, v° *Prædic.*, n, 101. Strictissime caveant quilibet sacerdotes ne verbis incautis fideles offendant.

De obligatione oves cognoscendi et corrigendi.

1° Bonus pastor *proprias oves vocat nominatim et educit eas*, Joan. x, 3 : ergo tenetur eas, quantum potest, cognoscere et quidem ex præcepto, ut præcisis verbis dicit concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform., « cum præcepto » divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura » commissa est, oves suas agnoscere. » Visitare ergo debet parochus suos parochianos, cum illis affectu paterno colloqui, patres et matresfamilias prudenter interrogare circa liberos, servos, ancillas, operarios, non vero dicteria ancillæ aliarumve feminarum loquacium audire, et ita se gerere ut omnes perfecte noscat et notam curiositatis non incurrat.

2° Tenetur sub gravi oves in peccato mortali vel in proximo ejus periculo versantes corrigere, etiam cum periculo vitæ, si possit, id est, si spes emendationis affulgeat : debet insuper, secundum suam prudentiam et

potestatem, scandala auferre aut præcavere, per se vel per alios, mandato, consilio, exhortatione, precibus, etc. *Ita communiter theologi*, qui ut probabilius docent hanc obligationem esse ex justitia. Unde sequitur quoscumque pastores prudenti sollicitudine semper invigilare teneri in subditos, mores eorum requirere, eos delinquentes corrigere, vacillantes sustinere, et prospicere ut omnes obligationibus suis satisfaciant, semper in mente habentes se strictam de illorum salute reddituros esse rationem.

P. III. — *De parochorum vicariis.*

Vicarii generatim ii sunt qui constituuntur ut aliorum vices gerant. Parochorum vicarii duplicis sunt generis, perpetui scilicet et temporanei.

Vicarius perpetuus ille est qui canonice instituitur ad quamdam regendam ecclesiam loco principalis rectoris absentis. Sciendum est olim multas ecclesias parochiales unitas fuisse monasteriis, capitulis, collegiis, etc. Ab hujusmodi piis cœtibus constitui solebant vicarii temporarii ad nutum amovibiles, qui curam animarum in parochiis sic unitis exercerent, ut notat Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 12, cap. 1, n. 2. Cum hujusmodi vicarii frequenter et quandoque sine causa, cum animarum detrimento, amoverentur, statutum est ut semel canonice instituti, vere essent beneficiati et perpetui, atque soli actualem curam animarum in parochia haberent, ita ut rector principalis vel prælatus sacramenta ibi, invito vicario, administrare non potuisset; *Ferraris*, v° *Vic. paroch.*, n. 30. Congrua redituum portio eis ab episcopo assignabatur; ideo dicti sunt parochi *ad congruam portionem.*

Hujus generis vicarii apud nos non amplius existunt, sed tantum vicarii temporales a solo episcopo constituendi et ad nutum ejus revocandi. Alii deserviunt ecclesiis vulgo dictis *annexes*, et alii multo plures apud ipsos collocantur parochos, ad eos adjuvandos aut supplendos generatim in omnibus pastoralis muneris officiis.

Ex iis quæ de parochis diximus pleræque vicariorum

obligationes facile intelligi possunt : in multis enim eædem cum quadam proportione incumbunt obligationes et parochis et eorum vices gerentibus. Quoad jura vero in paucioribus cum parochis participant.

Delegatam tantum, juxta omnes, habent jurisdictionem, quia non exercent officium cui, ex jure, annexa sit potestas subditos regendi. Unde seclusa speciali concessione, nullum hujus jurisdictionis actum exercere possunt extra territorium sibi assignatum, etiam quoad ordinarios suos pœnitentes. Nec pariter valide, renitente parocho, assistere possent matrimonio, nisi aliter ab episcopo statutum fuisset.

Cum autem delegati sint ad universalitatem causarum, ad particularia, inter limites parochiæ exercenda, subdelegare possunt.

Presbyteri habituati non sunt deputati, sicut vicarii, ad repræsentandum aut supplendum parochum. Caveant igitur ne alia sibi attribuant munera, præter ea quæ illis ab episcopo vel a parocho specialiter committuntur.

Sectio quarta. — De aliis ad hierarchiam jurisdictionis pertinentibus.

De summo Pontifice in præsenti capite tacemus, quia de eo, ejusque prærogativis ac juribus in Tractatu *de Ecclesia* et alibi passim multa diximus.

P. I. — *Cardinales.*

In antiquissimis Ecclesiæ sæculis, non solus Romanus pontifex, sed et alii episcopi presbyterorum et diaconorum habebant senatum, quo in regenda sua ecclesia utebantur : hic senatus vocabatur etiam presbyterium.

Qui uni ecclesiæ modo permanenti erant addicti, sive *incardinati*, dicebantur cardinales, per oppositionem ad alios qui fixum titulum non habebant. Cum Ecclesia Romana sit caput omnium aliarum ecclesiarum, ipsius presbyterium eminentissimum semper tenuit locum, ipsius membra diversos possidebant titulos a S. Evaristo in variis Urbis regionibus distributos, et ideo vocabantur

cardinales : quod nomen ab aliis ecclesiis sensim derelictum, soli Romanæ Ecclesiæ senatui seu presbyterio fuit proprium. *Ferraris*, v° *Card.*, art. 1, n. 1-8.; *Devoti*, tit. 1, n. 188 et seq.

Diaconis et presbyteris viciniores adjuncti sunt episcopi, scilicet Ostiensis, Portuensis, Albanus, Sabinus, Tusculanus et Prænestinus, qui munus episcopale retinentes, Romano pontifici opem ferebant in regimine Ecclesiæ. Triplicis igitur ordinis sunt cardinales, videlicet episcopi, presbyteri et diaconi.

Numerus eorum varius fuit, pro diversitate temporum et voluntate Pontificum. Verum Sixtus V, anno 1587, septuaginta titulos cardinalitios determinavit, sex episcoporum, quinquaginta presbyterorum et quatuordecim diaconorum, et prohibuit ne in posterum alii crearentur tituli, aut numerus cardinalium quovis prætextu augeretur. Huic dispositioni non fuit derogatum, sed titulus presbyteralis vel diaconalis sæpe datur episcopo.

Cardinales, etiam non episcopi, episcopalem habent jurisdictionem in ecclesiis sibi subjectis.

In varias distribuuntur congregationes pro negotiis Ecclesiæ tractandis, gerendis, vel definiendis : si omnes sub præsidentia summi Pontificis coadunentur, hic cœtus dicitur consistorium. Speciales congregationes sunt *S. Officii* et *Inquisitionis*, pro sana Ecclesiæ doctrina conservanda; *Indicis*, quæ est quasi vicaria præcedentis, et ad examinandos atque judicandos libros constituta ; *Concilii Tridentini interpretum*, pro dicti concilii intelligentia et exsecutione ; *de Propaganda fide* pro infidelium, hæreticorum et schismaticorum conversione ; *Correctionis librorum Orientalium ; Sacrorum Rituum ; Indulgentiarum et sacrarum Reliquiarum ; Episcoporum et regularium*, etc. Vide *Fagnan*, *Van-Espen*, *de Héricourt*, etc.

In Constit. Sixti V, diei 26 januarii 1587, quindecim instituuntur cardinalium congregationes, quibus variæ conceduntur facultates et jurisdictiones, juxta naturam causarum et negotiorum ipsis commissorum. Aliquando simplices emittunt responsiones ; quandoque condunt de-

creta quæ majoris sunt ponderis ; si ex consensu summi Pontificis edantur, vel approbatione ejus postea muniantur, adhuc majorem vim habent. Cum litteræ Apostolicæ quibus harum congregationum jurisdictio instituta vel aucta est apud nos publicatæ vel usu receptæ non fuerint, auctoritas earum non agnoscitur, nisi inquantum illarum decreta summi Pontificis approbatione muniuntur et in forma consueta promulgantur. Multi tamen æstimantur ponderis in elucidandis dubiis, in interpretandis legibus et in vero traditionum sensu assignando. Videantur ea quæ infra dicturi sumus in Tractatu *de Legibus*, part. 2, cap. 2, art. 5, ubi de promulgatione legum ecclesiasticarum.

Principalis cardinalium functio est Romanum pontificem eligere : ex concilio Lugdunensi II, cardinales in civitate ubi Pontifex moritur præsentes, decem diebus absentes exspectare tenentur ; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, omnes in eadem æde convenire, electioni novi Pontificis incumbere, et ita secum manere debent, donec electio, ad quam duæ voces ex tribus necessariæ sunt, completa fuerit : ideo hæc congregatio dicta est *Conclave*. Qui majoritatem duarum partium ex tribus obtinuit, eo ipso legitimus est Romanus pontifex et S. Petri successor, modo electioni suæ consentiat, nec ulla confirmatione indiget quia superiorem non agnoscit.

Cardinales ea non semper habuerunt insignia quibus nunc velut principes Ecclesiæ decorantur : Innocentius IV *galerum rubrum* cardinalibus e clero sæculari concessit, circa annum 1244 ; Paulus II, anno 1471 vita functus, *biretam coccineam* eisdem solemni decreto reservavit, et dedit pannum rubri coloris quo equitantes equos sternerent, aliaque insignia quæ cardinalibus ex clero sæculari assumptis propria erant ; Gregorius XIV *rubrum pileum* etiam regularibus, an. 1590, concessit ; Urbanus VIII, anno 1630, statuit ut omnes, ratione dignitatis, deinceps non tantum vocarentur *Illustrissimi*, ut antea, sed *Eminentissimi*, et diceretur, *Eminentiæ vestræ*. Vide *Devoti*, t. 1, p. 193.

P. II. — *Legati.*

Legati, sic dicti quia leguntur seu eliguntur ut mittantur, sunt quasi vicarii papæ, ab eo missi, ut ipsius auctoritatem in aliquo loco nomine ejus exerceant. Eorum existentia antiquissima est in Ecclesia : tres legati concilio Nicæno I nomine S. Sylvestri papæ præfuerunt.

Triplicis sunt generis, nempe 1° *legati a latere,* sic appellati, quia e sacro collegio et quasi ex latere summi Pontificis extrahuntur. Sæpe vocantur simpliciter *legati.* 2° *Legati missi*, vel aliter *nuntii apostolici*, sunt prælati non cardinales, qui ad principes pro obeundo apud ipsos ordinariæ legationis munere mittuntur : olim dicebantur *apocrisiarii*, id est secretarii. Qui modo provisorio tantum munus legati exercent, dicuntur *internuntii ;* si ad negotia minoris momenti mittuntur, dicuntur *ablegati.* 3° *Legati nati,* ii sunt qui possident titulum cui annexa est legati dignitas; quales olim erant archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, Remensis in Gallia, Toletanus in Hispania, Bracarensis in Lusitania, Salisburgensis in Germania, Pisanus in Italia.

P. III. — *Patriarchæ.*

Patriarchæ, id est patrum seu episcoporum superiores, ii intelliguntur episcopi qui ratione sedis suæ aliquam habent jurisdictionem in plures ecclesiasticas provincias, etiam per varias regiones diffusas. In concilio Nicæno I, can. 6, statuitur ut *antiqui mores serventur,* et tunc designantur jura patriarchica ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ et Antiochenæ, ut erudite probat *Devoti,* t. I. Ergo jura illa jam erant antiqua. Tribus his patriarchis additi sunt postea episcopus Constantinopolitanus et episcopus Hierosolymitanus. De quatuor patriarchis Orientalibus late agit P. *Le Quien* in doctissimo opere dicto : *Oriens Christianus.* Reliquæ catholicæ regiones Romano pontifici, tanquam Occidentis patriarchæ, subjiciuntur. Jura patriarcharum Orientalium de facto non existunt, et tamen summus Pontifex titulares

patriarchas creat, qui Romæ commorantur, ne memoria tam illustrium ecclesiarum pereat : sic et alii creantur episcopi et archiepiscopi cum titulis *in partibus infidelium,* id est antiquarum ecclesiarum nunc ab infidelibus oppressarum.

Alii sunt patriarchæ minoris dignitatis in media ætate creati, in patriarchatu Occidentali, seu in ecclesia Latina, ut patriarcha Venetus, patriarcha Indiarum, patriarcha Ulyssiponensis, qui quamdam habuerunt auctoritatem in metropolitas et episcopos talis regionis vel talis regni, et in conciliis immediate post majores patriarchas sedent.

P. IV. — *Primates.*

Post minores patriarchas veniunt primates, qui omnibus provinciis alicujus regionis vel regni præsunt, et jus anteferendæ crucis per totum primatum habent, non tamen in præsentia papæ vel *legati* ejus *a latere :* appellationem a metropolitis olim suscipiebant.

P. V. — *Metropolitæ.*

Metropolis, a vocibus græcis μήτηρ, *mater,* et πόλις, *urbs,* significat urbem principalem : episcopus hujusmodi civitatis dictus est metropolita, et deinde, quia jurisdictionem in episcopos suæ provinciæ habebat, vocatus est archiepiscopus. Metropolita igitur unius provinciæ tantum præest episcopis qui ipsius suffraganei vocantur. Jus habet celebrandi et crucem per totam provinciam in signum jurisdictionis deferendi, populum per vias benedicendi, appellationes suscipiendi et judicandi, synodum provincialem convocandi et in ea præsidendi, vicarium capitularem nominandi, si capitulum intra octo dies ab obitu episcopi non nominaverit. Causæ tamen criminales episcoporum reservantur, majores ad summum Pontificem, et minores ad concilium provinciale. Ex antiqua Galliarum disciplina, causæ etiam majores ad summum Pontificem non deferebantur, quin prius in synodo provinciali judicatæ fuerint. (*Mémoires du Clergé,* t. II, p. 354 ; *Bossuet, Défense,* etc.)

Certum est metropolitas ante Concilium Nicænum I exstitisse, cum de provinciis ecclesiasticis in can. 5 et 6 agatur : plures non improbabiliter contendunt hujusmodi institutionem ad ipsos Apostolos ascendere; et revera B. Paulus Timotheum et Titum constituisse videtur metropolitas, unum totius Asiæ, et alterum insulæ Cretæ.

P. VI. — *Pallium.*

Omnes patriarchæ, primates et metropolitæ habent pallium quo a simplicibus episcopis distinguuntur. Pallium autem est *fascia lanea candida, tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus et humeros impendentes cum sex sericis nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur et alligatur; Devoti*, t. 1. Antiquissimus est pallii usus, et forte ab ipsa provinciarum ecclesiasticarum divisione repetendus est, vel a tempore quo presbyteri a diaconis, episcopi a presbyteris, suis ornamentis distingui cœperunt, quia probabile est speciale ornamentum archiepiscopis solemniter celebrantibus etiam fuisse concessum.

Pontifex Romanus, propter universalem suam jurisdictionem, ubique et semper utitur pallio : alii vero non nisi certis diebus, dum pontificalia conficiunt, et intra limites suæ jurisdictionis.

Archiepiscopus electus, confirmatus et consecratus, nulla metropolitica munera obire potest, quin prius petierit et obtinuerit pallium, auctoritatis metropolitæ signum : illud alteri dare aut commodare non potest; cum eo sepeliendus est, et, si sedem mutet, aliud impetrare tenetur; Decretal. l. 1, tit. 8.

Episcopi quarumdam sedium, speciali Sedis Apostolicæ privilegio, decorantur pallio, quales sunt in Gallia episcopus Augustodunensis et episcopus Aniciensis.

Singulis annis duo agni candidi offerri solent die festo Sanctæ Agnetis virginis, 21 januarii; in ejus templo extra muros Urbis benedicuntur cum in Missa *Agnus Dei* can-

tatur, subdiaconis apostolicis traduntur, in aliquo sanctimonialium monasterio nutriuntur, donec suo tempore tondeantur; ex eorum lana cum alia commixta et in filum deducta conficiuntur pallia : benedicuntur in basilica Vaticana pervigilio SS. Apostolorum Petri et Pauli, post vesperas solemniter decantatas, et super altare ubi conditum est corpus B. Petri deponuntur, et inde sumpta ad patriarchas et metropolitas mittuntur, ut ipsorum auctoritatem a B. Petro fluere noscatur; itaque solius est papæ B. Petri successoris pallium concedere. Vide Const. Bened. XIV, *Rerum ecclesiasticarum*, 10 julii 1748, et *l'Ami de la Religion du* 1er *mars* 1850.

P. VII. — *Vicarii apostolici.*

Summi Pontifices olim suos quandoque constituebant delegatos in regno vel in provincia, ad gerenda vel terminanda graviora negotia, quæ ad judicium Sedis Apostolicæ pertinent, et hi vicarii papæ aut vicarii apostolici dicebantur. Nunc sancta Sedes vicarios apostolicos, cum episcopali jurisdictione delegata, constituere solet, ubi metus est ne ecclesia diutius pastore suo careat, v. g., propter persecutionem, turbas aut dissidia, vel si episcopus titularis ob senium aut aliam causam munus suum explere nequeat, aut a sedis suæ administratione removeatur, vel in regionibus ubi titulares non sunt antistites; sic vicarii sunt apostolici in Batavia, in Scotia, in pluribus Indiæ missionibus, etc. Alii consecrati sunt episcopi cum titulo *in partibus infidelium,* et alii simplices remanent sacerdotes, ut in coloniis nostris, et dicuntur *præfecti apostolici*. Respectiva eorum potestas ex Litteris Apostolicis, quibus officium suum acceperunt, noscenda est.

P. VIII. — *Coadjutores, suffraganei et administratores.*

Coadjutor, a coadjuvando sic dictus, sicut tutor a tuendo, ille est qui, ex juris dispositione vel judicis auctoritate, ad titularem ecclesiæ adjuvandum vel supplendum constituitur. Alius est ad tempus et revocabilis, et

alius in perpetuum cum futura successione : hic solus apud nos vulgo dicitur coadjutor, et est episcopus sub titulo *in partibus infidelium* consecratus, ad adjuvandum episcopum aliquem senio, morbo aliave causa impeditum, cui de jure, sine nova provisione, successurus est. Alter vero consecratur etiam cum titulo *in partibus infidelium*, et datur episcopo titulari ad eum in munere episcopali adjuvandum, absque futura successione, et suffraganeus vocatur. Per mortem titularis omnem amittit auctoritatem.

Administrator ille est qui, cum titulo *in partibus infidelium*, regimini alicujus diœcesis auctoritate apostolica committitur, propter titularis absentiam, qualis nuper fuit in Gallia archiepiscopus Amasiensis, ecclesiam Lugdunensem administrans. Auctoritas ejus ipso reditu titularis absentis penitus cessat. *Ferraris*, art. *Coadjutor*, n. 22.

Alii sunt episcopi simpliciter titulares *in partibus infidelium*, qui nullius sunt coadjutores nec suffraganei, et nullam igitur habent jurisdictionem : episcopi titulares eos propria auctoritate in sui adjutorium vocare possunt, v. g., ad confirmandum, ad Ordines conferendos, ad munia vicarii generalis explenda.

P. IX. — *Chorepiscopi.*

Chorepiscopus, idem significans ac episcopus ruris, a verbo græco χωρά, *rus*, vices episcopi in aliqua diœcesis parte gerebat; sicut episcopi senes, infirmi aut alia causa impediti, coadjutores vel suffraganeos habere poterant, ita qui nimis diffusis præsidebant diœcesibus, chorepiscopos, laborum suorum cooperatores, in pagis et in oppidis a civitate episcopali longe dissitis habebant, qui plures curabant ecclesias, eas lustrabant, litteras pacificas vel dimissorias clericis in aliam diœcesim abeuntibus dabant, minores Ordines conferebant. Quidam ex eis charactere episcopali insigniti erant, et tunc etiam majores conferebant Ordines, sicut hodie coadjutores et suffraganei.

Quoniam vero chorepiscopi intra limites jurisdictionis suæ difficile se continebant, et jura episcoporum sæpe invadebant, *tam ob hac sacra Sede, quam a totius orbis fuerunt episcopis prohibiti*, inquit S. Damasus papa, 1a parte Decreti, dist. 18, can. 15, relatus, et anno 384 defunctus. Diu tamen adhuc perseveraverunt, et a Leone III pontifice sublati sunt initio noni sæculi; sed etiam post hanc ætatem mentio chorepiscoporum occurrit. Vid. *Ferraris*, vº *Chorepiscopus; Thomassin*, etc.

P. X. — *Prælati inferiores.*

Prælati, a voce *præfero* sic dicti, ii intelliguntur qui præ aliis sunt elati, et, juxta rem, ii sunt generatim qui cum honore et jurisdictione præficiuntur. Alii sunt regulares et alii sæculares. Non tantum nominativam habent potestatem in subditos, sicut pater in filios, sed spiritualem, quasi episcopalem et ordinariam, ut eos plene dirigere ac gubernare possint : tales sunt generales pro toto ordine, provinciales pro sua provincia, et superiores locales pro respectivis domibus sibi commissis, ut abbates locales, priores, rectores, guardiani, etc. Quidam generales et abbates usum pontificalium habent, et alii non habent : omnium potestas oritur vel ex privilegiis summorum Pontificum, vel ex præscriptione memoriam hominum superante.

Alii sunt a jurisdictione episcopi localis exempti, virtute privilegii Sedis Apostolicæ, et alii ei subjiciuntur. Qui de hujusmodi prælatis plura scire cupierit consulat *Van-Espen*, qui caute admodum legendus est, *Thomassin*, *Ferraris*, etc.

Prælati sæculares sunt superiores, sive generales, sive speciales, congregationum sæcularium, id est, virorum vel mulierum, qui solemnibus votis non devinciuntur, quales sunt presbyteri Missionis, vulgo *Lazaristes*, presbyteri, S. Sulpitii, sorores Charitatis, sorores Sapientiæ, etc., et similiter ii quos Papa vel episcopus diœcesanus constituit superiores sanctimonialium alicujus ordinis, vel talis monasterii : hi quippe omnes quasi episco-

palem habent jurisdictionem in subditos vel in subditas. Caveant tamen ne limites suæ auctoritatis in litteris Papæ vel episcopi expressos aut usu determinatos, excedant. S. Congr. Conc. respondit, die 29 januarii 1692, sufficere quod capellanus monialium a superiore monasterii approbetur; sed, ex Constitutionibus Apostolicis Gregorii XV et Bened. XIII, necessaria semper est approbatio episcopi ad confessiones monialium valide audiendas, etiamsi de monialibus exemptis agatur. Vide S. Lig. l. 6, n. 977.

Romæ plurimi viri ecclesiastici, nomine ac dignitate prælatorum decorati, variis negotiis spiritualibus aut temporalibus gerendis adhiberi solent; titulo honorifico insigniuntur, quasi medium inter episcopos et simplices presbyteros constituunt ordinem, sed nullos habent subditos.

FINIS TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO.

Sanctus Augustinus aiebat, de Adulterinis conjugiis, l. 1, cap. 25, *quæstionem de conjugiis obscurissimam et implicatissimam esse,* nec profiteri audebat *se omnes sinus ejus explicuisse vel explicare posse.*

Id omni tempore verum fuit, sed multo magis ex quo novæ leges aliæque circumstantiæ novas induxerunt difficultates solutu sæpe arduas, quæ tamen frequenter occurrunt in praxi.

Nihil in hoc Tractatu, junioribus theologiæ candidatis præparato, dicere voluimus de nonnullis quæstionibus ad Matrimonium pertinentibus, quæ absque necessitate palam fieri non debent. Convenientius eas, et quidquid ad sextum Decalogi præceptum attinet, tractavimus in libro separato jam undecies impresso, et solis presbyteris ac diaconibus destinato.

Matrimonium sic dictum, quasi *matris munium,* quia in hac societate præcipuæ partes ad matrem pertinere videntur, diversis aliis nominibus appellatur, scilicet, 1° *conjugium,* a communi jugo quo vir et mulier subjiciuntur; 2° *nuptiæ* vel *connubium,* a verbo nubere, quia sponsæ olim velabantur, cum viris traderentur; 3° *consortium,* quia vir et mulier communem habent sortem; 4° *stephanismos,* seu coronatio, quia in ecclesia Orientali sæpe sacerdos coronam nubentibus imponebat, quædam verba sacramentalia proferendo.

Matrimonium sub triplici respectu considerari potest, nempe ut officium naturæ, ut sacramentum et ut pactum sociale.

Ut officium naturæ, est contractus naturalis et definiri potest : *Legitima unio, qua vir et mulier sibi mutuo tradunt dominium in corpora, in ordine ad prolis generationem.*

Dicitur 1° *legitima,* id est, legibus tum naturalibus, tum positivis consentanea. 2° *Unio,* id est, vinculum ex utraque parte obligans. 3° *Qua vir et mulier,* quia de essentia est hujus contractus ut sint personæ diversi sexus. 4° *Sibi mutuo tradunt dominium in corpora,* etc. : quæ verba essentiam et finem matrimonii exprimunt. Veritas hujus definitionis ex dicendis in toto Tractatus decursu patebit.

Matrimonium, quatenus est sacramentum, definitur : *Sacramentum novæ Legis, quo legitima viri et mulieris conjunctio per gratiam sanctificatur ad habendam prolem, eamque pie in fide Christiana educandam.*

Ut pactum sociale, est contractus ecclesiasticus vel civilis : ecclesiasticus quidem, si consideretur quatenus legibus Ecclesiæ conformis est, et civilis, si conditionibus lege civili præscriptis induatur.

Alius est contractus civilis, qui improprie dicitur contractus matrimonii, quo scilicet effectus civiles ut bona conjugum, tum præsentia, tum futura, et conditio liberorum regulantur : fieri potest ut matrimonium sit validum in se et nullum quoad effectus civiles, aut vice versa, *ut ex dicendis patebit.*

His notionibus præmissis, præsentem Tractatum in novem capita dividemus. Primum erit de natura et essentia matrimonii ; secundum, de proprietatibus matrimonii : tertium, de sponsalibus ; quartum, de bannorum proclamatione ; quintum, de consensu contrahentium ; sextum, de impedimentis matrimonii ; septimum, de consensu parentum ; octavum, de præsentia parochi et testium ; nonum, de revalidatione matrimonii nulliter contracti.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA MATRIMONII.

Naturam matrimonii, prout effectus civiles determinat, hic non investigabimus, quia talis disquisitio longius nos protraheret, et aliunde ad legis peritos potius quam ad theologos pertinet. De matrimonio igitur, quatenus est contractus naturalis et sacramentum, in duplici articulo dicturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA MATRIMONII QUATENUS EST CONTRACTUS NATURALIS.

Duæ hic instituuntur quæstiones quæ habent pro objecto matrimonii essentiam et necessitatem, quibus tertia addetur de cælibatu et virginitate.

§ I. — De matrimonii essentia in ratione contractus naturalis.

Matrimonium, ex superius notatis, considerari potest in ordine ad naturam, in ordine ad societatem, et in ordine ad Ecclesiam. In ordine ad naturam, seu quatenus est officium naturæ et ad perpetuitatem speciei tendit, dicitur contractus naturalis; fundatur enim in natura, et ad ordinem supernaturalem minime spectat : spectatum relative ad societatem, vocatur civilis, quia fit inter cives, et statutum legalem sponsorum ac prolis ab eis suscipiendæ ordinat. Si vero consideretur in ordine ad bonum Ecclesiæ, est materia sacramenti, et dici potest contractus religiosus vel ecclesiasticus.

Tres tamen non sunt contractus distincti, sed unus et idem contractus sub triplici respectu spectatus : supponimus nihilominus, per quamdam fictionem, eum esse

triplicem, ut, data occasione, clarius de illo sub unoquoque respectu tractare valeamus.

Fieri potest contractum matrimonii esse naturalem et non ecclesiasticum, v. g., apud infideles; vel naturalem et non civilem, si nempe lex eum nec prohibeat nec agnoscat. Contra vero accidere potest cum civiliter tantum esse validum, videlicet si lex habeat ut validum matrimonium nulliter contractum, v. g., ob aliquod impedimentum canonicum.

Nunc igitur quærendum est in quo essentia matrimonii præcise consistat : in hoc autem omnes sibi non consentiunt. Nonnulli Pelagiani opinati sunt illius essentiam in actu carnali, seu in corporum conjunctione reponendam esse; alii dicunt copulam de essentia matrimonii non esse, sed tantum partem illius integrantem, sicuti est satisfactio respectu sacramenti Pœnitentiæ. Quidam volunt essentiam hujus contractus in consensu partium exterius manifestato sitam esse; alii vero eam reponunt in vinculo quo sponsi, consensu dato et acceptato, inter se perpetuo junguntur. Varias opiniones illas seorsim discutere nolentes, sequentem duntaxat stabiliemus propositionem.

PROPOSITIO.

Essentia Matrimonii, quatenus est contractus, non consistit in usu, seu in copula carnali.

Prob. Ad hoc sufficit ut verum existere possit matrimonium absque copula carnali : atqui plures rationes demonstrant verum existere posse matrimonium absque copula carnali, nempe 1° exemplum Beatæ Mariæ Virginis; certum est enim et fide constat, ut in Tractatu *de Incarnatione* probatur, B. Mariam mansisse virginem ante et post partum : attamen inter eam et beatum Joseph verum existebat matrimonium, siquidem Joseph dicitur vir Mariæ et pater Christi; Maria vero vocatur *uxor* ejus et *conjux*, ut apud Matth. I, 16, 20 et 24; aliunde, ita generaliter judicant theologi, inter quos Benedictus XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 22, n. 11

2° SS. Patres, ut S. Chrysost. vel auctor Operis imperfecti in S. Matth. : *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

S. Ambros., lib. de Institutione virginis, cap. 6 : *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.*

3° *Ratio.* Usus namque non facit jus, sed illud supponit : unde essentia emptionis non consistit in usu rei emptæ, sed ideo re empta uti licet, quia jam existit jus ea utendi. Sic in matrimonio, vir et mulier non sunt conjuges quia convenerunt, sed convenire possunt quia sunt conjuges : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Conjuges debent esse *duo in carne una,* Gen. II, 24 : atqui non sunt duo in carne una, nisi per actum conjugalem : ergo.

R. Dist. maj. Debent esse duo in carne una eo sensu quod jus ad talem conjunctionem habeant, *conc.*; secus, *neg. maj.* Manifestum est enim nihil ultra ex his verbis erui posse.

Obj. 2°. Beata Maria non dicitur in Evangelio nupta, sed tantum *sponsa* et *desponsata* : ergo inter eam et beatum Joseph verum non exstitit matrimonium.

R. Nego conseq. Etenim prædictæ voces communes sunt conjugatis et promissis ad conjugium, ut in usu quotidiano apud nos etiam videtur ; sensus earum per circumstantias determinatur : porro variæ circumstantiæ ostendunt voces *sponsa* et *desponsata*, Mariæ applicatas, veram uxorem designasse ; dicitur enim Matth. I, 18 : *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto :* igitur convenire poterant ; non tamen convenire potuissent, si conjugati non fuissent. In eodem capite, ℣ 20, Angelus admonet Joseph in somno, dicens : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ;* ℣ 24 : *Et accepit conjugem suam.* Luc. II, 5, legitur Joseph ascendisse Nazareth, *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Hic

Maria vocatur simul desponsata et uxor. Aliunde, nisi Maria et Joseph juxta ritum apud Judæos usitatum conjugati fuissent, Christus habitus fuisset ut spurius; verumtamen *putabatur filius Joseph,* Luc. III, 23. Ergo.

Obj. 3°. Maria votum perpetuæ castitatis emiserat, ut patet his verbis ejus ad Angelum respondentis, Luc. I, 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* at, emisso tali voto, incredibile est eam verum matrimonium iniisse. Ergo.

R. Nego min. Hoc enim minime incredibile est, si, non obstante voto, matrimonium valide, licite et convenienter inire potuerit : atqui, non obstante voto, matrimonium valide, etc. Ergo.

1° *Valide.* Probavimus enim actum conjugalem de essentia matrimonii non esse; ad validitatem igitur contractus sufficit ut vir et mulier jus sibi invicem conferant ad actum : porro votum perpetuæ castitatis non impedit quin persona jus in se ad alterum valide conferat, *ut infra dicemus,* ostendendo votum per se matrimonium non dirimere. Ergo.

2° *Licite.* Nempe si sponsum monuerit de voto, et pactum cum illo inierit nunquam ad actum deveniendi, secluso aliunde probabili periculo in peccatum labendi. *Ita communiter theologi contra paucos*, qui contendunt tale matrimonium esse invalidum, inter quos S. Thom. 2 2, quæst. 29, art. 2.

3° *Convenienter,* tum ut in persona sponsi adjutorem sibi necessarium haberet, tum ad conservandum honorem suum, tum ad occultandam et deinde probandam virginitatem suam, tum ad impediendum ne Christus haberetur ut illegitimus. Ergo.

Quæritur an jus radicale ad copulam sit de essentia matrimonii.

R. Nonnulli theologi id negarunt, dicentes dari posse matrimonium in quo sponsi sibi conferrent tantum jus exigendi quæ ad felicitatem et tutelam vitæ pertinent : cæteri vero partem affirmantem tenent, et his præsertim nituntur rationibus : 1° communi sensu hominum, qui

talem societatem nunquam agnoscunt ut conjugalem; 2° absurdis inde sequentibus; sequeretur enim 1° verum matrimonium existere posse inter fratrem et sororem; 2° conjuges copulam exercere non posse absque fornicatione, et ad alios accedere valere sine adulterio : hæc autem repugnant : ergo.

Probabilius autem nobis videtur essentiam matrimonii considerati *in fieri*, reponendam esse in legitimo partium consensu exterius sufficienter manifestato; spectato vero *in esse*, seu prout est status, nihil aliud esse quam vinculum ex tali consensu proveniens et perseverans.

§ II. — De obligatione Matrimonii.

Obligatio supponit legem : quærendum est igitur an existat lex aliqua quæ matrimonium omnibus individuis præcipiat; lex autem ista foret vel naturalis, vel divina positiva, in Veteri aut in Novo Testamento expressa : at nihil horum dici potest.

1° *Non lex naturalis.* Si enim lex naturalis matrimonium omnibus præciperet, vel quia omnes propagationi generis humani incumbere tenerentur, vel quia continentiam servare non possent : atqui neutrum dici potest; non prius, alioquin omnes statim post adeptam pubertatem, vel post mortem sui conjugis, nubere tenerentur, quod certe admitti nequit; non posterius, ut multorum experientia constat : ergo.

Diximus *omnibus individuis;* quia certum est 1° legem naturalem præcipere matrimonium respectu communitatis, siquidem, ex institutione Creatoris, hac via tantum genus humanum multiplicari potest. Unde si matrimonia sponte non contraherentur in numero ad propagationem speciei sufficienti, qui curam habent societatis, matrimonium jubere, et aliqua via determinare tenerentur quinam illius onera sustinere deberent, sicut juvenes per sortem ad militiam vocantur : quælibet enim societas propriæ conservationi invigilare debet. 2° Nonnulli ita sunt constituti ut matrimonium ipsis fiat de præcepto naturali, v. g., princeps vel principissa, si bonum pu-

blicum, pax regni aut Ecclesiæ postulant ut prolem habeat, et ii qui ratione habituum vel tentationum castitatem servare nequeunt, nisi ope mediorum extraordinariorum, quæ tamen adhibere nolunt; de his Apostolus dicit, I Cor. VII, 9 : *Melius est nubere quam uri.*

Hinc concludendum est matrimonium naturæ hominum esse consentaneum et plerosque ad illud vocari : quidam tamen cælibatum eligere possunt, sicut aliqui vitam solitariam merito ducunt, quamvis vita socialis naturali propensioni et indoli hominum in genere magis consentiat.

2° *Non lex divina vetus,* Communiter æstimant theologi Deum præcepisse matrimonium singulis hominibus in initio rerum, quod probant sequentibus momentis : 1° quia incredibile est Adamum et Evam nupsisse sine præcepto Dei; 2° quia Deus eis expresse mandavit ut crescerent et multiplicarentur; 3° quia aliter genus humanum propagari non potuisset. Ergo.

Hoc autem præceptum cessare debuit statim atque genus humanum sat numerosum fuit, ut vocationes communes ad propagationem sufficerent.

Volunt tamen Protestantes præceptum istud apud veterem populum semper exstitisse, vi istorum Gen. verborum : *Crescite et multiplicamini,* et quia legitur in Exod. XXIII, 26 : *Non erit* (femina) *infecunda, nec sterilis in terra :* at his verbis promittitur fecunditas et benedictio nuptiis, nihil vero ostendit ibi adesse præceptum universale nubendi; unde Elias, Eliseus, Joannes Baptista, etc., non erant conjugati.

Dicunt adhuc Protestantes matrimonium esse præceptum, vel saltem commendatum in nova lege, his Apostoli verbis, I Cor. VII, 2 : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* Sed ibi agitur de uxore jam ducta, ut patet ex contextu, non de uxore ducenda; et aliunde Apostolus valde commendat virginitatem in eodem capite. Ergo.

§ III. — De cælibatu et virginitate.

In quarto sæculo Jovinianus, primo monachus, deinde cunctis voluptatibus turpiter deditus, contendit cælibatum et virginitatem matrimonio non præcellere. Lutherus hunc errorem renovavit, et factum dictis jungens, monialem seduxit ac in uxorem habuit, licet monachus et sacerdos. Eumdem errorem nunc tenent Protestantes.

PROPOSITIO.

Status cœlibatus et virginitatis pro Deo electus matrimonio præstat.

Propositio est de fide, ut pote definita in conc. Trid., sess. 24, can. 10 : « Si quis dixerit statum conjugalem » anteponendum esse statui virginitatis et cælibatus, et » non esse melius ac beatius manere in virginitate aut » cælibatu quam jungi matrimonio; anathema sit. »

Prob. Ille status matrimonio longe præstat, cujus excellentiam commendant Christus, Apostoli, SS. Patres et ratio : atqui Christus, Apostoli, SS. Patres et ratio excellentiam cælibatus et virginitatis commendant.

1° *Christus,* Matth. XIX, 10 : *Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est :* ergo cælibatus est donum Dei speciale. In versu sequenti, Christus exhibet cælibatum, sub allegoria eunuchorum, ut viam ad regnum cœlorum perveniendi tutiorem. Verbis exempla addidit, voluit enim nasci ex virgine, mansit virgo, discipulum virginem præ aliis dilexit, etc. Ergo 1°.

2° *Commendant Apostoli.* B. Paulus, I Cor. VII, 38 : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.*

3° *Commendant SS. Patres.* Multi namque de excellentia virginitatis expresse tractarunt, ut S. Aug. et S. Hieronymus adversus Jovinian. Tertull., lib. I ad Uxorem, c. 4, de virginibus loquens, dicit : « Sic æternum sibi

» bonum donum Domini occupaverunt, ac jam in terris » non nubendo, de familia angelica deputantur. » Sanctus Cypr., de Habitu virginum, eas sic describit : « Flos » est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamen- » tum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris » opus integrum atque incorruptum, Dei imago respon- » dens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis » Christi, etc. » Ergo.

4° *Commendat ratio.* 1° Statim atque Jovinianus de virginitate detraxit, papa Siricius eum damnavit, episcopi damnationi ejus subscripserunt, et sancti doctores adversus illum insurrexerunt. 2° Virgines in singulari honore semper habitæ sunt, etiam apud gentes idololatriæ deditas, hinc poetæ finxerunt deos virgines assumpsisse; hinc sacræ vestales, etc. Ergo.

Diximus 1° *status virginitatis aut cælibatus;* hic enim non agitur de actu transitorio, nec de comparatione virginitatis cum gratia sacramentali quam matrimonium producit ex opere operato apud christianos, sed de statu permanente : constat igitur facilius esse salutem operari in statu cælibatus quam in statu matrimonii, quamvis matrimonium producat gratiam : hoc unum statuimus.

Diximus 2° *pro Deo electus;* certum est enim hunc statum matrimonio non præcellere, si eligatur ad liberius cupiditatibus indulgendum, ad onera matrimonii declinanda, vel propter alios fines a Deo diversos.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA MATRIMONII PROUT EST SACRAMENTUM.

Nobis inquirendum est an matrimonium sit sacramentum, quæ sit ejus gratia et quæ dispositiones ad illam suscipiendam, quis sit ejus minister, quæ materia et forma, et utrum sacramentum a contractu separari possit : quinque igitur hujus articuli erunt paragraphi.

§ I. — De existentia sacramenti Matrimonii.

Launoy, celebris doctor Parisiensis, docuit post Albertum Pighium, Catharinum, Maldonatum et quosdam alios, matrimonium semper fuisse sacramentum, in lege Mosaica et in ipsa lege naturali : his præcipue nitebatur verbis Gen. : *Crescite et multiplicamini*. Protestantes, e contra, negant matrimonium esse sacramentum, etiam in nova Lege.

Sacramentum generatim est signum rei sacræ et præsertim signum gratiæ, ut videre est in Tractatu *de Sacramentis in genere*. Aliud est pure speculativum et gratiam quam significat non producit, ideoque vocatur sacramentum improprie dictum; aliud vero est practicum, quia producit gratiam quam significat, et dicitur sacramentum proprie dictum.

Nihil vetat quin matrimonium, etiam in naturali lege, dicatur sacramentum improprie dictum : in ipsa namque institutione sua repræsentavit unionem moralem Christi cum Ecclesia per gratiam, et unionem ejus physicam cum carne humana per Incarnationem, ut ait Innocentius III, Epist. 219, lib. 3. At certum est illud non fuisse sacramentum proprie dictum in lege naturæ, nec in lege Mosaica. 1° Quia nullus profertur Scripturæ locus qui talem sententiam astruat; verba enim ista *Crescite et multiplicamini*, indicant benedictionem fecunditatis, et nihil ultra. 2° Quia concilium Trid., sess. 24, cap. prævio, sic se habet : « Cum matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ Legis sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. » Non præstaret autem gratia veteribus connubiis si sacramentum proprie dictum semper fuisset. Canon 1 ejusdem sess. definit illud sacramentum a Christo Domino fuisse institutum. Ergo. 3° Idem constat auctoritate omnium moraliter theologorum, qui, cum divo Thoma, docent matrimonium in statu innocentiæ fuisse officium naturæ, in statu naturæ corruptæ reme-

dium et in Lege nova elevatum fuisse a Christo ad dignitatem sacramenti. Ergo.

PROPOSITIO.

Matrimonium Christianorum, ritu legitimo celebratum, est sacramentum novæ Legis proprie dictum.

Illa propositio tenenda est, quæ est de fide, innuitur in Scriptura sacra, probatur traditione et argumento præscriptionis : atqui talis est propositio nostra.

Primo, est de fide. Definita enim fuit variis in conciliis generalibus; v. g., concil. Constant., sess. 15, jubet ut quilibet de « errore suspectus, hoc modo interrogetur, » utrum credat quod Christianus contemnens susceptio- » nem sacramentorum Confirmationis, Extremæ-Unctio- » nis vel solemnizationis matrimonii, peccet mortali- » ter; » matrimonium igitur annumeratur inter sacramenta proprie dicta.

Concilium Florentinum, in Decreto ad Armenos, declarat matrimonium esse unum e septem sacramentis.

Conc. Trid. sess. 24, can. 1, sic se habet : « Si quis » dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum » ex septem legis Evangelicæ sacramentis, a Christo Do- » mino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inven- » tum, neque gratiam conferre; anathema sit. » Ergo 1°.

Secundo, innuitur in Script. sacr. Epist. ad Eph. v, 32: *Sacramentum hoc magnum est, ego dico, in Christo et in Ecclesia.* Unde sic: Hæc verba probant matrimonium esse vere et proprie sacramentum novæ Legis, si de matrimonio intelligantur, et si conditiones ad constituendum sacramentum novæ Legis requisitæ inveniantur in matrimonio: atqui hæc duo certa sunt.

1° De matrimonio intelliguntur. Pronomen quippe demonstrativum *hoc*, indicat *sacramentum* referendum esse ad rem immediate præcedentem; res autem immediate præcedens est matrimonium, *ut unicuique legenti patebit :* in versu namque immediate præcedenti, B. Paulus refert verba Adami, Gen. II, 24, et Christi, Marc, x, 7 : *Propter*

hoc relinquet homo patrem et matrem suam; etc.; porro hæc verba de matrimonio intelliguntur. Præterea, vel de matrimonio intelliguntur, vel de unione Christi cum Ecclesia, ut volunt hæretici : atqui posterius dici non potest; nam tunc genuinus eorum sensus hic esset : Unio Christi cum Ecclesia est magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia : quis autem talem admittet sensum? Unde conc. Trid., sess. 24, capite prævio, hæc verba citans, dicit B. Paulum innuere ea referenda esse ad matrimonium tanquam sacramentum. Ergo 1°.

2° In matrimonio Christianorum rite celebrato repeRiuntur conditiones ad constituendum sacramentum novæ Legis requisitæ, scilicet : 1° signum sensibile, in expressione utriusque consensus; 2° promissio gratiæ, cum viri uxores suas perfecto amore diligere debeant, sicut Christus dilexit Ecclesiam; tanti enim amoris sine gratia non sunt capaces; 3° institutio Christi, quia solus Christus gratiam ritui externo annectere potest. Ergo 2°. Ita Bellarminus et aliqui post eum.

Fatendum est tamen multis theologis et Scripturæ sacræ interpretibus hanc probationem non arridere. Idcirco diximus *innuitur in Scriptura sacra*, utentes verbo conc. Trid. Ergo.

Tertio, probatur traditione. Tertull. lib. 2. ad Uxorem, cap. 9 : « Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem » ejus matrimonii quod Ecclesia conciliat, confirmat » oblatio et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater » rato habet. »

S. Aug., de Bono conjugali, l. 1, cap. 18 : « In nostra- » rum (feminarum) nuptiis plus valet sanctitas sacra- » menti quam fecunditas uteri. »

S. Ambros., Epist. 19 ad Vigilium : « Cum ipsum con- » jugium velamine sacerdotali et benedictione sanctifi- » cari oporteat, quomodo potest conjugium dici ubi non » est fidei concordia ? »

Si autem matrimonium merus esset contractus gratiam non producens, numquid de illo dici posset inenarrabilem esse ipsius felicitatem, quia ab Ecclesia conciliatur

seu benedicitur, ipsius sanctitatem fecunditati uteri præcellere, illud benedictione sacerdotali sanctificari?

Multos omittimus alios Patres et Ecclesiæ doctores qui, licet nomen sacramenti sæpe non tribuant matrimonio, ita tamen de illo loquuntur ut, supposito quod sit sacramentum, verba eorum intelligantur, dum in contraria suppositione prorsus inintelligibilia forent. Ergo.

Quarto, argumento præscriptionis demonstratur. Ecclesia Græca una cum Ecclesia Latina credit matrimonium esse novæ Legis sacramentum, ut patet 1° ex euchologiis Orientalium, in quibus describitur ritus hujus sacramenti; 2° ex synodo Constantinopoli anno 1630 celebrata, in qua lata est censura contra Cyrillum Lucarium, illius urbis patriarcham, Calvinistarum erroribus adhærentem, ex eo quod dogmatizaret ac crederet non esse septem Ecclesiæ sacramenta, id est baptisma... et matrimonium; 3° ex conc. Flor. in quo facta est unio inter Græcos et Latinos; item ex conc. Lugdunensi II, in quo similis facta est unio, et procul dubio in utraque parte septem tenebantur sacramenta inter quæ matrimonium; 4° ex eo quod nulla unquam exorta sit controversia inter Græcos et Latinos circa existentiam sacramenti matrimonii : ergo saltem initio dissensionis inter Ecclesiam Latinam et Ecclesiam Græcam existentis, proindeque ante nonum sæculum, de fide credebatur matrimonium esse verum sacramentum. Porro hæc fides ab Apostolis descendere debet; nam impossibile est, ut in Tractatu *de Ecclesia* demonstratur, ritum profanum in dogma fidei transiisse, et nullum mutationis vestigium remansisse: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sacramenta novæ Legis producunt quod significant : atqui matrimonium non producit quod significat, scilicet unionem Christi cum Ecclesia : ergo.

R. Dist. min. Non producit quod significat, sub uno respectu, *conc.;* sub altero respectu, *nego min.* Duo namque significat matrimonium; scilicet, *speculative* unionem Christi cum Ecclesia, et *practice* dilectionem inter

sponsos, seu unionem animorum per gratiam : priorem quidem non producit unionem, sed posteriorem operatur : ergo.

Inst. Si matrimonium produceret gratiam, præstaret virginitate : attamen, *ex probatis,* id falsum est : ergo.

R. Nego maj. Jam enim diximus non actum ineundi matrimonium, sed ipsum statum matrimonii statui virginitatis aut cælibatus comparandum esse : porro, licet matrimonium in actu gratiam producat, nihilominus ipsius status inferior est virginitate et cælibatu, propter rationes quas attulimus : ergo.

Obj. 2°. Magister Sententiarum, Durandus et quidam alii docuerunt matrimonium non esse sacramentum proprie dictum : ergo saltem non valet argumentum præscriptionis.

R. 1°. Quidam theologi arbitrantur verba Magistri Sententiarum et Durandi in sensu catholico intelligi posse.

R. 2°. *Nego conseq.* Cum enim Ecclesia nondum definiisset matrimonium esse sacramentum, non mirum est si pauci doctores, ad monumenta traditionis non satis attendentes, dubitaverint an illud esset sacramentum proprie dictum, vel etiam id negaverint. Omnes fatebantur illud esse sacramentum aliquo sensu, sed quærebant an gratiam produceret, nec ne; quidam negabant, alii affirmabant, sed tantum ut probabile : ita S. Thomas, qui Supplem., q. 42, art. 3, ponit matrimonium inter sacramenta, et docet ut probabilius illud producere gratiam. Ingens autem datur discrimen inter negare existentiam sacramenti et discurrere circa ipsius efficaciam : prius ad doctrinam Ecclesiæ pertinebat; posterius vero disputationibus theologorum permittebatur. Nunc autem ipsimet infantes, catechismo eruditi, sciunt omnia sacramenta novæ Legis gratiam producere ex opere operato : opinio igitur theologorum qui nobis objiciuntur, argumentum ex præscriptione deductum non infirmat.

Quæritur quandonam matrimonium ad dignitatem sacramenti fuerit elevatum.

R. Hac de re saltem quatuor sunt theologorum opinio-

nes. Alii dicunt hanc mutationem factam esse in ipso Incarnationis instanti; alii, quando Christus in Cana nuptiis adfuit; alii, cum protulit hæc verba : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* alii denique, post ejus resurrectionem. Nihil hac in re, ad praxim non pertinente, definire volumus.

§ II. — De gratia matrimonii ut sacramenti, et dispositionibus ad illam suscipiendam requisitis.

Sacramentum matrimonii non fuit institutum directe ad remittenda peccata : igitur non producit gratiam primariam ex se justificantem, nisi forte, juxta plures theologos, per accidens, nempe in eis qui bona fide falso crederent se esse justificatos, et eam haberent contritionem quæ necessaria est in sacramento Pœnitentiæ; sed producit gratiam sanctificantem secundariam et gratiam sacramentalem : gratia autem sacramentalis est jus, gratia sanctificante fundatum, accipiendi, tempore opportuno, gratias actuales quibus homo indigebit ad obtinendum finem hujus sacramenti.

Matrimonium, ex dictis, est sacramentum vivorum : prærequirit igitur fidem christianam et statum gratiæ sanctificantis. Itaque ordinarie a suscipiendo matrimonio repellendi sunt ignari et manifeste peccatores.

1° *Ignari :* sic enim se habet Rituale Romanum : « Uterque sciant rudimenta fidei, cum ea deinde filios » suos docere debeant. » Idem exigit S. Carolus in concilio Mediolanensi V, et Benedictus XIV, bulla *Etsi minime,* ad universos episcopos directa, ait : « Cum matrimonio » jungendi non sint, si parochus, ut debet, prius inter- » rogando, deprehenderit marem seu feminam quæ ad » salutem necessaria sunt ignorare. » Celebris Pontifex hanc quæstionem eo sensu tractat in suo opere de Synodo diœcesana, l. 8, cap. 14, n. 3, etc. Non solum igitur scire debent ea quorum cognitio necessaria est cunctis fidelibus adultis necessitate medii vel præcepti, ut explicatur in Tractatu *de Decalogo,* sed et præcipua conjugatorum officia, tum relative ad seipsos, tum relative ad pro-

lem ex ipsorum unione suscipiendam. Nunc autem non raro expedit ut interrogatio non nimis urgeatur, ob timorem pejoris mali.

2° *Manifesti peccatores.* Hoc sequitur ex iis quæ dicuntur in Tractatu *de Sacramentis in genere,* ubi probatur publice indignos a suscipiendis sacramentis arcendos esse. *A fortiori* sacerdos benedicere non posset matrimonium cui obstaret impedimentum publicum; imo nec illud cui obstaret impedimentum occultum quod aliunde quam per confessionem nosceret; quia, ut minister Ecclesiæ, validitati sacramenti providere ex officio tenetur : igitur monere deberet episcopum de impedimenti existentia. *Ita generatim theologi.*

Quæritur 1° an parochus exigere possit aut debeat quod sponsi peccata sua confiteantur, vel libellum confessionis exhibeant ante matrimonium.

R. Conc. Trid., sess. 24, de Reform. Matr. cap. 1, hæc habet : « Sancta Synodus conjuges hortatur ut, antequam » contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consum- » mationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad » sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. »

Nulla igitur lege universali tenentur sponsi ad confessionem ante matrimonium.

At, cum debeant esse in statu gratiæ, si alicujus peccati mortalis sint conscii, necesse est ut habeant perfectam contritionem, si opportunitas adeundi confessarium non existat. Unde patet confessionem esse perutilem et a nemine sapienti negligendam. Hoc sufficit ut episcopi eam in diœcesibus suis præcipere valeant, et tunc parochi eam exigere tenentur. Communiter confessio præcipitur, saltem in Gallia, ubi, usu recepto vim legis habenti, præmitti solet, v. g., in diœcesi nostra; etenim parochi nuptialem benedictionem non impertiunt, nisi præmissa confessione sacramentali, vel libello confessionis exhibito.

Attamen, in miserrimis temporibus nostris, occurrere possunt casus in quibus etiam peccatoribus publicis benedictio nuptialis concedenda sit absque confessione præ-

missa : v. g., 1° si agatur de matrimonio jam civiliter contracto, et una pars recte sit disposita, tunc in ipsius gratiam et propter legitimitatem liberorum, licet sacramentum profanationi respectu alterius exponere, quia ponitur actio ex se bona, et datur ratio sufficiens peccatum alterius permittendi.

Eadem ratione puella christiana quæ, omnibus coram Deo perpensis, graves habet rationes matrimonium cum hæretico vel cum alio peccatore sacramentum indigne suscepturo ineundi, non peccat contrahendo, licet materiam alterius peccati subministret.

2° Quamvis puella christiana a consortio viri irreligiosi abhorrere debeat, si tamen, ob circumstantias familiarum aliave motiva ponderosa, conjunctio hujus generis esset statuta, et vir ad sacrum tribunal accedere nollet, parochus episcopum adiret, et, licentia obtenta, benedictionem nuptialem tuto concederet, propter rationem superius expositam.

3° Idem dicendum est de matrimonio catholicæ cum hæretico, aut vice versa; sed prius obtinenda est dispensatio, *ut infra dicemus.*

4° In iisdem casibus admittendi sunt ignari, propter easdem rationes : idcirco supra diximus, *ordinarie repellendi sunt.*

Quæritur 2° an confessarius absolutionem concedere debeat propter instans matrimonium.

R. 1°. Sæpe absolutionem denegare tenetur, nempe 1° iis qui rudimenta fidei ignorant, nec ediscere volunt; 2° iis qui occasionem proximam peccandi habent, et eam deserere nolunt; 3° iis qui de peccatis admissis non dolent; 4° iis qui gravibus officiis, v. g., debito paschali defuerunt, et non parati sunt ea deinceps implere; 5° iis qui consuetudinem habent frequenter peccandi, v. g., blasphemandi, et signa sufficientia conversionis non exhibent; 6° sponsæ ex facto alterius prægnanti, nisi sponsum monere consentiat, quia spurium in familiam inducens, gravis injustitiæ rea fieret. In his aliisque similibus circumstantiis, si matrimonium differri non possit, forti-

ter monendus est pœnitens ut conteratur, et post matrimonium contractum ad sacrum Pœnitentiæ tribunal redeat. Forte tamen melius est illum de sacrilegio committendo, si in statu peccati mortalis accedat, formaliter non monere, ut minus peccet. Verum non licet matrimonium illi directe suadere.

R. 2°. Si talis sit habitus peccandi, quod per matrimonium cessare debeat, ut mollities, vel fornicatio cum sponsa probabilius concedenda est absolutio, modo vera appareat contritio, quia relapsus in peccatum non timetur, ex hypothesi, et aliunde prudenter judicatur adesse contritionem : ergo nulla requiritur probatio. Ita Collator Paris., Collator Andeg. et plures alii. Quinimo notat *Van-Roi*, apud *Dens*, absolvendum esse dubie dispositum, gravi necessitate eum ad celebrandum matrimonium impellente, sed denegandam ei communionem. Nec nos illam in casu immediate præcedenti permitteremus.

Hinc sequitur 1° monendos esse sponsos ut aliquo tempore ante matrimonium peccata sua confiteantur, nec increpandi sunt parochi qui recusant proclamare banna pro secunda vice, nisi sponsi confessionem incœperint, modo libertatem eligendi confessarium eis concedant, et felicem hujus agendi rationis exitum prævideant.

Hinc 2° instans matrimonium, quod differri nequit omnino, aut saltem non sine gravi incommodo, est ratio sufficiens non tantam exigendi probationem, dummodo pœnitens videatur contritus, et emendationem sine ulla hæsitatione promittat.

NOTA. Episc. Bellicensis in suo Rituali Gallico ait, *t.* 1er, *p.* 377, 4e *édit.*, benedictionem nuptialem dandam esse iis qui sacram communionem nunquam susceperunt, et primam communionem eorum convenientius quandoque post matrimonium differendam esse, ut accuratiores obtineantur dispositiones. Hanc sententiam sequimur in praxi, supposito quod prima communio ante matrimonii celebrationem convenienter obtineri non possit.

Quæritur 3° utrum sponsi ante matrimonium in eadem domo habitare possint.

R. 1° Concilium Trid., sess. 24, cap. 1 de Reform. Matrim., « hortatur ut conjuges ante benedictionem sacer- » dotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non » habitent. » 2° Concilium Mediolanense VI, sub S. Carolo celebratum, jussit ut episcopus pœnis et censuris arbitratu suo decernendis prohiberet ne sponsi ante matrimonium in eadem domo manerent, nec mutua consuetudine commerciove uterentur. 3° Rituale Cenomanense præscribit ut, a die conventionis matrimonialis, vel saltem a die primæ denuntiationis bannorum, separentur sponsi, vel denuntiationes interrumpantur. 4° Experientia constat sponsorum innocentiam multa incurrere pericula in tali consortio.

Attamen, in infaustis temporibus nostris, quando separatio nulla via persuaderi potest sponsis, prudentia exigit ut, secluso scandalo, matrimonium nihilominus solemnizetur, obtenta prius, si fieri potest, in locis ubi separatio præscribitur, licentia episcopi, quia non pertinet ad parochum a disciplina diœcesis aliquem dispensare. Secus enim sponsi in matrimonio civiliter inito sisterent, scandalum infirmis præberent, prolem susceptam male educarent, etc. Ergo.

§ III. — De ministro sacramenti Matrimonii.

Nulla hic movetur quæstio adversus Protestantes, qui Matrimonii sacramentum negantes, ministrum ejus non agnoscunt. Sed apud theologos, plures hac de re exstant sententiæ, quarum duæ sunt potissimum celebriores. Prior tenet ipsos contrahentes esse ministros sacramenti hujus : ita fere omnes theologi et juris canonici doctores, ante Melchiorem Canum qui celebrem scribebat librum, *de Locis Theologicis*, circa an. 1554. Multi recentiores theologi eidem sententiæ adhærentes, eam propagaverunt, maxime apud extraneos : sic, inter alios, Bellarminus, *Vasquez*, *Sanchez*, Theophilus *Raynaud*, *Frassens*, card. *de Laurea*, *Layman*, *Van-Espen*, *Simonet*, Theologia Petrocoriensis, Theologia Gratian., *Pontas*, Coll. Andeg., *Billuart*, *Sardagna*, S. Ligorius qui innumeros

alios citat, et dicit hanc opinionem videri moraliter certam.

Altera sententia docet sacerdotem hujus sicut aliorum sacramentorum esse ministrum : eam tuiti sunt in conc. Trid. Melchior Canus et unus e primariis Sorbonæ doctoribus, ait Palav. Hist. conc. l. 22, c. 9; multi graves theologi eamdem postea amplexi sunt, v. g., Sylvius, Estius, *Juénin*, *Duhamel*, *Tournely*, *Lherminier*, *Dens*, Theologia Lugdun., etc.

Rationes prioris sententiæ sunt : 1° Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, sanam Ecclesiæ doctrinam circa septem sacramenta compendiose tradere volens, ait de matrimonio : *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus :* certe loquitur de matrimonio ut sacramento, siquidem septem explicat sacramenta. 2° Ecclesia declaravit in conc. Tridentino matrimonia clandestina esse valida, et nihil omnino dicit de sacerdote : incredibile est tamen eam de sacerdote omnino siluisse, si persuasum habuisset illum necessarium esse sacramenti hujus ministrum. Non definit tamen matrimonia clandestina esse sacramenta, ne theologos contrarium asserentes damnaret; sed asseruit illa esse rata et vera, quod in mente patrum hujus concilii est æquivalens. 3° Sacra Congregatio Concilii Trid. interpres pluries declaravit verba ista : *Ego vos in matrimonium conjungo*, ad matrimonii essentiam non pertinere : de matrimonio simpliciter loquens, procul dubio intelligit matrimonium ut sacramentum. Ergo. 4° Per multa sæcula hæc opinio fuit universalis; nunc communius docetur Romæ et generatim apud extraneos. Ergo.

Posterioris sententiæ defensores sequentibus præcipue nituntur rationibus. 1° Hæc sententia multo conformior esse videtur testimoniis sanctorum Patrum supra relatis pag. 201, in quibus Tertull. dicit matrimonium *conciliari ab Ecclesia, et confirmari oblatione*, et S. Ambrosius, *sacerdotali benedictione sanctificari :* porro hujusmodi locutiones intelligi non possunt, si sacerdos non sit minister gratiæ sacramentalis in matrimonio conferendæ.

2° Concil. Trid., sess. 24, cap. 1 de Reform., jubet « ut parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum » mutuo consensu intellecto, vel dicat : *Ego vos in ma-* » *trimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spi-* » *ritus Sancti;* vel aliis utatur verbis, juxta receptum » cujusque provinciæ ritum. » Omnia ritualia formam benedictionis determinatam eumdem sensum habentem præscribunt. Necesse est ergo ut illa verba vanum non habeant sensum : attamen non videtur quomodo vanum non habeant sensum, si sacerdos non sit minister hujus sacramenti; tunc quippe sponsos non reipsa jungit, sed declarat eos vi mutui consensus sacramentaliter esse junctos. Ergo.

3° Matrimonium, quatenus est sacramentum, debet esse ritus sacer : at si sacerdos non sit illius minister, ita administrari poterit ut non sit ritus sacer, v. g., in locis ubi decretum concilii Trid. contra matrimonia clandestina non fuit publicatum, et ubi recursus ad legitimum sacerdotem est periculosus vel difficilis : tunc enim matrimonium absque sacerdote celebratum est validum. Porro in his circumstantiis a contractu civili, prout fit apud infideles, non differt : ergo.

4° Sacerdos, nuptias benedicens, esset duntaxat testis conjunctionis sponsorum gratiam sibi invicem conferentium : at talis opinio congruere non videtur doctrinæ Apostoli, qui asserit sacerdotes esse *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, I. Cor. IV, 1.

5° Si contrahentes essent ministri hujus sacramenti, fideles hoc scire deberent, ut in quacumque hypothesi sacramentum reverenter tractarent, et ad illud digne suscipiendum, etiam quando non adest sacerdos, sese accingerent : atqui hoc prorsus ignorant, et valde attoniti forent, si talem doctrinam publice ipsi docerentur : ergo.

Utraque sententia seorsim sumpta gravibus innixa videtur rationibus, neutra tamen haberi potest ut demonstrata. Bened. XIV, post librata utriusque momenta, concludit, de Synod. diœces., lib. 9, cap. 3, n. 9 :

« Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus,

» non animo quemquam inducendi ad unam aut alte-
» ram amplectendam, sed ut episcopis sit persuasum
» utramque esse probabilem, suosque habere magnæ
» auctoritatis patronos : atque inde non decere discant
» ut ipsi judicis partes assumant quæstionemque defi-
» niant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronuntiavit,
» sed theologorum disputationi permisit. Quare acturi in
» synodis de matrimonio, proponant quidem explicent-
» que doctrinam a concilio Florentino et Tridentino de
» ejusmodi sacramento diserte traditam, sed caveant ne
» aut parochum aut ipsos contrahentes ejusdem minis-
» tros appellent. »

Auctoritate tanti doctoris simul et Pontificis ducti, neutram etiam opinionem præ altera defendere volumus : monemus tantum partem tutiorem, ubi de validitate sacramenti agitur, esse amplectendam, ac proinde curandum est ut matrimonium Christianorum benedictione sacerdotali nunquam careat. Unde Congregatio specialis cardinalium Romæ a Pio VI instituta pro negotiis ecclesiæ Gallicanæ definiendis, tempore perturbationis nostræ, declaravit 22 aprilis 1795, agens de matrimoniis sine præsentia parochi contractis, et tamen validis propter difficultatem recursus, « fideles hortandos esse ut, cum
» sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem
» petant, qui tamen illis declarabit hujusmodi benedic-
» tionem ad validitatem matrimonii minime pertinere. »

§ IV. — De materia et forma sacramenti Matrimonii.

Solutio difficultatum circa materiam et formam sacramenti Matrimonii omnino pendet a quæstione de ministro.

In opinione eorum qui dicunt contrahentes esse ministros hujus sacramenti, communior sententia est materiam proximam esse verba aut signa traditionis corporum, et formam esse verba aut signa acceptationis. Sic eadem verba aut signa sunt materia quatenus traditionem exprimunt, et forma inquantum acceptationem significant.

In altera vero sententia, materia est contractus naturalis valide initus, et forma sunt verba benedictionis : *Ego vos in matrimonium conjungo*, etc., vel alia eumdem sensum moraliter exprimentia : v. g., *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, ut antiqua præcipiebant Ritualia; vel, *Consocia servum tuum N. et ancillam tuam N.* ut fert Euchol. Græcum P. *Goar, pag.* 390. Unde, in hac sententia, materia et forma sacramenti Matrimonii multo clarius assignantur. Alia est recentiorum sententia quæ, sacramentum a contractu quasi totum completum separans, materia reponit in impositione manus plus minusve clare in Ritualibus præscripta, et formam in benedictione sacerdotali. Verum hanc distinctionem versus medium ultimi sæculi excogitatam, a *Maultrot* propugnatam in opere cui titulus : *Veritable nature du Mariage*, anni 1788, a *Tabaraud* renovatam anno 1816, quam card. *de la Luzerne* exhibet, *Inst. sur le Rituel*, an 1818, ut apud theologos ingravescentem, card. *Gerdil* notat ut hæreticale monstrum, constanti doctrinæ Christi oppositum : eam omnino rejiciendam esse arbitramur, et propugnamus contractum matrimonii ad essentiam sacramenti pertinere. Unde sit

PROPOSITIO.

Materia sacramenti matrimonii sita est in contractu partium legitimo.

Prob. Conc. Trident. definit matrimonium esse sacramentum ; alia concilia generalia et tota traditio non repræsentant matrimonium et sacramentum tanquam duo entia distincta, sed velut unicum contractum gratia Dei sanctificatum : porro in materia fidei Christianæ nunquam recedere licet a modo loquendi theologorum, SS. Patrum et conciliorum. Ergo. Vide opus inscriptum : *Examen du pouvoir legislatif de l'Eglise sur le mariage*, in-8° : constat igitur matrimonio inter baptizatos valide inito cum intentione sufficienti sacramentum suscipiendi, annexam esse gratiam sanctificantem, saltem ubi accesserit benedictio sacerdotis.

§ V. — De separatione sacramenti Matrimonii a contractu.

Certum est contractum existere posse sine sacramento; nam, juxta omnes, matrimonium inter duos infideles rite celebratum, est validum, et tamen nemo dicet illud esse sacramentum proprie dictum; omnes etiam fatentur sacramentum sine contractu valido subsistere non posse, quia contractus validus est saltem ipsius fundamentum.

At plurima hac in re moventur dubia, scilicet, 1° circa matrimonia infidelium qui ad fidem convertuntur; 2° circa matrimonium infidelis cum fideli; 3° circa matrimonia hæreticorum sive inter se, sive hæretici cum catholica, aut vice versa; 4° circa matrimonia per procuratores contracta; 5° circa ipsorum fidelium matrimonia per se ipsos et ritu debito celebrata. Hæc omnia pro posse nostro breviter solvemus.

1° *De Matrimoniis infidelium ad fidem conversorum.*

Non pauci dicunt matrimonia eorum fieri posse sacramenta sive in susceptione Baptismi, si adsit intentio, sive renovando expresse consensum post Baptismum, et accedente benedictione sacerdotali, in opinione eorum qui dicunt sacerdotem esse ministrum. Ita *Sanchez,* Bellarminus, Sylvius, etc. Bened. XIV dicit, de Synodo diœces. lib. 8, c. 13, n. 8, eam opinionem esse probabilem et communiorem, nec tamen docet eam esse amplectendam potius quam alteram. Multi namque contendunt talia matrimonia sacramenta fieri non posse, et ratio eorum est, quod materia hujus sacramenti sit contractus in actu, non vero in statu, sicut materia Extremæ-Unctionis non est unctio permanens, sed actus unctionis, et quemadmodum ad validitatem hujus sacramenti non sufficeret verba formæ unctioni die præcedenti factæ applicare, ita nec sufficeret formam sacramenti Matrimonii contractui jam existenti applicare. Unde Ecclesia non curat hujusmodi sponsos ad renovandum consensum adducere; quod tamen non negligeret. Ita *Tournely, Collet, Billuart,* etc. Notat *Dens,* t. VII, p. 164, prudenter acturum esse paro-

chum, si consensu coram se renovato, benedictionem nuptialem talibus sponsis impertiat sub conditione tacita. Verum cum hæc praxis non sit usitata, usurpari non debet nisi ad summum de Mandato Ordinarii.

Apud S. Lig. l. 6, n. 956, plura inveniuntur ex quibus eruitur matrimonia infidelium post Baptismum ab Apostolica Sede, gravi de causa, dissolvi posse, dummodo post Baptismum consummata non fuerint.

2° *De Matrimonio infidelis cum fideli.*

Certum est 1° contractum non esse validum ex una parte, et ex altera parte nullum : est integer vel omnino nullus, alioquin existeret simul et non existeret vinculum; quod admitti non potest. *Certum est* 2° partem infidelem sacramenti non esse capacem.

Quæstio est igitur an pars fidelis sacramentum suscipiat. Quidam affirmant, v. g. *Daelman* et *Boudart* apud *Dens, Collet,* etc., quia supposito contractu valido, nihil vetat quin pars fidelis sacramentum suscipere possit. Verum multi negant, inter quos Pontius, *Steyaert, Billuart* et alii; nam, inquiunt, uterque contrahens ad materiam sacramenti per modum unius concurrit; si autem materia ex parte unius non sit idonea, nec ex parte alterius.

3° *De Matrimoniis hæreticorum.*

Certum est hæreticos valide baptizatos sacramenti Matrimonii esse capaces : itaque si, legitime contrahendo, intentionem habeant illud suscipiendi aut matrimonium christianum faciendi, tunc existit sacramentum in sententia quæ docet contrahentes esse ministros; in altera vero sententia, seclusa benedictione sacerdotali, non conficeretur sacramentum. Non tamen benedicenda sunt matrimonia, post conversionem sponsorum, absque mandato episcopi, propter rationes superius allatas.

A fortiori matrimonium hæretici cum catholica, aut vice versa, erit sacramentum, si nempe adsit intentio et minister. Attamen, in hypothesi quod pars hæretica po-

sitive nollet sacramentum suscipere, valde dubium est, ex dictis, an pars catholica illius particeps fieret.

4° De Matrimoniis per procuratores.

Indubium est hujusmodi matrimonia esse valida ratione contractus, sicut quaslibet alias conventiones; sed quæritur an valeant ratione sacramenti.

Cajetanus, Melchior Cauus, Estius, Sylvius, *Van-Roy*, aliique non pauci negant, dicentes alia sacramenta absentibus conferri non posse, et repugnare hominem deambulantem, dormientem, manducantem, vel ebrium aut dementem, gratiam suscipere.

Verum alii multi, ut *Sanchez*, *Daelman*, *Tournely*, *Collet*, *Billuart*, Collator Andeg., etc., contrarium probabilius tenent. Etenim omnia essentialia sacramenti hic videntur adesse, et aliunde non magis repugnat virum dormientem gratiam matrimonii suscipere, quam dementem aut furiosum gratiam Baptismi : porro demens et furiosus valide baptizari possunt, si antea Baptismum desideraverint. Insuper in sacramentis non ratiocinandum est a pari : ergo, licet alia sacramenta absentibus conferri nequeant, nihil inde contra validitatem matrimonii concludi potest. Quoties igitur matrimonium per procuratorem initum validum erit ratione contractus, toties valere poterit ratione sacramenti.

Hinc 1° si mandans procurationem revocaverit etiam interne, matrimonium non erit validum ratione contractus, nec igitur ratione sacramenti : si vero eam revocatam iterum approbet, sub utroque respectu matrimonium valebit.

Hinc 2° si mandans in perpetuam dementiam inciderit, nullus erit contractus, juxta multos, proindeque nullum sacramentum, defectu consensus utriusque; amentis, qui est tunc incapax, et alterius partis, quæ perpetuo amentem in conjugem velle non præsumitur.

Hinc 3° matrimonium fieri potest per litteras, sicut alii contractus; imo et esse sacramentum. Sed in locis ubi decretum conc. Trid. contra clandestinitatem viget,

litteræ exhiberi deberent paracho et testibus. Vide *Dens*, art. 7.

Hinc 4° cum matrimonia inter absentes celebrata, sint dubia ratione sacramenti, permitti non debent nisi inter magnates, et accedente consensu superioris ecclesiastici, sive Pontificis maximi, sive saltem episcopi : postea iteranda sunt sub conditione inter præsentes, et in utroque casu danda est benedictio nuptialis. *At hoc minime necessarium reputatur, sed majoris duntaxat cautelæ gratia,* inquit Benedictus XIV, de Synodo diœces. lib. 13, cap. 23, num. 9.

Hinc 5° uterque conjux debet esse in statu gratiæ tempore celebrationis per procuratorem, et tempore iterationis sub conditione, quia incertum est an in prima vel in secunda celebratione gratia conferatur.

5° *De Matrimoniis fidelium.*

Petitur an in matrimoniis fidelium sacramentum a contractu valide et licite separari possit.

R. In sententia eorum qui docent sacerdotem esse ministrum, certum est sacramentum a contractu separari posse, quia, seclusis legibus positivis contrarium statuentibus, fideles valide contrahere possunt sine præsentia sacerdotis, et aliquando licite, quando scilicet recursus ad sacerdotem est difficilis et periculosus, *ut infra monstrabimus.*

In adversa autem sententia plurimi contendunt sacramentum a contractu inseparabile esse; Christus enim, inquiunt, ipsum contractum ad dignitatem sacramenti erexit, ita ut matrimonium, accedente gratia Dei, sit sacramentum; sacramentum autem et matrimonium non sunt duo entia moralia a se distincta : si ergo sponsi expressa intentione sacramentum excluderent, eo ipso nulliter contraherent.

Sed alii non pauci affirmant separationem fieri posse; hoc argumento præcipue fundantur : Christus matrimonium ad dignitatem sacramenti elevando, vim consensus naturalis non destruxit; Ecclesia non præscripsit inten-

tionem sacramenti sub pœna nullitatis actus : ergo gratis asseritur contractum fore nullum, si sacramentum excludatur.

Hinc quidam theologi arbitrati sunt se optimam invenisse viam impediendi sacrilegia in sponsis male dispositis, qui matrimonium differre nequeunt, nempe suadendo ipsis formale propositum sacramentum non suscipiendi : tunc, inquiunt, sacramentum non conficitur : ergo non profanatur. Aliunde nulla est obligatio illud suscipiendi, alioquin Ecclesia non sineret infideles ad fidem conversos, vel fideles absque benedictione sacerdotali valide conjugatos, de recipiendo postea sacramento sollicitos non esse. Ergo.

Verum hæc doctrina procul rejicienda est. Nam 1° licet sacramentum necessarium non sit ut matrimonio uti liceat, est in intentione Christi, et voluntarie omitti non debet. 2° Dubium est an contrahentes sint ministri sacramenti, et an sacramentum a contractu separari possit (1) : qui ergo haberet intentionem sacramentum a contractu separandi, se exponeret periculo faciendi matrimonium sacrilegum vel nullum. Porro tali periculo se exponere non licet. Ergo.

CAPUT SECUNDUM.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

Proprietates matrimonii, quæ numerari solent, sunt bonitas, unitas et firmitas, seu indissolubilitas.

(1) Ex recentibus actis Pii IX, scilicet, ex damnatione et prohibitione operum *Nuytz* per brevem *Apostolicæ Sedis*, diei 22 augusti 1851, et ex allocutione, diei 27 septembris 1852 circa res Reipublicæ Neogranatensis, admittendum est ut certum contractum et sacramentum cogitatione tantum, non veritate spectari posse uti duas res ab invicem distinctas et separabiles.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BONITATE SEU HONESTATE MATRIMONII.

Plures hæretici, quorum existentiam prædixerat B. Paulus I Tim. IV, 3, adversus honestatem nuptiarum insurrexerunt : scilicet, 1° Simon Magus, qui *docebat detestandam turpitudinem indifferenter utendi feminis* (S. Aug. de Hæresibus, n. 1). 2° Saturninus, qui, arbitrans hominem in vita præsenti sub tyrannica potestate diabolorum semper esse, docebat actus ad procreationem alterius hominis tendentes crudelitatem redolere. 3° Tatianus, qui, male intelligens hæc verba B. Pauli, Galat. VI, 8 : *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem,* dicebat omnia opera carnis ex natura sua esse mala. 4° Marcionitæ et postea Manichæi, duo admittentes principia, contendebant actum matrimonii esse mali principii effectum proindeque malum. 5° Priscillianistæ, in quarto sæculo, et Albigenses, in duodecimo, eumdem fere tenebant errorem. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Matrimonium in se spectatum est bonum et honestum.

Prob. 1° *Script. sacra.* Gen. I, 27 et 28 : *Deus masculum et feminam creavit eos, benedixitque eis, et ait : Crescite et multiplicamini.* Cap. II, 24 : *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Patet his verbis conjugium a Deo fuisse institutum ac benedictum, et ab Adamo laudatum. Deuter. XXV, 5, Deus jubet *ut frater uxorem fratris sui absque liberis defuncti suscipiat.* Ergo.

B. Paulus, I Cor. VII, 27 : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem... si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit.* Hebr. XIII, 4 : *Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus :* unde et ipse Christus in Cana nuptiis adfuit. Constat igitur Scriptura matrimonium ex se nihil habere inhonesti.

2° *Traditione.* Quando prodierunt errores supra recensiti, concilia et SS. Patres contra illos insurrexerunt, videlicet concilium Gangrense, an. 336, can. 1 : « Si quis » nuptias accuset,.. sit anathema. » Conc. Tolet. 1, can. 21 : « Si quis crediderit conjugia hominum, quæ » secundum Dei legem fiunt, esse exsecrabilia; anathe» ma sit. » Tertull. adversus Marcionem, l. 1, cap. 29 : « Inimice conjugium spurcitiæ nomine accusatur, in de» tractionem Creatoris, qui conjugium pro rei honestate » benedixit ad incrementum generis humani. » Idem habent Clemens Alex., l. 3 Strom., S. Aug., l. de Bono conjugii, etc.

3° *Ratione.* Nam 1° Deus utrumque non fecisset sexum si commixtio sexuum nunquam esset licita. 2° Id honestum est, ad quod natura bene ordinata inclinat : atqui natura bene ordinata inclinat ad perpetuitatem speciei, proindeque ad sexuum commixtionem. 3° Non licet vocare inhonestum quod ab omnibus habetur et semper habitum est ut honestum; porro matrimonium ab omnibus habetur et semper habitum est ut honestum. 4° Matrimonium a Christo ad dignitatem sacramenti fuit elevatum, ut fide constat : ergo ex natura sua non est inhonestum. Ergo.

Dices 1° cum Apostolo, Rom. VIII, 8 : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

R. Dist. textum. Qui secundum carnem vivunt, Deo placere non possunt, *conc.;* qui matrimonio legitimo utuntur, Deo placere non possunt, *nego.* Ibi enim de matrimonio non agitur, ut ex toto contextu evidenter patet. Ergo.

Inst. 1°. Idem Apostolus, I Cor. VII, ait : *Bonum est homini mulierem non tangere.*

R. Neg. conseq. Evidens quippe est Apostolum commendare felicitatem eorum qui vitam in cælibatu ducunt et tribulationes carnis aliasque tentationes ex matrimonio provenientes non experiuntur, licet aliter sentire videatur S. Hieron., lib. 1 contra Jovinianum; nam in eodem capite B. Paulus pluries exhibet matri-

monium ut bonum, licitum et honestum, v. g., ℣ 2 : *Propter fornicatiouem, unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Ergo.

Inst. 2°. Eodem capite, ℣ 6, B. Paulus adjungit : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium :* ergo arbitrabatur matrimonium esse malum.

R. Nego conseq. Hæc enim verba, *secundum indulgentiam,* non indicant veniam proprie dictam pro peccatis, sed permissionem, per oppositionem ad imperium ; alioquin Apostolus sibi contradiceret, cum variis in locis matrimonium exhibuerit tanquam bonum et licitum. Et præterea, veniam concederet pro culpis admittendis, siquidem de matrimonio contrahendo agitur : porro repugnat dari veniam pro culpis admittendis; tunc enim nihil aliud esset quam dare licentiam peccandi : ergo, ex ipsismet verbis nobis objectis, constat matrimonium in se spectatum esse bonum et honestum.

Difficultas ex propagatione peccati originalis petita in Tractatu *de Peccatis* solvitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE UNITATE MATRIMONII.

Unitati matrimonii adversatur polygamia, quæ est status mulieris plures viros, vel unius viri plures uxores habentis. Potest esse simultanea vel successiva : hinc duo paragraphi.

§ I. — De polygamia simultanea.

Certum est statum mulieris plures viros simul habentis cum lege naturali pugnare; præcipuis enim matrimonii finibus adversatur, scilicet, generationi prolis et bonæ ejus educationi : 1° generationi, ut constat exemplo mulierum perditarum, quæ cum pluribus viris commiscentur, et ordinarie sunt infecundæ ; 2° bonæ educationi, siquidem pater est incertus, ac proinde nullus sufficientem habebit curam prolis quam non potest certo credere esse suam. Unde omnes gentes ab hujusmodi statu ab-

horruerunt, et conjunctio unius mulieris simul cum pluribus viris nullibi habita est ut legitimum matrimonium.

Polygamia igitur proprie dicta, et prout vulgo intelligitur, est status viri plures uxores simul habentis; quæstio est an talis polygamia sit licita, an vero jure naturali aut divino positivo vel utroque simul prohibeatur.

Calvinus contendit eam utroque jure adeo prohiberi, ut veteres sancti Patriarchæ, qui plures habuerunt uxores, fuerint legis naturæ violatores.

Contra vero Lutherus docuit hanc polygamiam nec jure naturali, nec lege Evangelica stricte prohiberi; unde ipse Lutherus, *Melanchthon*, *Bucer* et quinque alii ejusdem sectæ doctores permiserunt, anno 1539, Landgravio Hessiæ ut vivente conjuge a qua obhorrebat, aliam duceret. Vide *Hist. des Variations*, lib. 6, n. 9.

Inter catholicos, nonnulli, ut *Maldonat*, *Simonet*, *Sardagna* et *Baston*, dicunt polygamiam legi naturali et finibus matrimonii non repugnare, solaque lege Evangelica prohibitam esse : unde concludunt sanctos Patriarchas non peccasse plures uxores accipiendo, nec ulla dispensatione Dei opus habuisse.

Alii vero cum S. Thoma, Suppl. quæst. 65, art. 1, contendunt polygamiam primariis legis naturalis principiis circa matrimonium non adversari : hæc quippe principia, seu finis essentialis matrimonii, sunt generatio et educatio prolis : atqui polygamia generationi et educationi prolis essentialiter non adversatur : non generationi, ut ratione et experientia constat; non pariter educationi prolis, siquidem unus paterfamilias liberis ex diversis uxoribus provenientibus educandis absolute sufficere potest : ergo.

Unde SS. Patres veteres Patriarchas totis viribus defenderunt adversus Manichæos aliosque hæreticos, et dicebant, v. g., cum S. Aug., lib. 22 contra Faustum, c. 47 : « Quæ cum ita sunt, quid tandem criminis est
» quod de pluribus simul habitis uxoribus objicit sancto
» viro Jacob ! Si naturam consulas, non lasciviendi, sed

» gignendi causa illis mulieribus utebatur : si præcep-
» tum, nulla lege prohibebatur. »

Iidem theologi docent, et nos cum illis probabilius æstimamus, polygamiam simultaneam præceptis secundariis legis naturalis contrariam esse : principia secundaria ea sunt quæ in essentiis rerum non fundantur, sed ab ordine a Deo libere electo fluunt : atqui polygamia hujusmodi ordini et voto naturæ adversari videtur. 1° Deus non plures, sed unicam creavit uxorem Adamo, et Adamo dixit, Gen. II, 24 : *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* 2° Qui plures ducit uxores, voluptatis illecebris potius quam desiderio posteritatis ordinarie attrahitur. 3° Educationi multorum liberorum non tam facile invigilare potest. 4° Mulieres in eo casu non sunt totius domus rectrices et dominæ. 5° Inter eas frequenter nascuntur invidiæ et dissensiones. 6° Uxor totam viro se tradit; nonne æquum est ut vir similem ei fidelitatem promittat. 7° Tot nascuntur viri quot mulieres, et ordinarie paulo plures viri : sufficienter ergo ostendit sapientissimus naturæ humanæ conditor se voluisse *ut unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat,* I Cor. XIII, 2. Ergo.

His notatis, sint propositiones sequentes :

PROPOSITIO PRIMA.

Tempore Patriarcharum licitum erat plures simul habere uxores.

Prob. 1° Deuteron. XXI, 15 : *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, et fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam suam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ cognoscet primogenitum.* Certe ibi agitur de viro qui plures habet uxores et nulla est nota improbationis : ergo tempore Moysis hæc matrimonia erant licita.

2° Si licitum non fuisset viris plures simul habere

uxores, Prophetæ a Deo suscitati, qui scelera populi libera voce proclamabant, circa talia conjugia tam frequentia non tacuissent : attamen ea nunquam improbaverunt ; imo de iis continua fit mentio sicut de re consueta et licita. Sancti viri plures ducunt uxores, et inter eorum filios nulla est distinctio ; omnes ut æqualiter legitimi habentur : quod patet exemplo filiorum Jacob et filiorum David, etc. Ergo.

Notandum est quasdam mulieres apud Hebræos vocatas fuisse concubinas, sed eo nomine vere intelligebantur uxores, quæ erant secundi ordinis, sine solemnitate ducebantur, dotem non habebant, primariæ uxoris erant ancillæ, etc. Ergo.

An autem veteres Patriarchæ dispensationem Dei generalem aut specialem habuerint, non liquet. Plures theologi dicunt talem dispensationem necessariam non fuisse, quia polygamia, licet minus perfecta, nulli tamen legi naturæ stricte opponitur. Ita Theologia Lugdunensis et Theologia Rothomagensis. Alii vero communius, arbitrantes polygamiam secundariis legis naturæ præceptis dominio Dei subjectis adversari, contendunt omnibus opus fuisse dispensatione speciali, vel saltem generali, quæ, semel concessa, usque ad revocationem perseveravit. Fatendum est nullum in tota Scriptura repiriri vestigium hujusmodi dispensationis : unde non parum firmatur sententia eorum qui necessitatem ejus negant. Sed in hac ipsamet hypothesi, dicendum est Deum legem primæ institutionis relaxasse erga cunctos homines.

PROPOSITIO SECUNDA.

Christus Matrimonium ad primævam institutionem revocans, polygamiam simultaneam omnino prohibuit.

Hæc propositio adversus Lutherum, *Melanchthon*, aliosque supra citatos militat ; et est de fide, ut pote definita in concil. Trident., sess. 24, can. 2 : « Si quis dixerit » licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc » nulla lege divina esse prohibitum ; anathema sit. »

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Matth. xix, 9; Marc. x, 11, et Luc. xv, 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam et aliam ducit mœchatur :* porro si homo qui, priore uxore dimissa, aliam ducit, mœchatur, *a fortiori*, qui, ea retenta, aliam duceret.

Præterea, Christus, Matth. xix, 4, 5, 6, respondet Pharisæis eum interrogantibus an liceret homini quacumque ex causa uxorem dimittere : *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit : propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Nonne videtur Christum his verbis matrimonium ad primævam institutionem revocare? at in primæva institutione duo tantum erant in carne una : ergo.

B. Paulus, I Cor. vii, 2 : *Unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Non dixit, *uxores habeat :* hic et in aliis locis jura et munia viri ac mulieris æquiparat : vir ergo unius uxoris sicut uxor unius viri esse debet. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* Ambros., lib. I de Abraham, cap. 7 : « Non licet tibi, uxore vivente, aliam ducere ; » nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est » adulterii. »

Unanimi ore omnes SS. Patres, cuncta concilia, universi theologi et constans fidelium persuasio semper docuerunt simultaneam polygamiam lege divina esse prohibitam. Ergo.

Datur igitur lex divina, constituens vinculum prioris matrimonii ut impedimentum matrimonium dirimens. Lex ista ad infideles ipsos probabilius spectat, adeo ut qui post inita matrimonia in infidelitate convertuntur, priorem conjugem tantum retinere possint.

Dices : Narratur apud Socratem, l. 4 Hist., cap. 31, Valentinianum imperatorem duas simul habisse uxores, ac propterea tulisse legem qua *cuilibet* volenti liceret *duas uxores habere legitimas.* Similiter Gregorius II, Ep. 14 ad

Bonif., cuidam permisit secundam habere uxorem propter prioris ægritudinem. Ergo.

R. Nego consequens et conseq. Nam 1° Socrates non est multum fide dignus, ut pote in variis locis historiæ suæ falsum narrans; 2° alii auctores ecclesiastici et profani eodem tempore viventes, nihil de duabus uxoribus Valentiniani et lege ab ipso hac occasione lata referunt; 3° sancti Patres, ut S. Hieronymus et S. Aug., polygamiam simultaneam pluribus in locis damnantes, eum minime redarguunt, quod tamen non omisissent; 4° si Gregorius II cuidam permiserit secundam habere uxorem, quod non constat, judicavit prius matrimonium, ob impotentiam prioris uxoris, fuisse nullum, et tunc evanescit difficultas. Ergo.

§ II. — De polygamia successiva seu de secundis nuptiis.

Secundas nuptias proscribebant Montanistæ et Novatiani. *Secundas nuptias pro fornicationibus habent*, ait S. Aug. de Montanistis, lib. 2 de Hæres., cap. 26. *Unum matrimonium novimus, sicut unum Deum*, inquit Tertull. factus Montanista, de Monogamia, cap. 1. Novatiani *eos qui secundum matrimonium iniissent, a sacris mysteriis arcebant*, dicit Theodoretus, l. 3 de Hæreticorum fabulis. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Secundæ nuptiæ tam mulieri quam viro licitæ sunt sub lege Evangelica.

Hæc propositio *est de fide.*

Prob. 1° *Scriptura sacra*, I Cor. VII, 39 : *Mulier alligata est legi* (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino.* Ergo mulier, defuncto viro, ad alias nuptias transvolare potest, *a fortiori* et vir, mortua uxore sua. Ergo 1°.

2° *Ex SS. Patribus.* S. Ambr., lib. de Viduis, cap. 11 : « Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus » sæpe repetitas : non enim expedit quidquid licet. »

S. Hieronym., Epist. 30 Apolog. pro Libris contra Jovinianum : « Non damno bigamos, imo nec trigamos, et » si dici potest, octogamos. » Eodem sensu locuti sunt alii Patres adversus hæreticos secundas nuptias damnantes. Ergo 2°.

3° *Ratione.* Secundæ nuptiæ sunt licitæ, si nulla lege prohibeantur : atqui nulla lege prohibentur : 1° non lege naturali, finibus enim matrimonii non repugnant; neque 2° lege Mosaica, nam, e contra, frater tenebatur viduam fratris sui sine semine defuncti ducere; neque 3° lege Evangelica, ut patet ex verbis B. Pauli supra citatis; neque 4° lege Ecclesiastica, cum Ecclesia secundas, tertias, quartas, etc., nuptias benedicat; neque 5° lege civili, antiqua aut recentiori, ut omnibus notum est. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Quoniam tamen nuptiæ repetitæ in aliquam suspicionem libidinis inducunt, 1° concilium Neocæsariense, anno 314, aliaque concilia decreverunt bigamos pœnitentiæ esse subjiciendos; 2° prohibuerunt ne presbyteri convivio nuptiali bigamorum adessent; 3° statuerunt bigamos Ordinibus sacris idoneos non esse et velut irregulares habendos; 4° plures sancti Patres, ut S. Basilius, Epist. ad Amphilon., Origenes, S. Chrysost. secundas nuptias sæpius vituperaverunt ut statum perfectioni christianæ minus congruentem, a sublimiori gradu in cœlo excludentem, ad viliora pecora homines proximantem, a fornicatione parum differentem, etc. Verum nullibi pronuntiarunt talia conjugia esse irrita, vel ratione sui prohibita.

Hinc, nisi peculiares causæ aliud suadeant, qui statum viduitatis christianæ servant, multo melius faciunt.

ARTICULUS TERTIUS.

DE FIRMITATE SEU INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Duplex distinguitur matrimonii dissolutio, una scilicet quoad vinculum, et altera quoad torum vel cohabitationem. Prior, quæ vocatur proprie dicta, reddit sponsis

plenam libertatem alias celebrandi nuptias. Posterior dicitur improprie dicta, et quamvis eximat sponsos ab obligatione debitum reddendi, vel etiam cohabitandi, integrum tamen relinquit vinculum.

Plurima gravis momenti hic discutienda occurrunt, videlicet, 1° an et quo jure matrimonii vinculum sit indissolubile; 2° an matrimonii vinculum per libellum repudii dissolveretur apud Judæos : 3° an dissolvi possit apud infideles; 4° an apud Christianos per adulterium; 5° an per solemnem religionis professionem; 6° an per summi Pontificis dispensationem; 7° quid sentiendum sit de separatione quoad torum et cohabitationem.

§ I. — An et quo jure Matrimonii vinculum sit indissolubile.

In confesso est apud omnes Christianos matrimonium non esse, aliorum instar contractuum, ad voluntatem contrahentium rescindibile; verum inter eos controvertitur an jure naturali aut divino vinculum ejus sit perpetuum.

Certum est matrimonii dissolubilitatem primis legis naturalis principiis non adversari; essentialiter enim generationi et educationi prolis non opponitur, et aliunde Deus, qui a primis legis naturalis principiis dispensare non potest, divortium olim permisit, *ut ex dicendis constabit*. Ergo.

Quæstio est igitur an divortium legi divinæ postivæ et secundariis legis naturalis principiis adversetur.

PROPOSITIO PRIMA.

Matrimonium consummatum generatim est jure divino indissolubile.

Hæc propositio *est de fide*.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Matth. XIX, 6 : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. X, 11 : *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum*

suum et alii nupserit, mœchatur. Luc. XVI, 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Verba *quicumque* et *omnis* sunt generalia. Ergo.

B. Paulus, Rom. VIII, 2 : *Mulier, vivente viro, alligata est legi*, etc.; I Cor. VII, 10 : *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat.* Ergo.

Prob. 2° *concil. Trid.*, sess. 24, in initio : « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea.* »

Prob. 3° Omisso casu adulterii, de quo infra dicemus, omnes sancti Patres unanimiter docent vinculum matrimonii lege evangelica esse prorsus indissolubile. Ergo.

Diximus 1° *generatim*, ut excluderemus casum adulterii, quia de illo specialiter tractaturi sumus.

Diximus 2° *consummatum*, quia non ita constat matrimonium ratum et non consummatum dissolvi non posse, *ut ex dicendis patebit.*

Dices : Principes christiani, ut Constantinus Magnus, Theodosius, Justinianus, consentiente aut saltem non reclamante Ecclesia, approbarunt divortium : ergo tunc credebatur matrimonii vinculum dissolvi posse.

R. 1°. Plurimi dicunt præfatas leges solam separationem quoad torum respexisse, aut divortium causa adulterii : at in utroque casu nihil statutum fuisset propositioni nostræ adversarium.

R. 2°. Falsum est Ecclesiam non reclamasse; plurima enim sunt SS. Patrum testimonia quibus constat illam semper docuisse matrimonium lege divina indissolubile esse, quamvis divortium humanis legibus permitteretur. Sic S. Hieronym., Epist. 84 ad Oceanum : « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. »

S. Ambros., lib. 8 in Evang. S. Lucæ, in cap. XVI :

« Dimittit ergo uxorem quasi jure, sine crimine, et pu-
» tas id licere, quia lex humana non prohibet: sed di-
» vina prohibet. »

S. Aug., lib. 1 de Nuptiis et Concupisc., cap. 10, loquens de divortio, ait : « Quod si quisquam fecerit, non
» lege hujus sæculi..... sed lege Evangelii reus est adul-
» terii. » Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Dissolubilitas Matrimonii quoad vinculum secundariis legis naturalis principiis adversatur.

Prob. natura conjugii, amore ac necessitate prolis, et incommodis ex divortio secuturis.

1° *Natura conjugii*; conjugium enim non est contractus aliis contractibus similis : postulat æquitas, si contractus dissolvatur, ut una pars non plus lædatur quam altera : at si matrimonium dissolvatur, mulier necessario plus læditur quam vir, siquidem oculis omnium manet despecta : ergo 1°.

2° *Amore ac necessitate prolis:* non tantum enim susceptos filios educant parentes, sed eos regunt, consiliis adjuvant, tum in professione eligenda, tum in ea exercenda, tum in matrimonio contrahendo, tum in familia gubernanda; eos visitant, ab eis visitantur, et sic dulcissima hinc et inde firmantur dilectionis ac benevolentiæ vincula; quod sic advertit *Rousseau, Emile,* t. II : « Les
» enfants forment un nœud vraiment indissoluble entre
» ceux qui leur ont donné l'être, et une raison naturelle
» et invincible contre le divorce. Des objets si chers, dont
» aucun d'eux ne peut s'éloigner, les rapprochent néces-
» sairement. C'est un intérêt commun si tendre, qu'il
» leur tiendrait lieu de société, quand ils n'en auraient
» point d'autre. » Præterea, saltem valde utile est ut ambo conjuges curam prolis habeant : at in casu divortii unus tantum et sæpe sola mater curam illam haberet.

3° *Incommodis ex divortio secuturis.* Etenim 1° matrimonia ideo communius sunt infelicia, quia in iis contra-

hendis plus valet libido quam ratio, plus terrestris affectio quam virtutis respectio ; præcipitanter et incaute ineuntur : quid ergo fieret si ob molestias postea deprehensas a conjuge discedere liceret ? 2° Societatis domesticæ maxime interest ut conjuges mutuis obsequiis se invicem præveniant, defectus alter alterius patienter ferant et multa sibi condonent : ad hæc autem sustinenda matrimonii indissolubilitas vehementer excitat. Contra vero spes divortii ad dissensiones, jurgia, adulteria evidenter provocaret, qui enim flamma extranea semel arderet, paratam semper haberet viam matrimonium sibi onerosum disrumpendi, scilicet vituperationes, contumelias, verbera, adulterium, etc. 3° Si vel in uno casu divortium proprie dictum admittatur, casus similes aut quasi similes frequenter occurrent, et cuncta mala superius descripta advenient. Ergo. 4° Talia esse divortii faciliter admissi incommoda probavit experientia ; divortium quippe jam introductum in Codice civili anno 1803, admissum est non quidem ut bonum in se, sed velut remedium corruptioni morum præparatum. « Le divorce en lui-même ne » peut pas être un bien ; c'est le remède d'un mal, » aiebat *Treilhard*, in oratione publica pro lege divortii coram legislatoribus habita, *Code civil et Discours*, t. I, p. 216, et tamen innumera inde orta sunt mala. Contra irreligiosam et immoralem hanc legem undique conclamatum est, donec die 8 maii 1816 abolita fuerit. In illam jam fortiter insurrexerant anno 1803 plurimi oratores, inter quos *Carion-Nisas*, coram tribunatu ; contra illam antea scripserat *Nougarède*, et postea scripsit D. *de Bonald*, qui exhibuit divortium ut societati noxium. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Per quam causam nascuntur contractus, per eam et solvuntur : ergo matrimonium, sicut aliæ conventiones, per mutuum consensum solvi potest.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod alii contractus perpetuitatem non exigant, sicut matrimonium ; nihil enim obstat quominus venditio, locatio, etc.,

dissolvantur : contra vero multæ gravesque rationes postulant ut matrimonium sit constans ac perpetuum. Ergo.

Obj. 2°. Ab omni contractu sub conditione tantum inito resilire licet, quando conditiones appositæ non implentur : at quicumque matrimonium ineunt, nonnullas semper subaudiunt conditiones, nempe fidelitatem, dilectionem, indolem congruentem, etc. : ergo, saltem ubi conditiones illæ non implentur, a matrimonio per divortium resilire licet.

R. 1°. *Nego majorem*, propter generalitatem ejus. Aliquando enim conditiones contractui appositæ sunt tantum accessoriæ, id est, partes quidem impellunt, sed earum consensum substantialiter non afficiunt ; omnes autem fatentur a contractu, in eo casu, resilire non licere defectu hujusmodi conditionum. Ergo.

R. 2°. *Nego min.* Hypothesis namque maximis incommodis obnoxia, admitti non potest : atqui talis est hypothesis nobis objecta ; ea enim semel admissa, cuncta matrimonia essent tantum conditionata, societas conjugalis concuteretur, familiæ turbarentur, et animi ubique forent anxii. Præterea, qui matrimonium ineunt, personam præsentem in conjugem assumunt cum spe secundi eventus, non quidem sine ullo metu infelicis exitus, sed sine conditione a qua pendeat consensus. Ergo. Absolute tamen non repugnat dari matrimonium conditionatum : de eo tractavimus; sed nulla hujusmodi admittenda est conditio, nisi clare exprimatur, propter incommoda modo recensita. Ergo.

Inst. 1°. Non raro conjugati dicunt se talem personam in conjugem noluisse, si eam perfecte novissent : ergo in eo casu matrimonium conditionate fuit initum.

R. Nego conseq. Aliud est enim dicere : Nolui nisi sub hac conditione, et aliud : Noluissem, si hoc vel illud novissem. In priori casu, voluntas sub conditione est suspensa : in posteriori vero, adest voluntatis mutatio ; porro in objectione nobis proposita, exprimitur tantum mutatio voluntatis. Qui, v. g., talem uxorem absolute duxit, eam postea melius cognoscens vel onera matrimo-

nii ægrius ferens, aperte dicit quod matrimonio jungi vel talem uxorem habere noluisset, si hæc novisset, non ostendit se non consensisse, bene vero ipsum pœnitere consensisse. Verum multos pœnitet aliquid fecisse, v. g., vendidisse, emisse, lusisse, se inebriasse, positive affirmant se id facere noluisse, si consectaria istius actionis novissent : attamen inde non sequitur eos non consensisse : ergo *a pari*, etc.

Inst. 2°. Sæpe contingit adeo protervum, corruptum et moribus asperum esse conjugem, ut quælibet societas cum illo sit impossibilis : ergo saltem in eo casu ad divortium recurrere licet.

R. Dist. conseq. Ad divortium improprie dictum recurrere licet, *conc.;* ad divortium proprie dictum, *nego conseq.* Divortium improprie dictum est separatio corporis, habitationis et etiam bonorum, *de qua mox dicturi sumus.* Omnes fatentur eam licitam esse in casu exposito. Non vero divortium proprie dictum ideo necessarium est; firmis enim argumentis probavimus matrimonium ex institutione sua perpetuum esse : principium autem clare perceptum vel demonstratum, non rejiciendum est propter quædam incommoda per accidens contingentia. Ergo.

Inst. 3°. In casibus supradictis præcipuus finis matrimonii, scilicet, procreatio prolis, jam obtineri non potest : ergo interest societatis et naturæ congruit ut prius vinculum solvatur et aliud creari possit.

R. Nego conseq. Bonum enim societatis non exigit tantum ut proles quacumque via nascatur, bene vero ut recte informetur, sicque ut vinculum matrimonii honoretur, firmum sit ac stabile. Ergo.

Inst. 4°. Natura vetat ne conjux innocens ad perpetuam castitatem damnetur.

R. Nego ant. Privata enim incommoda patienter toleranda sunt ut bonum generale obtineatur. Aliunde, quot personæ utriusque sexus, ob circumstantias sibi non imputabiles, nubere nequeunt! Sunt innocentes, et tamen onus perpetuæ castitatis ferre tenentur. Cur ergo magis repugnaret personas conjugatas, ob circumstantias pror-

sus involuntarias, ad servandam perpetuam castitatem obligari? Ergo.

Onus autem perpetuæ castitatis aliis gravius est et aliis minus grave, sed nemini vere est intolerabile; unusquisque enim prudenter in se vigilans occasiones fugiens, sobrie vivens et ad Deum supplex recurrens, sufficientes semper habebit vires ut se contineat. Hoc sola ratio dictat, et frequens experientia confirmat.

Libenter tamen confitemur necessariam esse revelationis auctoritatem, ut matrimonii indissolubilitas servetur in praxi; cupiditates enim adversus illam continuo pugnantes mox prævalerent, nisi gravissimis sedarentur motivis et quadam vi externa cohiberentur; quod exemplo plurimarum gentium comprobari potest.

Apud Judæos diu matrimonium fuit indissolubile : postea Deus *ad duritiam cordis*, Matth. XIX, 8, concessit eis facultatem dandi libellum repudii, Deut. XXIV, 1; *ab initio autem non fuit sic*, inquit Christus, Matth. XIX, 8. Apud Romanos per quinque aut sex priora sæcula divortium fuit prorsus inauditum (*Rollin*, t. I et IV). Fertur Carvilium uxorem suam primum repudiasse, circa annum 321 ante Christum, deinde mos ille obtinuit, et eo frequentior evasit, quo magis corrupti erant mores. Sic pariter divortium frequens est in Anglia et multa generat mala : longe frequentius fuit apud nos tempore quo admissum est. Hinc iterum concludere licet divortium bonis moribus esse noxium ac proinde jure naturali prohibitum. Sapientissime igitur Christus illud absolute proscripsit.

§ II. — An vinculum Matrimonii per libellum repudii dissolveretur apud Judæos.

Certum est Judæos habuisse licentiam uxores suas cum libello repudii dimittendi, Deut. XXIV, 1, et hunc morem usque ad Christum perseverasse, ut constat ex Prophetis, ex Matth. XIX, 3, et ex Marc. X, 2.

At inter theologos et Scripturæ sacræ interpretes controvertitur an vinculum matrimonii per hujusmodi libellum dissolveretur, nec ne. Quidam, ut Estius, Syvius,

Van-Roy, etc., negant, dicuntque divortium eis permissum fuisse ut minus malum quod legibus non puniretur, non autem ut quid a peccato immune, et vinculum nihilominus permansisse.

Alii vero multo plures, *Sanchez*, Bellarminus, *Collet*, *Billuart*, etc., tenent vinculum matrimonii eo libello solutum fuisse : quæ quidem opinio vera nobis videtur.

PROPOSITIO.

Per libellum repudii apud Judæos, vinculum Matrimonii, Deo dispensante, solvebatur.

Prob. Lex repudium permittens sic se habet in Deuter. XXIV, 1, 2, 3, 4 : *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manibus, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa, alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit : non poterit prior maritus accipere eam in uxorem, quia polluta est; abominabilis facta est coram Domino.* Unde sic : Ex illo textu uxor cum libello repudii dimissa alteri nubere poterat, qui maritus ejus vocabatur : at nisi vinculum prioris matrimonii solutum fuisset, mulier dimissa alteri nubens, adultera, et vir illam ducens, non maritus ejus, sed adulter vocari debuisset : ergo.

Præterea, mulier a secundo marito repudiata a priori recipi non poterat in uxorem : porro, si, dato libello repudii, vinculum matrimonii permansisset, non prohibitum fuisset eam recipi *in uxorem*, cum uxor esse non cessasset. Insuper, matrimonia cum repudiatis nullibi in Scriptura reprehenduntur, nisi in sacerdotibus, Levit. XXI, 14, et eo ipso aliis permittuntur : at certe reprehendi debuissent, si prius vinculum permansisset; nam tunc vera fuissent adulteria : adulteri autem morte plectebantur, Lev. XX, 10, et propter solam adulterii suspicionem mulier aquis zelotypiæ amarissimis subjiciebatur, Num. V, 14 et seq. Denique in forma libelli repudii, apud Judæos

adhuc usitata, maritus declarat se uxorem suam abjicere, eamque cuicumque viro permittere : hæc permissio intelligi non potest de adulterio : ergo.

Repudium igitur non erat tantummodo minus malum : concessum quidem fuerat Judæis ob duritiam cordis eorum, ut ait Christus, et tanquam aliquid minus perfectum : sed, Deo dispensante, id est, materiam mutante, Judæi illo utentes, nullum admittebant peccatum.

Dices : In allato textu Deuter., mulier repudiata quæ alteri nupsit, dicitur polluta et abominabilis coram Domino : ergo vinculum prioris matrimonii non solvebatur.

R. Dist. ant. Dicitur polluta et abominabilis respectu prioris viri, *conc.;* absolute, *nego ant.* Etenim mulier a viro dimissa, quæ ab alio cognita est, censetur polluta relative ad priorem. Si ad ipsum rediret, et in uxorem ejus admitteretur, daretur locus suspicandi ne maritus uxorem alteri pro tempore commodasset : unde in textu hebraico et in versione Septuaginta Interpretum non legitur *abominabilis*, sed, *hoc est abominatio coram Domino.* Ergo.

Adhuc objicitur : 1° Malachiam redarguere Judæos II, 16, ex eo quod uxores suas dimitterent; 2° Christum dixisse eum qui dimissam uxorem ducit, mœchari; et 3° additur matrimonium cum facultate dimittendi conjugem a fornicatione non differre.

Sed 1° Malachias redarguit Judæos qui uxores suas dimittunt sine causa, et præsertim ut alienigenas ducant; 2° Christus loquitur de eo qui dimissam uxorem ducit sub lege Evangelica, quod omnino prohibitum est; 3° ingens datur discrimen inter simplicem fornicationem et matrimonium cum facultate repudii, quia 1° repudium fieri non poterat, nisi observando conditiones præscriptas, quas summatim refert *Maldonat*, in Matth. XIX ; 5° liberis ex matrimonio natis providebatur; 3° solus maritus uxorem dimittere poterat, non vero uxor virum. Ergo.

Communius docent auctores dispensationem de qua hic agitur, vi cujus matrimonium dissolvi poterat apud Judæos, ante legem scriptam non exstitisse, nec tempore

legis ad gentiles respexisse, quia nihil probat illam talem extensionem habuisse.

Nunc autem, cum Christus, per legem universalem, matrimonium ad primævam firmitatem reduxerit, libellus repudii vinculum matrimonii non dissolveret, nec apud Judæos, nec apud gentiles, ac consequenter qui uxorem in infidelitate dimisisset, ad eam post conversionem redire teneretur, saltem si pacifice cum illo habitare consentiret, *juxta mox dicenda.*

§ III. — An Matrimonium infidelium dissolvi possit.

Quæstio non est an matrimonium infidelium dissolvi possit, si uterque ad fidem convertatur; certum est enim matrimonium in infidelitate legitime contractum manere firmum ac indissolubile, cum uterque conjux ad fidem convertitur.

Si vero una pars tantum ad fidem Christi convertatur, et altera, licet infidelis, cum ea pacifice habitare consentiat, manet adhuc conjugii vinculum : item si pars fidelis per legitimam dispensationem cum infideli contraxerit. Difficultas igitur in eo consistit, an videlicet, si, matrimonio in infidelitate contracto, una pars ad fidem convertatur, et altera cum illa pacifice cohabitare nolit, matrimonium dissolvi possit. Ratio dubitandi desumitur ex sequentibus B. Pauli verbis, I Cor. VII, 15 : *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Certum est in verbis antecedentibus sermonem esse de matrimonio infidelium, quorum unus fit Christianus : petitur ergo an in versu 15 Apostolus, per verbum *discedat,* solam habitationis separationem, an vero vinculi conjugalis dissolutionem intelligat. Plurimi recentiores theologi contendunt B. Paulum ibi de sola cohabitationis separatione locutum esse; at hæc sententia orta est circa medium decimi octavi sæculi, occasione Judæi *Borach-Levi,* qui ad fidem christianam conversus, et uxore ejus cum ipso habitare nolente, petiit ut facultas alteram ducendi sibi concederetur. D. *de Fitz-James,* episcopus Suessionensis, eam denegavit,

anno 1756, per suum officialem. *Borach-Levi* ad curiam Parisiensem appellavit; sed ab ea, post longam discussionem, dejectus est anno 1758, et ad vitam cælibem damnatus, donec constaret mortuam esse priorem ipsius conjugem.

Sententiam episcopi Suessionensis et curiæ Parisiensis tota Jansenistarum turba amplexa est : ei subscripserunt *Rondet, Bible de Vence, dissertation sur le Mariage des infidèles,* Theologia Lugdunensis, card. *de la Luzerne, Instructions sur le Rituel;* in eam propendet Theol. Rothom. Cæteri vero sententiam oppositam tenent, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Vinculum Matrimonii in infidelitate contracti, si unus ad fidem christianam convertatur et alter rogatus cum illo pacifice habitare nolit, dissolvi potest.

Prob. Illa sententia habenda est ut certa, quæ Scripturæ sacræ, traditioni, theologorum doctrinæ et summorum Pontificum praxi consentanea est : atqui talis est sententia quæ tenet vinculum conjugii in casu à nobis exposito dissolvi posse.

1° *Scripturæ sacræ magis consentanea est.* Postquam enim Apostolus dixit, *si discedit, discedat*, subjungit : *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi :* at si vinculum conjugii dissolvi non possit, posteriora hæc verba nullum habent sensum ; vel enim significant vinculum non esse mansurum, vel habitationem non esse servandam : verum posterius dici non potest ; etenim patet, altera parte dissentiente, nullam superesse servitutem cum illa habitandi : sed dura remaneret servitus, si vinculum nihilominus servandum esset. Ergo 1°.

2° *Traditioni.* Dicunt namque adversarii Gratianum, qui hanc doctrinam exprimit in Decreto, parte 2, causa 29, quæst. 2, primum induxisse opinionem quam omnes tenuere : ergo, saltem ab hoc tempore, nempe a medio duodecimi sæculi, doctrina nostra universaliter admissa

est. Innocentius III, in lib. 4 Decretal., tit. 19, cap. 7, relatus, eamdem doctrinam sic enuntiat : « Si enim al-
» ter infidelium conjugum ad fidem catholicam converta-
» tur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia
» divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale pec-
» catum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad se-
» cunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu in-
» telligimus quod ait Apostolus : *Si infidelis discedit, discedat*, etc. » Ergo 2°.

3° *Theologorum doctrinæ.* Fatentibus adversariis, theologi et canonistæ fuerunt moraliter unanimes a tempore Gratiani usque ad factum *Borach-Levi*, in admittenda hacce sententia, et etiam nunc communissime eam admittunt. Ergo 3°.

4° *Summorum pontificum praxi.* Bened. XIV testatur, de Synodo diœc. l. 3, cap. 21, n° 3, 1° Pium V declarasse infidelem plures uxores habentem et ad fidem conversum, eam in legitimam uxorem retinere posse quæ cum illo convertitur et baptizatur, licet non primam, aliis dimissis; 2° Gregorium XIII concessisse missionariis apud infideles degentibus facultatem dispensandi cum infidelibus conversis ab obligatione petendi consensum partis infidelis, quæ, cum sit absens, interpellari non potest, et concedit licentiam statim ad alias nuptias transeundi; 3° in lib. 6, n. 3, dicit se ad B. Petri cathedram evectum, similem concessisse facultatem; 4° plures refert sacræ Congreg. Concil. resolutiones eodem sensu expressas. Ergo.

Non licet ergo *parti conversæ ad alia vota transire, priusquam infidelis interpellatus renuat pacifice cohabitare*, nisi propter absentiam vel aliam causam interpellari nequeat, et pontificia dispensatio super hac interpellatione obtineatur.

Pars autem infidelis reputatur nolle cum fideli pacifice cohabitare, juxta verba Innocentii III, 1° si nullo modo cohabitare velit; 2° si nomen veri Dei blasphemiis insequatur, et 3° si alterum conjugem ad peccatum mortale inducere tentet.

Vinculum matrimonii probabilius non solvitur ipso conversionis vel baptismi unius partis facto, sed eo momento quo secundum initur matrimonium. Ita, referente Benedicto XIV, de Syn. diœces., lib. 6, cap. 4, n. 4, plures S. Congr. Concil. declaravit.

Idem Bened. XIV, Constitutione diei 16 septembris 1747, Bullar. t. III, ut sacrilegum proscripsit abusum quo Judæi ad fidem conversi, libellum repudii dabant uxoribus adhuc infidelibus : 1° quia Christus, indulgentiam per Moysen concessam supprimendo, matrimonium ad primam institutionem suam revocaverat; 2° quia Judæi sacro baptismate abluti, ad gentem Hebræam jam non pertinent.

§ IV. — An Matrimonium dissolvi possit apud Christianos propter unius conjugis adulterium.

Certum est apud Græcos recentiores æstimari vinculum matrimonii propter unius conjugis adulterium solvi posse. Quidam opinantur hanc sententiam apud eos semper viguisse : Arcudius in Concord. Eccl. occident. et orient., conatur demonstrare eosdem a majorum suorum doctrina recessisse.

Inter Latinos, Cajetanus, Catharinus, Erasmus, aliique plures contendunt litteris sacris et traditione non demonstrari matrimonium propter unius adulterium dissolvi non posse. Lutherus et Calvinus aperte docuerunt vinculum matrimonii in casu adulterii dissolvi posse; ipsorum sententiæ subscripsit doctor *Launoy*.

PROPOSITIO.

Matrimonium Christianorum dissolvi non potest quoad vinculum, propter unius adulterium.

Prob. Illa propositio certo tenenda est quæ probatur Scriptura sacra, conciliis, testimoniis Patrum : atqui talis est propositio nostra.

1° *Probatur Scriptura sacra.* Marc. x, 11 : *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium com-*

mittit; et Luc. XVI, 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur,* etc.; I Cor. VII, 10, 39, et Roman. VII, 2. Verba hæc generalia sunt, et casum adulterii non excipiunt.

2° *Conciliis.* In Decreto ad Armenos, Eugenius IV dicit : « Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem » facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas » est, cum vinculum matrimonii legitime contracti per» petuum sit. »

Concilium Trid., sess. 24, can. 7, sic se habet : « Si » quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, » juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter » adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum » non posse dissolvi... anathema sit. » Advertendum est patres concilii, rogantibus Venetorum legatis, verba sua ita composuisse ut Græcos anathemate non percuterent (Palav. l. 22, c. 4, n. 27) : attamen propositionem nostram æquivalenter docent, licet non definiant illam esse de fide. Ergo.

3° *Sanctis Patribus.* Non pauci quidem citantur Patres pro sententia Græcorum et Protestantium; sed multo plures antiquiores et fide digniores in gratiam doctrinæ nostræ referuntur, ut Hermas, S. Justinus, Athenagoras, Clemens Alexand., S. Chrys., S. Hier., S. Aug., etc., quorum testimonia hic referre longius esset. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. Christus, Matth. XIX, 9, dixit : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur :* ergo propter adulterium licet uxorem dimittere.

R. Nego conseq. Nam exceptio, *nisi ob fornicationem,* in verbum *dimiserit* cadit, non vero in sequentia verba, *et aliam duxerit,* adeo ut sensus sit : vir non potest dimittere uxorem suam, nisi ob fornicationem, et si eam dimittat, alteram ducere non potest. 2° Evangelistæ Marcus et Lucas, in textu correspondente, omissa fornicationis causa, generatim affirmant eum qui, dimissa uxore sua,

aliam ducit, mœchari. Textus autem Scripturæ alii per alios explicandi sunt. Unde S. Aug., l. 1 de Conjug. adult., cap. 11, sic habet : « Quoniam fas non est ut » Evangelistas de re una loquentes... dissentire dicamus, » restat ut Matthæum intelligamus eamdem tenuisse sen» tentiam, ut omnis qui dimittit uxorem suam et ducit » alteram, mœchari minime dubitetur. » Ita multi alii Patres, ut S. Ambros., S. Basil., S. Chrysost., etc. 3° Non privato judicio, sed traditione et auctoritate Ecclesiæ genuinus Scripturæ sensus exquirendus est : at concilium Tridentinum definit Ecclesiam non errare cum docuit et docet vinculum matrimonii propter fornicationem alterius conjugis dissolvi non posse, hancque doctrinam vocat *Evangelicam* et *Apostolicam* : ergo eo sensu intelligenda sunt verba nobis objecta.

Inst. 1°. Christus respondebat Pharisæis eum interrogantibus an liceret uxorem dimittere : porro Pharisæi habebant in mente dimissionem cum libello repudii, quæ vinculum matrimonii solvebat : ergo eodem sensu Christus adhibere debuit verbum dimittere.

R. Nego conseq. Duo enim Pharisæi petebant a Christo, videlicet, 1° an liceret uxorem *ex quacumque causa dimittere,* et 2° aliam ducere. Ad prius, dicit non dimittendam esse nisi ob gravem causam, puta ob fornicationem; et ad posterius, negat licere, ea dimissa, aliam ducere, quia facultatem repudii sustulerat : certe clara est ista responsio et Pharisæorum interrogationi optime congruit. Ergo.

Inst. 2°. Si præfata Christi verba sic intelligenda sint, sola fornicatio seu adulterium erit causa separationis quoad torum et habitationem : attamen plures sunt aliæ causæ : ergo.

R. Nego maj. 1° Adulterium est præcipua causa separationis quæ fit in conjugio, 2° est sola causa separationis quæ fit jure matrimoniali in perpetuum et sine ulla spe reditus : idcirco Christus respondens Pharisæis, eam allegat; sed alias causas omni societati communes, v. g., sævitias et verbera non excludit. Ergo.

§ V. — An vinculum Matrimonii per solemnem religionis professionem solvi possit.

Non agitur de matrimonio rato et consummato; apud omnes constat illud per professionem religiosam solvi non posse.

Quæstio est igitur de solo matrimonio rato et non consummato. Certum est adhuc matrimonium istud solvi non posse per vota simplicia, quæcumque sint, nec per sacrorum ordinum susceptionem, nec *a fortiori* per ingressum in religionem aut per receptionem habitus sacri. Status ergo quæstionis ad hoc reducitur, an scilicet matrimonium ratum et non consummatum per solemnem religionis professionem dirimatur.

Negant Protestantes et plerique Jansenistæ, inter quos *Tabaraud*, qui, in libro dicto : *Principes*, etc., ausus est, affirmare concil. Trid. sibi contradixisse, docendo ex una parte matrimonium esse indissolubile, et definiendo, ex altera parte, illud per solemnem religionis professionem solvi posse. Sententiam oppositam tenent universi catholici.

PROPOSITIO.

Vinculum matrimonii rati et non consummati per solemnem religionis professionem solvitur.

Prob. 1° *concil. Trid.*, sess. 24, can. 6 : « Si quis dixe» rit matrimonium ratum, non consummatum, per » solemnem religionis professionem alterius conjugum » non dirimi; anathema sit; » igitur propositio nostra nullatenus a catholico rejici potest.

Prob. 2° *jure canonico*. Lib. 3 Decretal., tit. 32, cap. 2, Alexander III definit unum conjugem, altero etiam repugnante, eligere posse monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, et alteri remanenti licitum esse ad secunda vota transire. Innocentius III, eodem libro ac titulo, cap. 14, dicit : « Nos tamen no» lentes a prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, » qui respondere consulti antequam matrimonium sit

» per carnalem copulam consummatum, licere alteri con-
» jugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita
» quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari,
» hoc ipsum tibi consulimus observandum. » Antea igitur eadem doctrina a summis Pontificibus docebatur, cum Innocentius III dicat se a prædecessorum suorum vestigiis declinare nolle. Ergo 2°.

Prob. 3° *ratione.* Saltem a tempore Alexandri III, anno 1181 defuncti, in universa Ecclesia catholica firmatum et creditum est matrimonium ratum et non consummatum per solemnem religionis professionem dissolvi : at, juxta principium S. Aug. ubique receptum, « quæ sunt
» contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec ta-
» cet, nec facit (Ecclesia). » Aliquid tamen contra fidem et bonos mores approbasset, si vera non esset propositio nostra. Ergo 3°.

Ratio autem cur matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi possit, non vero matrimonium consummatum, repetenda est 1° a voluntate Christi per traditionem nobis transmissa et auctoritate Ecclesiæ notificata; 2° a natura hujusmodi conjugii; cum enim conjuges eadem caro nondum facti fuerint, incarnatio Christi non repræsentatur, sed tantum unio spiritualis ejus cum Ecclesia : atqui hæc repræsentatio non tollitur per professionem religionis, siquidem sponsi, licet quoad vinculum separati, mutuo amore nihilominus devinciri possunt; vel dici potest unionem spiritualem, per mortem spiritualem, sicut unionem carnalem, per mortem carnalem, dissolvi posse : *ita multi theologi;* 3° ex appositione conditionis saltem jure ecclesiastico statutæ, *nisi vota religionis emiserim;* in ea hypothesi vinculum incipit existere in momento consummationis matrimonii.

Hinc matrimonium, juxta multos theologos, per solemnem religionis professionem jure divino, id est exceptione ab ipso Christo in lege circa matrimonii indissolubilitatem apposita dissolvitur, sive professio religiosa solemnis etiam in primis Ecclesiæ sæculis exstiterit, ut quidam volunt, sive Christus eam respexerit tantum ut

futuram; alii non pauci contendunt illud jure naturali, defectu scilicet conditionis appositæ, dissolvi; alii denique jure ecclesiastico, et hæc ultima sententia videtur communior ac probabilior.

Alexander III, loco citato, cap. 7, duos post initum matrimonium concedit menses ad deliberandum de ingressu religionis vel de matrimonio consummando.

Vinculum matrimonii per solam professionem solvitur : sponsus igitur in sæculo relictus exspectare tenetur donec compleatur annus novitiatus, et tunc exigere potest ut alter profiteatur vel ad se revertatur.

Cum, propter leges civiles nunc exstantes, nulla probabilius emitti possint vota solemnia apud nos, matrimonium ratum et non consummatum per hanc viam solvi non potest. Præterea rarissime inveniuntur casus hujus generis : igitur plures difficultates ad hanc quæstionem attinentes consulto omittimus.

§ VI. — An Matrimonii vinculum solvi possit per dispensationem summi Pontificis.

Certum est matrimonium consummatum sic solvi non posse. De solo igitur matrimonio rato, et non consummato, quæstio moveri potest. Duplex hac de re est theologorum opinio.

Alii namque facultatem istam summis Pontificibus tribuunt, et his præcipue rationibus nituntur : 1° exemplo plurium summorum Pontificum qui in hoc dispensarunt, nempe Martini V, Eugenii IV, Pauli III, Pii IV, Gregorii XIII, Clementis VIII, et Urbani VIII, etc.; 2° propositione præcedenti, matrimonium enim ratum per solemnem religionis professionem dissolvitur : atqui summus Pontifex in solemni religionis professione dispensare potest : ergo *a fortiori* super matrimonio rato et non consummato; 3° ratione : Hæc, inquiunt, potestas regimini Ecclesiæ utilis est; ergo ipsi a Deo fuit concessa per hæc verba *Quodcumque solveris*, etc., Matth. XVI, 19, quia hæc verba, cum sint generalia, ad omne vinculum solubile extenduntur : atqui vinculum matrimonii

non consummati est solubile, ut ex propositione præcedenti constat : ergo.

Alii vero multi hanc facultatem summo Pontifici denegant : 1° quia Christus generaliter et sine ulla restrictione dixit, Matth. XIX, 6 : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* 2° Quia nullus citatur Pontifex qui talem sibi attribuerit potestatem ante Martinum V. Si tamen summi Pontifices eam a Christo accepissent, numquid per quatuordecim sæcula illam non exercuissent, aut nulla hujusmodi actuum remanerent vestigia?

Attamen, cum de facto plures Romani Pontifices vinculum matrimonii rati et non consummati, per dispensationem solverint, concludendum est eos hanc habere potestatem quam certissime non habent episcopi.

§ VII. — De separatione quoad torum et cohabitationem, seu de divortio improprie dicto.

De fide est Ecclesiam non errare docendo matrimonium dissolvi posse quoad torum et habitationem, remanente vinculo : sic enim se habet concil. Trid., sess. 24, can. 8 : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum, ob mul» tas causas, separationem inter conjuges quoad torum, » seu quoad habitationem, ad certum incertumve tem» pus fieri posse decernit; anathema sit. » Idem habetur in jure canonico, l. 4 Decretal., tit. 19, de Divortiis.

Sub duplici respectu hæc separatio spectari potest, theologice scilicet et civiliter.

P. I. — *De separatione conjugum theologice spectata.*

Constat illam separationem licite fieri ob multas causas quæ ad tres revocari possunt.

1° Ob adulterium : hanc causam ipse Christus assignavit, Matth. V, 32 : *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Item apud eumdem Evangelistam, XIX, 9, et Marc. X, 11. Tota traditio et universæ scholæ catholicæ hos textus saltem de separatione corporum intellexerunt.

Per fornicationem non solum intelligitur adulterium,

sed omnis concubitus illicitus, ut sodomia et bestialitas, quia per hos actus fides conjugalis frangitur; non vero tactus, amplexus, nec pollutio, quia in his casibus fides conjugalis læditur quidem, sed non omnino violatur.

Uterque conjux eamdem habet facultatem alterum, fornicationis causa, dimittendi, sed ad id non tenetur, quia injuriam sibi illatam condonare potest. Vir tamen uxorem in commercio adulterii viventem retinere non potest, nisi majus prævideat malum ex dimissione ejus proventurum, quam ex conservatione unionis, quod non raro accidit. Caveat tamen ne videatur crimini ejus consentire. Eo sensu applicanda sunt verba Prov. XXIII, 22 : *Qui tenet adulteram, stultus est et impius.* Pœnitentem igitur et amplius non peccare promittentem retinere potest, non vero promittere nolentem, nisi per exceptionem, ob incommoda prævisa. Non ita est de muliere respectu viri, ut evidens est : communiter illi consulendum est, e contra, præsertim si exstant liberi, ut separationem ab illo propter adulterium non petat, sed amore, patientia, longanimitate, precibus et virtutis exemplo ad meliorem frugem eum adducere conetur.

Ob unicam fornicationem conjux fidelis alterum quantumvis pœnitentem in perpetuum dimittere potest et nunquam recipere; imo potest perpetuam castitatem vovere, et si divortium legaliter pronuntietur, religionem solemniter profiteri vel Ordines sacros suscipere.

Quædam tamen necessariæ sunt conditiones ut separatio propter adulterium licite fiat, scilicet : 1° ut adulterium certo commissum fuerit; injustum quippe foret aliquem jure certo spoliare ob culpam dubiam; 2° ut fuerit voluntarium; unde, si mulier fuisset vi oppressa, vel si bona fide credens maritum esse mortuum, alii nupsisset, non daretur locus separationi; 3° ut non sit mutuum, quia tunc existeret compensatio ; 4° ut alteri non sit imputabile, quia illud suasit vel illi consensit, vel, si de muliere agatur, quia vir, commercium ejus sciens, non improbavit nec impedivit, cum potuisset; 5° ut crimen non fuerit condonatum vel expressis verbis, vel actum

conjugalem exercendo post ipsius cognitionem adeptam. Vide prima capita tituli *de Divortiis,* superius citati.

Commercium ante matrimonium habitum et post illud detectum non esset causa separationis; etenim haberi non posset ut actus infidelitatis.

2° Secunda causa separationis inter conjuges est grave periculum animæ vel corporis, videlicet 1° hæresis vel apostasia a fide, Decret. p. 2, causa 28, quæst. 1, c. 6, et Decretal. l. 3, tit. 3, cap. 21. Unus aut alter actus hæresis non sufficeret; requiritur habitus vel adhæsio externa sectæ hæreticæ. 2° Sollicitatio ad peccatum, v. g., ad nefandum sodomiæ crimen, ad adulterium, ad furtum, etc. 3° Sævitiæ, verbera immoderata, continua jurgia, convicia, odium implacabile et alia quæ, habita ratione personæ et qualitatum ejus, judicio viri prudentis reputanda sunt gravia; Decretal. lib. 2, tit. 13, cap. 8 et 13. Ira transiens, leves rixæ, percussio gravis, sed ex perturbatione insolita, non essent causæ sufficientes separationis. 4° Prodigalitas rei domesticæ, bonorum conjugis et liberorum dissipatio, cui remedium afferri non potest, legitimum daret locum separationi. 5° Insidiæ ad mortem vel ad mutilationem tendentes, periculum morbum contagiosum contrahendi, etc.

In cunctis casibus istis separatio ex natura sua non est perpetua; causa enim sublata et debita satisfactione reddita, conjux innocens ad alium redire vel illum recipere tenetur, ac consequenter religionem ingredi non potest.

3° Tertia causa legitimæ separationis est mutuus sponsorum consensus, nempe 1° quoad torum ad tempus, juxta hæc B. Pauli verba, I Cor. VII, 5 : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ;* 2° quoad habitationem et in perpetuum, ut vitam perfectiorem amplectantur, vel uterque religionem ingrediendo, vel unus religionem ingrediendo, et alter in sæculo manens, perpetuam castitatem publice vovendo, dummodo incontinentiæ non sit suspectus; Decretal. l. 3, tit. 32, cap. 4 et 8 : vel maritus Ordines sacros suscipiendo, uxore continentiam profitente in aliqua religione

etiam non approbata, aut publice in sæculo, si incontinentiæ non fuerit suspecta. Ibid. cap. 5.

Quæritur 1° an separatio inter conjuges privata auctoritate fieri possit.

R. 1°. Quoad torum fieri potest : 1° ex mutuo consensu, secluso incontinentiæ periculo; 2° si adulterium certo et voluntarie fuerit commissum, conjux fidelis ex tunc et in perpetuum jura matrimonii denegare potest.

R. 2°. In casu atrocium sævitiarum, sponsus innocens consilio confessarii in locum tutum statim fugere potest, et quando experientia constat conjuges pacifice secum habitare non posse sine periculo salutis, possunt, ex mutuo consensu, et approbante episcopo aliove superiore ecclesiastico, vivere separati et ad Ecclesiæ sacramenta admitti, si non timeatur scandalum. *A fortiori*, manere possunt separati, ex mutuo consensu, ob rationabilem causam, qualis esset negotiorum gestio, longum iter suscipiendum, etc.

R. 3°. His casibus exceptis, separatio quoad habitationum licite fieri non potest sine judicis sententia, 1° ob scandalum inde proveniens et periculum ne hujusmodi separationes sæpius fiant; 2° quia agitur de infligenda pœna gravi et publica. Excipiunt quidam auctores nisi publicitas causæ sententiæ judicis æquivaleat.

Quæritur 2° cujus sit sententiam separationis ferre.

R. Concilium Trid., sess. 24, cap. 12, anathemate percussit eos qui dicerent *causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos*. De fide est ergo causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos, videlicet ad officiales, et eorum defectu ad episcopos pertinere : at separatio conjugum certe est causa hujus generis. Unde in plerisque regionibus catholicis ad officiales defertur; sic olim in Gallia judicabatur, et sententia officialis canonice pronuntiata pro utroque foro valebat, principibus in hoc consentientibus. Negari quippe non potest prædictas causas, inquantum ad societatem civilem spectant, ad potestatem sæcularem pertinere : igitur, nisi princeps aliud expresse vel tacite ordinaverit, judices sæculares eas ad tribunalia

sua evocare possunt, et sententia ecclesiastica nullam habet vim in foro civili.

Hinc, sub hoc prætextu, parlamenta longe ante publicarum rerum conversionem, jurisdictionem ecclesiasticam sæpissime lacesserunt eamque læserunt, episcopis incassum adversus intiusmodi vexationes reclamantibus. Tandem tribunalia ecclesiastica, in turbatione generali, fuerunt destructa, et jurisdictio contentiosa officialitatum cessavit. Ex tunc episcopi gratiosam tantum per se aut per vicarios generales exercent jurisdictionem, id est, si causæ matrimoniales ad eos deferantur, per modum decisionis doctrinalis statuunt quid, juxta conscientiæ regulas, licite fieri possit aut debeat. In casibus dubiis ad eos recurrendum est; ubi vero causa separationis adeo clara est ut nullum sit dubium, ex solo prudentis confessarii aut parochi suffragio ad separationem civilem procedere licet, et conjuges sic legaliter separati, propter causas justas et evidentes, ad sacramenta Ecclesiæ publice admitti possunt.

Quæritur 3° an, marito domicilium mutante, uxor eum sequi teneatur.

R. Tenetur, quia vir caput est mulieris, nisi forte 1° continuo vellet vagari; vel 2° uxor ex itinere grave periculum animæ vel corporis incurreret; vel 3° maritus absque necessitate in regionem valde remotam migrare vellet; vel 4° aliter inter eos conventum fuisset ante matrimonium; et etiam in hoc ultimo casu, si gravis necessitas, v. g., insalubre cœlum, maritum in alium locum vocaret, mulier ordinarie eum sequi teneretur. Ita *Dens.*

Quæritur 4° an conjuges in religionem e mutuo consensu ingredi possint.

R. Si uterque religionem ingressus, simul profiteatur, nulla est difficultas : si vero unus in sæculo remanens, sine fornicationis suspicione esse possit, puta, quia provectæ est ætatis et bonæ famæ, atque perpetuam castitatem voveat, alter monasterium ingressus solemniter ex libero consensu ejus profiteri potest. Ita Alexander III, Decretal. lib. 3, tit. 32, cap. 1. Vir de consensu uxoris,

religionem ingredientis vel castitatem voventis, Ordines sacros suscipere potest : at si mulier esset adhuc junior, vel de incontinentia suspecta, religionem ingredi teneretur. Ita Alexander III, loco citato, cap. 1, et Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 12, n. 10 et seq., quæst. can. 254, 391 et 578.

P. II. — *De separatione conjugum civiliter spectata.*

Quando divortium proprie dictum lege diei 31 martii 1803 fuit sancitum, *Portalis,* minister cultuum, totis viribus conatus est separationem corporum olim usitatam servare tanquam refugium pro infelicibus sponsis, qui legitimas habent causas separationis, et divortium religioni suæ contrarium petere nollent, hancque tanti momenti dispositionem obtinuit. Lex autem divortium permittens altera lege diei 8 maii 1816 revocata est, et sola remansit facultas separationem corporum, quæ separationem bonorum importat, obtinendi.

Causæ separationis, lege statutæ, sunt : adulterium, sævitiæ et condemnatio ad pœnam infamantem.

1° *Adulterium.* Vir separationem petere et obtinere potest propter unicum adulterium uxoris; *Cod. civ. art.* 229. Uxor vero eam obtinere nequit ob adulterium, nisi maritus concubinam in domo conjugali habeat, *art.* 230. Ratio differentiæ est, quod adulterium mulieris multo gravius sit crimen, præsertim ratione periculi putativos hæredes in familiam introducendi.

2° *Sævitiæ.* In art. 231 Codicis exprimuntur excessus, sævitiæ et injuriæ graves.

Nomine excessuum ii intelligendi sunt actus qui omnem excedunt mensuram, et vitam alterius conjugis in periculo constituunt. Sævitiæ simpliciter sunt quidam actus crudelitatis, qui tamen vitam in discrimen non adducunt. Injuriæ in solis verbis consistunt, et graves non reputantur, nisi in infamiam alterius conjugis tendant, probitatem ejus et morum integritatem lædentes. Gravitas earum a qualitate personarum et circumstantiis multum pendet : idcirco judicum est decernere an graves vel

leves habendæ sint. Injuriæ litteris tantum expressæ ex adjunctis reputari possunt graves. *Toullier*, t. II, p. 41, n. 672.

Contra vero injuriæ graves in se judicari possunt leves, si mulier eas provocaverit, adulterium committendo, viros suspectos frequentando, maritum dicteriis lacessendo, verberibus afficiendo, etc. *Toullier*, t. II, n. 764.

3° *Condemnatio ad pœnam infamantem*; æquitas enim non sinit conjugem innocentem teneri sufferre infamiam quam alter culpa sua sibi struxit. Pœnæ autem infamantes sunt mors, perpetuæ triremes, deportatio, triremes ad tempus, reclusio, expositio publica, exsilium et degradatio civica; *Code pénal, art.* 7 *et* 8. Sed necesse est ut sententia sit irreformabilis : unde separatio obtineri non posset ob condemnationem per contumaciam, nec pariter ob condemnationem matrimonium antecedentem, etiamsi conjux innocens eam ignorasset.

Separatio conjugum ex mutuo consensu legaliter fieri non potest, *Cod. civ., art.* 307; timuerunt enim legislatores ne frequentior fieret et innumeri inde nascerentur abusus, tum in cupiditates liberius explendas, tum ad debita creditoribus non solvenda.

Nec aliæ in foro civili agnoscuntur separationis causæ, v. g., morbus venereus, nisi ex aliquibus circumstantiis haberi possit ut sævitia aut gravis injuria erga alterum sponsum.

Notandum conjuges, etiam per sententiam separatos, semper, tuta conscientia, in foro interno et externo coadunari posse; separationem vero bonorum juridice pronuntiatam revocare non possunt nisi per novum contractum coram notario initum, juxta dispositionem Cod. civ., art. 1451.

CAPUT TERTIUM.

DE SPONSALIBUS.

Sponsalia, a *spondendo* seu sponte promittendo sic dicta quia vir et mulier voluntarie ac libere mutuo sibi matrimonium repromittunt, definiuntur in jure canonico, Decreto, causa 30, quæst. 5, cap. 3, *futurarum nuptiarum promissa.* De illorum conditionibus, obligatione et dissolutione breviter agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONDITIONIBUS AD VALIDITATEM SPONSALIUM REQUISITIS.

Sex hujusmodi communiter enumerantur conditiones : scilicet, 1° ut promissio matrimonii sit vera, 2° mutua et ex utraque parte acceptata, 3° libera, 4° exterius manifestata, 5° inter personas determinatas, et 6° inter personas jure habiles.

1° *Promissio debet esse vera;* sponsalia enim valida obligationem inducere debent, *ut ex dicendis patebit :* at promissio non vera obligationem non induceret, siquidem obligatio ex intentione se obligandi provenit. Unde promissio ficta nulla esset pro foro interno, *ut dicemus infra,* ubi de consensu ad matrimonium requisito; nec sufficeret promissio de sponsalibus contrahendis, nec simplex propositum sine intentione se obligandi.

2° *Requiritur ut illa promissio sit mutua et ex utraque parte acceptata;* hæc enim promissio utrumque sponsum astringere debet : necesse est ergo ut uterque consentiat, et consensum alterius acceptet.

3° *Ut sit libera.* Obligatio sponsalium oritur ex ipsomet contractu; nemo autem obligationem gravem sibi imponit, nisi eam saltem habeat libertatem quæ ad peccandum mortaliter requiritur : hinc infantes usum rationis

nondum habentes, ebrii, amentes nisi lucida intervalla habeant, etc., sponsalia valide contrahere nequeunt. Similiter sponsalia, ex metu gravi et injusto exorta, irrita sunt defectu libertatis, sin jure naturali, quod inter theologos controvertitur, saltem jure canonico; Decretal. l. 4, tit. 2, c. 11.

4° *Exterius manifestata.* Necesse est ut ab utraque parte acceptetur : acceptari non potest nisi intelligatur, nec intelligi nisi exterius sufficienter exprimatur. Ergo, etc. Sufficienter autem exprimi potest verbis et nutibus, per litteras et per procuratorem, *ut patet;* sed æquivocatio et obscuritas caute devitandæ sunt : unde verba, *aliam non ducam,* vel *aliam non accipiam, nisi te,* non sufficiunt, nisi aliæ circumstantiæ manifestent promittentem habere intentionem matrimonium ineundi.

Verba aut signa debent esse de futuro, et non de præsenti, alioquin matrimonium, non vero promissionem matrimonii exprimerent, ac proinde vera non essent sponsalia. Hinc sacra Congregatio concilii Trid. interpres pluries declaravit matrimonium clandestinum ne valere quidem ut sponsalia; Benedictus XIV, Inst. 46, n. 22.

5° *Debet esse inter personas determinatas;* matrimonium enim valide contrahi non potest inter personas indeterminatas : ergo nec promissio matrimonii. Unde si quis promitteret tribus sororibus, promissionem ejus simul acceptantibus, se unam ex illis ducturum esse in conjugem; hæc promissio serio facta quoddam induceret vinculum justitiæ, non autem sponsalium, nec ideo impedimentum publicæ honestatis generaret.

6° *Requiritur ut personæ sint jure habiles,* id est, ad contrahendum matrimonium idoneæ : si enim matrimonium inter eas impossibile esset, valide promitti non posset. Hinc sponsalia cum persona conjugata, vel inter personas quæ habent impedimentum perpetuum de quo nulla conceditur dispensatio, non sunt valida. Si vero impedimentum esset ad tempus vel dispensabile, et sponsalia inirentur pro tempore quo cessaret impedimentum, sive per tempus, sive per dispensationem, nihil obstaret

quominus valida essent, et conditione impleta, transirent in absoluta absque novo consensu. In eo casu dispensatio communibus expensis sollicitanda esset, nisi aliter conventum fuisset, et, ipsa denegata, nulla forent sponsalia, *ut patet.*

Impuberes, usum rationis habentes, apti sunt ad ineunda sponsalia pro tempore quo nubere ipsis licebit, modo septem annos completos habeant, sive mas, sive femina : ita statuit Ecclesia. Decretal. l. 4, tit. 2, de Dispensatione impuberum, cap. 4 et 5.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBLIGATIONE SPONSALIUM.

Sed duplici respectu considerari potest obligatio sponsalium : vel eo sensu quod matrimonio præmitti debeant, vel quod præmissa stricte obligent.

De obligatione ea præmittendi.

Certum est 1° sponsalia ad validitatem matrimonii non pertinere.

Certum est 2° nullam legem aut consuetudinem generalem Ecclesiæ ea præscribere, et in multis diœcesibus non esse in usu.

Certum est 3° episcopos ea pro diœcesibus suis propria auctoritate supprimere posse. Sequitur ex eo quod nulla lege generali præscribantur. Forte convenientius esset ea de facto tollere : ideo quippe instituta fuerunt, 1° ut matrimonium tot difficultatibus intricatum non temere, sed matura deliberatione contraheretur; 2° ut convenienti pietate sponsi se ad illud præpararent, et de successu non dubii, cunctis ad nuptias celebrandas necessariis securius providerent; 3° ne *vilem habeat maritus datam quam non suspiravit sponsus dilatam,* ait S. Aug., l. 8 Conf., cap. 3; 4° ut interea fierent bannorum proclamationes, et detegerentur impedimenta. At cum sponsalia nunc fiant, saltem multis in locis, immediate ante matrimonium ecclesiasticum, et post contractum civilem,

nullus ex his finibus sperari potest : sunt ergo sine objecto reali, et tanquam reliquiæ veteris disciplinæ haberi debent. Imo, si contractu civili jam inito celebrentur, aliquam contradictionem exprimere videntur; quomodo enim qui indissolubiliter jam devinciuntur, futurum matrimonium sibi promittere possunt? Verumtamen parochi sponsalia ex propria auctoritate omittere nequeunt in diœcesibus ubi mos illa celebrandi adhuc viget.

De obligatione sponsalium valide initorum.

Omnis contractus valide initus, cujus objectum est quid grave, obligat sub peccato mortali : atqui objectum sponsalium est quid grave, nempe matrimonium contrahendum : ergo sponsalia valide inita, jure naturali obligant sub peccato mortali. Sponsalia autem clandestina, id est privatim inita, sunt jure communi ecclesiastico valida, quia decretum concilii Trid. contra clandestinitatem spectat tantum ad matrimonium; nihil dicit de sponsalibus, et nulla invenitur alia lex, quæ specialem requirat formam ad ineunda sponsalia.

Dicimus *jure communi*, quia olim in pluribus diœcesibus sola agnoscebantur sponsalia solemnia. Novum jus civile in Gallia ne ullum quidem de iis dicit verbum.

Unde inferunt communiter jurisperiti ea legitime fieri posse, modo adsint conditiones ad valide contrahendum requisitæ, siquidem nec a lege reprobantur, nec bonis moribus adversantur.

Hoc posito, qui a promissione matrimonii sine justa causa resiliret, ad ineundum matrimonium in foro civili cogi non posset.

Sed probabilius ad solvendam compensationem arbitrio judicum vel æstimatione virorum vulgo dictorum *experts* determinandam astringeretur : sic olim judicabant parlamenta, et, anno 1712, Curia Paris. damnavit D. *Maynon* ad solvenda sexaginta millia librarum sponsæ quam ducere recusabat (*d'Héricourt, Lois eccl., tit. du Mariage, art.* 1, *n.* 13). Codex civilis dicit, art. 1142, obligationem faciendi aut non faciendi resolvendam esse

in obligationem solvendi damna, defectu exsecutionis : at promissio matrimonii est certe obligatio aliquid faciendi. Si ergo illius existentia legaliter probari posset, daretur locus petitioni damnorum. Ita *Toullier,* t. VI, p. 332.

Jus autem canonicum nullam subiit mutationem. Statuerat Alexander III, Decretal. l. 4, tit. 1, cap. 10, sponsum renuentem sine justa causa, cogendum esse a judice ecclesiastico per censuras; sed prævaluit, saltem in Gallia, altera Constitutio Lucii III, decernentis sponsum in eo casu potius monendum quam cogendum esse, propter infelices exitus matrimoniorum cum nimia repugnantia initorum. At injuste resilientes a compensandis damnis non eximuntur. Ita olim judicabant officiales pro foro externo. Hanc regulam sequi debent confessarii in foro interno : adhortationibus premant exsecutionem promissionis, et si eam obtinere nequeant, præcipiant reparationem damni aut liberam utriusque partis compositionem, quod ordinarie melius est. Eam per se vel per mediationem alicujus tertiæ personæ petant.

Quæritur 1° an matrimonium civiliter tantum initum habeat vim sponsalium.

R. Vel partes contrahunt per verba de præsenti, sine intentione ad Ecclesiam recurrendi, et tunc est matrimonium clandestinum sine parocho et testibus celebratum : sacra autem Cong. Concil. pluries respondit matrimonium clandestinum non habere vim sponsalium et ita docet Bened. XIV, Inst. 46, n. 23 : vel habent intentionem ad Ecclesiam recurrendi; et tunc non nisi de futuro fidem quodam modo sibi promittunt. Talis contractus videtur coram Ecclesia habere vim sponsalium. De impedimento ex illo nascente dicemus ubi de impedimento honestatis publicæ.

Quæritur 2° an scriptio formulæ bannorum, *il y a promesse et accord de mariage,* etc., præsentibus viro et muliere, testibus ac parocho vel magistratu civili, æquivaleat veris sponsalibus.

R. Æquivalet promissioni serio factæ, conscientiam

liganti, et obligationem inducenti damnum reparandi, si absque causa legitima fiat resilatio. Hæc non videntur dubia. An vero inde sequantur consectaria sponsalium proprie dictorum, hoc videtur pendere a voluntate episcoporum, cum in jure canonico nulla inveniatur lex de hujusmodi conventione specialiter tractans.

Queritur 3° an liceat confirmare sponsalia per juramentum, vel per appositionem pœnæ ab eo qui resiliet exsolvendæ.

R. Apud omnes constat licere ea juramento confirmare.

Quoad clausulam pœnæ, docent omnes eam irritam esse si talis sit ut extendatur ad eum qui justa de causa resiliret. Si autem spectet tantum ad injuste resilientem, multi dicunt eam prohibitam esse jure ecclesiastico et nullius esse roboris, ut pote libertati matrimonii contrariam. Multi alii, præsertim inter recentiores, ut *Van-Roy*, *Billuart*, S. Ligorius, contendunt licitum esse talem pœnam contra injuste resilientem constituere. Id probabilius nobis videtur, nec Decretal. l. 21, tit. 1, cap. 29, oppositum. Etenim in eo capite agitur de sponsalibus a puella infra septennium contractis, et de pœna a parentibus apposita : porro talis pœna libertati matrimonii evidenter nocet; non autem pœna a majoribus ætate libenter statuta contra injuste resilientem. Ergo.

Quidquid sit, certum est arrhas non esse prohibitas : arrhæ autem sunt munera in pignus amoris, hic et nunc tradita, quibus sponsi ad implendam mutuam promissionem alliciantur. Ratio cur jure canonico non prohibeantur, dum pœna quandoque prohibetur, est quia ordinarie cautiores sunt homines in dando quam in promittendo : minus ergo timendum est ne libertati matrimonii noceatur per arrhas quam per appositionem pœnæ in futuro solvendæ. Si unus tantum dedit arrhas et injuste resiliat, eas perdit ; si juste resiliat, arrhæ ipsi restituendæ sunt. Recipiens vero, si injuste resiliat, arrhas restituere debet in duplum. Sic etiam habetur in Codice civ., art. 1590.

Si uterque arrhas dedit et accepit, tunc injuste resi-

liens debet perdere quas dedit et restituere quas accepit. *Ferraris*, v° *Arrha.*

ARTICULUS TERTIUS.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

Nullum est dubium quin sponsalia ob justas causas dissolvi possint; causæ istæ sex numerantur : nempe 1° mutuus consensus; patet ex Decretal. lib. 3, tit. 1, de Sponsalibus et Matrim., cap. 2. Ratio est, quia omnis contractus solubilis per quas causas nascitur, per eas dissolvi potest. Excipiuntur impuberes, qui a sponsalibus valide initis resilire non possunt nisi intra triduum post adeptam pubertatem, et modo commixtio carnis non exstiterit. Sic Alexander III statuit, Decretal. l. 4, tit. 2, cap. 8. Consensus debet esse ex utraque parte omnino liber, sine metu, vi aut fraude : si sponsalia juramento essent confirmata, nihilominus mutuo consensu dissolvi possent, quia juramentum sequitur naturam contractus cui adjicitur. Si tempus ad ineundum matrimonium determinatum fuisset, elapso tempore, pars ad nuptias parata resilire posset, alia conventioni non stante.

2° Matrimonium cum altera persona valide initum. Cum enim matrimonium semel initum, sit indissolubile, reddit promissionem alterius matrimonii impossibilem, proindeque nullam; sed existit obligatio damnum compensandi, et, mortuo conjuge, fidem prius datam servandi, si pars altera eam requirat.

3° Impedimentum superveniens, v. g., affinitas ex commercio illicito; stante enim impedimento, sive dirimente, sive impediente, promissio matrimonii impleri non potest, saltem absque peccato : ergo jam non obligat. Attamen, si impedimentum ex culpa unius sponsorum proveniat, et pars innocens matrimonium exigat, reus dispensationem impedimenti propriis sumptibus sollicitare tenetur.

4° Electio status perfectioris, id est, status religionis approbatæ ; nam, ex conc. Trid., sess. 24, can. 6, constat

matrimonium ratum et non consummatum, per religiosam professionem dirimi posse : ergo *a fortiori* dirimuntur sponsalia. Nulla fit alteri parti injuria, quia ex jure canonico, in sponsalibus semper subauditur hæc conditio : nisi religionem ingrediar. At qui puellam sub spe matrimonii stuprasset, eam ducere teneretur ; nec religionem ingredi posset, nisi de libero ejus consensu, quia tunc puella injuste læderetur.

Simplex ingressus religionis et susceptio habitus sponsalia non dissolvit, quia sponsus nondum est ligatus, et, ad sæculum rediens, promissioni suæ stare debebit, si altera pars id requirat : sed ingrediens religionem, juri suo renuntiare censetur, et altera pars jus habet eo ipso sponsalia dissolvendi.

Quæritur 1° an votum ingrediendæ religionis sponsalia dirimat.

R. Si ante sponsalia emissum fuerit, ea irritat ; non item si illa sequatur. Certum est enim licitum esse ingredi religionem, etiam post matrimonium ratum et non consummatum : ergo et post sponsalia, quia, ex jure canonico, in sponsalibus, sicut in matrimonio rato, subauditur conditio, *nisi religionem ingrediar.* Si autem religionem ingredi liceat, licet pariter emittere votum ingrediendi. Sponsalia non dissolvuntur per votum, nec per ingressum in religionem, sed tantum per professionem. Unde, qui post novitiatus experientiam agnoscit se ad vitam religiosam non esse vocatum, promissionem matrimonii adimplere tenetur, si altera pars requirat. Ingrediendo religionem, libertatem donavit comparti suæ, quæ statim resilire potuit, sicut et potuit etiam eventum exspectare, et professione religiosa non adveniente, effectum sponsalium requirere. S. Ligorius, l. 6, n. 870.

Quæritur 2° an votum simplex castitatis sponsalia dissolvat.

R. Votum sponsalia præcedens, ea dissolvit, quia quod absolute vel etiam conditionate Deo promissum est, jam homini simpliciter dari nec promitti potest.

Ex hypothesi quod, initis sponsalibus, votum emittatur, res non ita clara est. Probabilius tamen videtur sponsalia non dissolvi; quia licitum esse non potest ad placendum Deo jus alterius lædere. Aliunde nullo fundamento dici potest in sponsalibus subauditam esse hanc conditionem, *nisi castitatem vovero*, quæ conditio in jure non exprimitur, nec a contrahentibus fuit apposita. Vovens tenetur nihilominus votum suum servare quantum potest, illæso jure alterius sponsi, et non aliter.

Quæritur 3° an, post inita sponsalia, statum clericalem amplecti liceat.

Certum est 1° Ordines sacros jam susceptos sponsalia præcedentia dirimere, cum matrimonium impediant.

Certum est 2° tonsuram et Ordines minores jus dare alteri parti a sponsalibus resiliendi, ea vero non dirimere: *patet ex modo dictis*, ubi de ingressu religionis.

Certum est 3° juvenem qui occasione sponsalium puellam corrupit, eam deserere non posse ut statum clericalem amplectatur, nisi consensum ejus liberum obtinuerit; ex justitia enim eam in eo casu ducere tenetur.

Item si sponsam, licet non stupratam, deserere nequiret absque gravi damno ejus, tunc clericatum eligere non posset, nisi ea libere consentiente: secus, probabilius docetur illum, prius monita sponsa, statum clericalem ad quem prudenter judicat se divinitus esse vocatum licite amplecti posse; sponsa quippe in eo casu rationabiliter invita esse non potest. Si tamen damnum inde pateretur, illius reparationem exigere posset. Vide S. Ligor. lib. 6, n. 871.

5° Infidelitas in alterutro sponsorum est causa sufficiens cur pars innocens a sponsalibus etiam juratis resiliat; Decretal. l. 2, tit. 24, c. 25. Etenim frangenti fidem fides non debetur; at si pars innocens matrimonium velit, altera tenebitur, *ut patet*. Infidelitas autem non in sola fornicatione consistit, sed, juxta communem theologorum opinionem, in tactibus impudicis, qui signum essent futuræ infidelitatis, præsertim in sponsa turpibus hujusmodi ex parte alterius consentiente.

Si uterque sponsus fornicatus esset, probabilius est sponsum resilire posse et non sponsam, quia, licet ex parte fidei violatæ sit compensatio, non tamen ex parte totius criminis; fornicatio enim sponsæ probrosior, turpior et periculosior pro futuro apprehenditur. Ita *Dens*, t. VII.

Verum sponsus resilire non posset, quia sponsam expertus esset facilem in permittendo sibi impudica : in hoc namque esset peccatum, non autem infidelitas, sed potius nimia fidelitas.

6° Mutatio notabilis in bonis corporis, animi aut fortunæ, quæ, si exstitisset, alterum sponsum a contrahendis sponsalibus deterruisset : id statutum est in jure canonico, cap. 25, lib. 2 Decretal., tit. 24, jam citato; intentio enim promittentis vel etiam jurantis præsumitur fuisse, rebus in eodem statu permanentibus.

Hinc 1° quoad bona corporis, sufficiens datur ratio resiliendi, si detegatur lepra, paralysis, morbus venereus, gravis olentia oris, vel alius morbus aut alia infirmitas gravis et insanabilis; si amittatur oculus aut aliud membrum; si notabilis adveniat deformitas, præsertim in sponsa, cujus pulchritudo pluris æstimatur.

Hinc 2° quoad bona animi, si alter sponsus gravem incurrat infamiam; si fiat aut deprehendatur hæreticus, impius, aleator, asper moribus, ebriosus, admodum sævus; si inter sponsos vel parentes eorum graves oriantur inimicitiæ; si ex matrimonio mali prævideantur exitus; si sponsa quæ putabatur virgo, deprehendatur corrupta, vel, juxta multos, vidua; si sponsus reperiatur vitam ducere cum meretricibus, vel habere filios spurios, etc.

Hinc 3° quoad bona fortunæ, si alterutri sponsorum notabilis adveniat paupertas, si rationabiliter timeatur exhæreditas ob matrimonium; si sponsa dotem promissam afferre nequeat; si sponsus domicilium cum gravi incommodo sponsæ mutare constituat : uno verbo, si, jam initis sponsalibus, superveniat vel detegatur aliqua causa, quæ hominem similis conditionis ab eis contrahendis deterruisset vel deterreret, tunc illorum obli-

gatio cessat respectu ejus cui difficilior est eorumdem exsecutio.

Si vero, una parte in eodem statu permanente, alteri superveniant ingentes divitiarum opes, alii negant sponsalia dissolvi posse, quia matrimonium non fit magis onerosum; alii autem affirmant, et quidem probabilius, quia tunc tanta est mutatio fortunæ, ut persona quæ eam prævidisset, eodem modo contrahere noluisset. Si tamen resiliat, damnum alterius compensare debet : id patet.

Quæritur an sit obligatio defectus occultos aperiendi.

R. 1°. Si defectus alteri sint perniciosi vel injuriosi, v. g., si puella sit ex facto alterius prægnans, si sponsus morbo venereo laboret, ære alieno gravetur, etc., adest obligatio eos revelandi, vel a sponsalibus, et multo magis a matrimonio desistendi, et quidem sub denegatione absolutionis sacramentalis ad hoc cogere debet confessarius. Non licet enim proprium commodum cum tanta alterius injuria quærere.

R. 2°. Si periculum sit ne defectus occulti in notitiam alterius veniant, detegendi sunt, propter discordias, jurgia aliaque incommoda quæ probabiliter inde nascerentur : si vero nullus probabilis esset timendi locus ne in posterum cognoscerentur, occultari possent : v. g., puella quæ putatur virgo, non tenetur dicere se olim fuisse corruptam.

Quæritur an sponsalia dissolvi possint, ob causam legitimam, propria auctoritate.

R. Si de sponsalibus ante faciem Ecclesiæ initis ageretur, et alter sponsus reniteretur, auctoritas superioris ecclesiastici requireretur, tum ad pronuntiandum circa validitatem causæ allegatæ, tum ad vitanda scandala. In cæteris vero casibus, qui, altero renitente, a sponsalibus resilire sibi proponit, viros sapientes et maxime confessarium consulere debet, ne seipsum decipiat; sed nulla est obligatio ad superiorem in foro externo recurrendi, cum id nullibi præcipiatur. Verum pars quæ injuste læditur, probabilius compensationem damnorum apud judices sæculares expetere potest, juxta quod supra diximus.

CAPUT QUARTUM.

DE BANNORUM PROCLAMATIONE.

Bannum est vox germanica, idem significans ac proclamatio publica : igitur banna matrimonii sunt publicæ denuntiationes quibus plebs christiana admonetur de matrimonio inter personas determinatas ineundo.

Nobis dicendum est 1° de illorum necessitate; 2° de eorum circumstantiis; 3° de eorumdem dispensatione; 4° de impedimentorum revelatione; 5° de bannis civilibus, et 6° de oppositione ad matrimonium.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BANNORUM NECESSITATE.

Plurimæ sunt rationes ob quas proclamatio bannorum saltem utilis est: scilicet, 1° ut tollantur abusus matrimoniorum clandestinorum; 2° ut impedimenta, si quæ sint, detegantur, et matrimonium valide ac licite celebretur; 3° ne filiifamilias matrimonium sine consensu parentum ineant; 4° ut fideles, de futuro matrimonio admoniti, benedictionem cœlestem in sponsos precibus suis adducant.

Mos denuntiandi matrimonium primo invaluit in Gallia, incerto quidem tempore, sed ante decimum tertium sæculum. Concilium Lateranense IV, anno 1215 celebratum, morem istum particularem convertit in præceptum universale, et conc. Trid., illud renovans, præcepit, sess. 24, de Ref. Matrim. cap. 1, ut « in posterum, antequam » matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium » parocho, tribus continuis diebus festivis in ecclesia, » inter Missarum solemnia, publice denuntietur inter » quos matrimonium sit contrahendum. » Henricus III, rex Galliæ, exsecutionem hujus decreti sub pœna nulli-

tatis præscripserat, celebri edicto Blesensi, anni 1579; Henricus IV, anno 1606, et Ludovicus XIII, anno 1639, eamdem præscriptionem renovarunt ac confirmarunt.

Jus novum Gallicum nullam quidem facit mentionem de proclamationibus bannorum ecclesiasticis, sed illas nec voluit nec potuit abolere : datur igitur obligatio sub peccato mortali eas faciendi, quia disciplina generalis duobus conciliis generalibus præscripta, ubique ut gravis recepta, gravem inducit obligationem, nec ab illis eximere possunt denuntiationes civiles, de quibus infra dicemus. Plerique theologi volunt denuntiationes ante matrimonium omissas, ante ipsius consummationem faciendas esse, nisi obtineatur dispensatio, ut in hoc casu fieri consuevit et expedit. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 990.

Quia sæpe proclamationes ecclesiasticæ nunc post matrimonium civiliter contractum fiunt, quidam opinati sunt mutandam esse antiquam formam, et non amplius dicendum : *Il y a promesse et accord de mariage entre,* etc., sed ea utendum esse forma : *Vous êtes avertis que N. et N. sont dans l'intention de recevoir la bénédiction nuptiale,* etc.; sed talis innovatio admitti non debet; standum est formulæ in Rituali præscriptæ, donec alia ab episcopo fuerit determinata.

Omissio voluntaria, absque gravi causa, unius proclamationis bannorum, juxta communem sententiam, est peccatum mortale. S. Ligorius, l. 6, n. 990.

Certum est tamen proclamationes bannorum ad validitatem matrimonii requisitas non esse.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CIRCUMSTANTIIS PROCLAMATIONUM BANNORUM.

Illæ circumstantiæ spectant ad numerum, modum, tempus, locum et personas.

1° *Numerum.* Ante concilium Trid. non determinabatur eorum numerus; at concilium istud statuit quod tres fierent. Si autem matrimonium ultra duos menses post ultimam denuntiationem differatur, tres iterandæ sunt

denuntiationes, juxta Rituale Romanum et Rituale Cenomanense. Sunt aliæ diœceses in quibus longius conceditur intervallum.

2° *Modum.* Publice fieri debent, intra Missarum solemnia, et intelligibili voce, ut reipsa populus comperiat inter quos matrimonium sit ineundum.

3° *Tempus.* Diebus dominicis aut festivis de præcepto proclamanda sunt banna: igitur proclamationes istæ fieri non debent festis solemnizatis, nec in Missis privatis, nec officio vespertino; sed in sola Missa parochiali, sive majori, sive minori, si duæ aut plures sint Missæ parochiales, juxta determinationem parochi. Vide *Dens*, t. I, et *Collet*, t. XIV.

At si, omnibus ad nuptias paratis, sacerdos ultimam proclamationem inculpabiliter omiserit, quid agendum est? Certe petenda est dispensatio, si per tempus liceat, etiam mittendo nuntium: si vero longior sit via et matrimonium differri nequeat ab que gravi incommodo, æstimamus proclamationes fieri posse in officio vespertino, vel totaliter omitti, quia lex humana non obligat cum tanto incommodo. Ita communiter theologi apud *Collet*, t. XIV, et sic respondemus in diœcesi Cenomanensi.

Licet concilium Trid. statuat proclamationes esse faciendas tribus continuis diebus festivis, requiritur tamen, ex statutis nostris, ut decem intercedant dies a prima ad ultimam.

4° *Quoad locum.* Certum est proclamationes faciendas esse in ecclesia parochiali contrahentium, proinde in utraque ecclesia, si contrahentes diversæ sint parochiæ; non autem in capellis, sive privatis, sive publicis, nisi tota parochia, aliqua de causa, huc processisset, et Missa parochialis ibi celebraretur. Qui duplex habent domicilium fere æquale, unum ruris et alterum in civitate, in utroque publicari debent.

Cum sacerdotes qui deserviunt ecclesiis nunc vulgo dictis *chapelles vicariales*, quasi ordinariam habeant jurisdictionem, ex institutione episcoporum, proclamationes bannorum personarum ipsis subditarum in eorum eccle-

siis fieri debent. Quoad annexas, si determinatum habeant territorium, et capellani eis deserviendis præpositi cuncta munia parochialia exerceant, ibi fiunt proclamationes bannorum. Secus, si capellani nonnullas tantum exerceant functiones sacras, et habeantur ut vicarii parochi ecclesiæ principalis. Quidam tamen volunt quod in eo casu proclamationes fiant tum in annexa, tum in ecclesia principali: probabilius æstimamus sufficere proclamationes fieri in ecclesia principali.

Qui non a sufficienti tempore domicilium habent in parochia sua actuali, debent insuper denuntiari in parochia in qua antea habitaverunt. Conc. Trid. nihil circa hoc punctum statuit : jus antiquum civile, in Ritualibus insertum, sex exigebat menses si contrahentes e parochia ejusdem diœcesis, et annum si e parochia alterius diœcesis venirent, ut in loco præcedentis habitationis non publicarentur. Nunc autem domicilium relative ad matrimonium per sex menses acquiritur, sine ullo respectu ad diœceses. Nullum est dubium quin episcopi observationem veterum statutorum præscribere valeant, ut episcopus Metensis, anno 1820, et recentius archiepiscopus Avenionensis decreverunt. In diœcesi vero Cenomanensi, statutum est novas juris dispositiones in hoc puncto admittendas esse : ideo et proclamationes post sex menses nunquam faciendas in loco anterioris domicilii.

Sex autem menses numerandi sunt a die quo celebrandum est matrimonium retrogradiendo, non vero a die primæ bannorum proclamationis.

Qui autem a sex mensibus in diversis locis habitavit, ad minus publicari debet in loco ubi nunc exstat, et producere testimonia quibus constet illum esse liberum. Rituale Bellic., t. I, p. 380 in nota, et p. 387, requirit testimonia parochorum locorum in quibus per notabile tempus qui matrimonio jungendus est habitavit, consensum parentum ejus scripto datum, vel, eis defunctis, declarationem parochi originis attestantis talem personam matrimonium non contraxisse, aut conjugem ejus mortuam

esse, vel denique testimonia duarum personarum fide dignarum.

Easdem ferme præscribit cautiones Rituale nostrum, ubi agitur de iis qui fixum non habent domicilium.

Banna pro parochia vacante, in ea sola publicanda sunt ecclesia cujus pastori commissa est ipsius parochiæ vacantis cura, nisi Missa parochialis in ipsamet ecclesia vacante celebretur.

5° *Circa personas*, notandum est eas esse posse majores, minores, milites, vagos, vel duplex domicilium habentes.

1° *Majores.* Nunquam proclamanda sunt banna eorum, nisi constet illos consensisse, et cavendum est ne aliquis ex derisione, vel alio quovis motivo perverso, fictam matrimonii futuri quarumdam personarum demonstrationem nobis exhibeat.

2° *Minores.* Banna eorum proclamari non debent nisi de expresso consensu ipsorum parentum vel tutorum, et proclamatio facienda est, tum in propria eorum parochia, tum in parochia parentum, vel, si de minoribus ascendentes non habentibus agatur, in parochia tutorum, seu potius, ut quidam volunt, in loco ubi coadunatur consilium familiæ, ubi videlicet est prætorium judicis pacis; *Cod. civ., art.* 160, 168 *et* 415. Hæc pro foro civili. Idem faciendum est pro foro ecclesiastico, nisi episcopus aliter statuerit.

Viri non sunt majores relative ad matrimonium, nisi viginti et quinque annos completos habeant; feminæ vero majores sunt ubi vigesimum primum annum compleverunt; *Cod. civ., art.* 148. Vir tamen qui ascendentes non habet, major est pro matrimonio sicut pro quibuslibet aliis actibus, statim atque vigesimum primum annum completum obtinuit; *art.* 160, *Toullier*, t. I, n. 552, et alii jurisperiti.

3° *Milites.* Si sint minores, proclamandi sunt in domicilio in quo nunc exstant, et in domicilio parentum vel tutorum. Si sint majores, in domicilio præsenti et in loco ultimi domicilii ante militiam, quia aliud non ac-

quisierunt domicilium juris. Qui militæ renuntiaverunt vel ab illa liberati sunt, diplomate probare debent se matrimonium non iniisse aut uxorem esse defunctam, et quoad bannorum proclamationem, habendi sunt ut alii fideles.

4° Vagi publicandi sunt in domicilio facti, et, juxta plures, in loco originis, si alibi verum non obtinuerint domicilium. Rituale nostrum præscribit ut ante eorum matrimonium episcopus consulatur.

5° Qui perpetuo laborant vel famulantur in una parochia, et in altera fixam habent domum vel cubiculum, in hac posteriori tantum publicandi sunt, si sint majores; si vero duas vicissim occuparent habitationes in parochiis diversis, in utraque banna eorum publicari oporteret.

6° Si publicandi sint illegitimi, tacenda sunt nomina eorum parentum, meliori quo fieri poterit modo, ut illegitimitas non denuntietur, et tamen non mentiatur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DISPENSATIONE BANNORUM.

Si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, sancta synodus Tridentina relinquit *prudentiæ et judicio* Ordinariorum ab illis dispensare; sess. 24, c. I de Reform. Matr. Certum est ergo episcopos, sive per se, sive per vicarios suos generales, et vicarios generales capitulares, sede vacante, a proclamationibus bannorum pro prudentia sua dispensare posse. Causæ autem dispensationis legitimæ, sunt : 1° ne matrimonium malitiose impediatur; 2° damnum grave, infamia aut scandalum timendum, si nuptiæ differantur; 3° matrimonium jam civiliter contractum; 4° si unus sponsorum in tres proclamationes consentire nolit; 5° metus ne vir puellam stupratam relinquat, etc.

Multo major requiritur causa ut a tribus faciendis proclamationibus dispensatio concedatur. Mos invaluisse vi-

detur ut ab una vel a duabus publicationibus dispensatio sine gravi causa tribuatur, quando constat nullum intercedere impedimentum, quia temporibus nostris timendum est matrimonium civile vel aliud incommodum.

Parochi dispensationem bannorum postulantes, rem simpliciter exponere debent, et tunc circa validitatem dispensationis securi esse possunt. Sed ipsi nullam habent facultatem dispensandi.

Attamen in articulo mortis matrimonio jungere possunt concubinarios civiliter conjugatos, posthabitis bannorum proclamationibus, utendo *epieikeia*, idque præsertim ad legitimandam prolem coram Ecclesia. Si enim nulla esset proles, non videtur cur tam præcipitanter daretur benedictio nuptialis, maxime si altera pars recte non esset disposita, et mors inevitabilis appareret : tunc sincera promissio matrimonium catholice ineundi sufficeret, ut confessarius ultima administraret sacramenta.

Diximus *civiliter conjugatos;* alios enim concubinarios ad benedictionem nuptialem admittere non possumus quin prius civiliter fuerint conjugati. *Patebit ex dicendis.*

Quæritur 1° an, quando sponsi ex diversis sunt diœcesibus, dispensatio bannorum obtinenda sit ab utroque episcopo.

R. Sanchez et multi alii negarunt, dicentes contrahentes esse per modum unius, et unum dispensari non posse quin eo ipso alter dispensetur; alii vero communius et verius affirmant dispensationem utriusque episcopi necessariam esse, quod variis rationibus probant, et maxime praxi universali. Ab hac igitur regula recedere non licet.

Quæritur 2° an episcopus suum diœcesanum dispensare possit a bannis publicandis in aliena diœcesi, unde venit abhinc minus quam sex mensibus.

R. Quidam affirmant, quia plenam habet jurisdictionem in suum diœcesanum : alii vero negant, quia lex publicationis est localis et solus Ordinarius loci ab illa dispensare potest. Talis est praxis communis.

Attamen, urgente necessitate, [aut magna occurrente

difficultate. Ordinarius personæ indicare potest, per *epicikeiam*, legem in tali casu non obligare.

ARTICULUS QUARTUS.

DE REVELATIONE IMPEDIMENTORUM.

Dubitari non potest quin existat obligatio sub peccato mortali impedimenta revelandi; id sequitur ex præcepto bannorum et ex minatione excommunicationis quæ in Ritualibus nostris reperitur. Hæc revelatio quamprimum facienda est, nec tuto exspectaretur ultima proclamatio, *ut patet*.

Non solum impedimentum dirimens, sed et impediens revelandum est, quia matrimonium redderet sacrilegum. Omnes fideles cujuscumque sexus, ætatis, parochiæ, etc., ad hanc revelationem pari obligatione tenentur, siquidem præceptum ad omnes usum rationis habentes dirigitur. Excipiuntur tamen 1° confessarii qui impedimentum per confessionem sacramentalem norunt, quia secretum confessionis nullam ob causam violari potest; 2° qui impedimentum sub secreto consilii ratione professionis suæ noscunt : tales sunt parochi, rectores, medici, chirurgi, obstetrices, advocati, etc. ; valde enim totius societatis interest ut hujusmodi secreta nunquam aperiantur. Qui autem impedimentum sub aliis secretis cognoscerent, v. g., sub secreto confidentiæ vel conversationis, illud manifestare tenentur, quia obedientia erga Ecclesiam et reverentia sacramento debita præstant incommodis quæ in his casibus timeri possent : ita generatim judicant theologi. 3° Qui sine propria infamia vel absque gravi detrimento respectu sui, aut respectu conjugis, ascendentium, descendentium, aliorumve sibi proxime conjunctorum, impedimentum detegere non possunt, illud aperire non tenentur : v. g., pater, mater, frater, soror, revelare non tenentur impedimentum ex copula illicita filiæ, sororis, etc., proveniens, si gravis infamia inde sequenda esset. In dubio consulendus est episcopus, vel confessarius aut alius superior.

Nonnulli theologi dixerunt eum qui solus impedimentum cognoscit, illud revelare non teneri, quia talis revelatio nullius est utilitatis, cum existentia impedimenti in foro externo probari nequeat : sed communiter alii docent faciendam esse revelationem, quamvis impedimentum juridice probari non possit; certum est enim revelationem multum inservire posse ad præcavendum sacrilegium.

Qui impedimentum cognosceret, illud detegere deberet, etiamsi propter dispensationem nulla facienda esset proclamatio bannorum. Ex regula charitatis in Evangelio, Matth. XVIII, 15, tradita, primo monendi sunt sponsi, si spes emendationis affulgeat, deinde parentes, et si id non sufficiat, tunc revelatio facienda est parocho. Ipsa sponsorum infamia non potest esse ratio sufficiens quæ a revelatione excuset; ipsis namque imputanda foret.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PROCLAMATIONE BANNORUM CIVILIUM.

Lex civilis nunc in usu apud nos duplicem præscribit denuntiationem matrimonii futuri, ante domum communem, ab officiario publico faciendam duobus dominicis immediate sequentibus, et exigit ut exemplar actus publicationis valvis domus communis maneat appensum intra octo dies publicationum; *Cod. civ., art.* 63 *et* 64.

Si intra annum, ab ultima denuntiatione, matrimonium non celebretur, iterandæ sunt duæ denuntiationes; *art.* 63.

Matrimonium celebrari non potest, nisi tertia diei post ultimam denuntiationem, vel post primam, si dispensatio alterius obtineatur, proindeque feria quarta, non vero feria tertia : annus igitur, pro quo valent publicationes, a die quo matrimonium fieri potest computatur; *Hutteau d'Origny, de l'Etat civil, p.* 312.

Si contrahentes domicilium habeant in communitatibus diversis, denuntiationes faciendæ sunt in proprio utriusque domicilio, et in domicilio parentum vel eorum

sub quorum potestate adhuc constituti sunt quoad matrimonium, *ut diximus.*

Banna minorum publicari non debent quin de consensu parentum eorum constet, nec similiter banna majorum nisi exhibeatur vel consensus ascendentium vel actus reverendæ *summationis.*

Partes quarum domicilium non est acquisitum nisi per sex menses. *Cod. civ., art.* 167, debent adhuc publicari civiliter in loco ubi prius habebant domicilium fixum. Affirmat *Delvincourt*, t. I, p. 376, legislatores morem antiquum mutare non intendisse, ac consequenter publicationes in loco ultimi domicilii faciendas esse per annum integrum, ex quacumque *communitatis* parte veniant : hoc tamen improbabile nobis videtur et contrarium mori consueto officiariorum status civilis, qui post sex menses, publicationes in loco præcedentis domicilii faciendas non curant. Milites publicandi sunt in loco ubi per sex menses continuos ultimo morati sunt; *Cod. civ., art.* 94. *D'Origny* contendit publicationes semper faciendas esse in domicilio facti et in locis in quibus sponsi per ultimos sex menses continuam habuerunt residentiam. Pag..304, citat decisionem ministri justitiæ, diei 1 maii 1819; art. citatus 167 Cod. civ. hunc sensum videtur habere. *Delvincourt* opinatur eos denuntiandos esse in omnibus locis in quibus ab uno anno habitaverunt : verum hoc nullibi, ut arbitramur, recipitur in praxi. Plurima igitur est discrepantia inter civiles et ecclesiasticas proclamationes.

Dispensatio secundæ publicationis ob graves causas ab imperatore obtineri potest; *art.* 169. Ex arresto diei 9 junii 1803, procurator imperialis eam concedit; *Manuel des Maires* auctore *Rondonneau*, p. 285.

ARTICULUS SEXTUS.

DE OPPOSITIONE AD MATRIMONIUM.

Parochus qui de existentia alicujus impedimenti admonetur, debet 1° perquisitiones necessarias facere, ut claram facti notitiam obtineat; 2° exigere ut testes sua

dicta scripto confirment, ne ea denegent, et ipse velut impostor habeatur; 3° curare, quantum in se est, ut sacrilegium vitetur, et matrimonium valide ac licite contrahatur. Sed teneretur benedictionem nuptialem denegare, si, ex depositione unius testis, impedimentum nosceret? Circa hanc difficultatem scinduntur theologi, ut videre est apud S. Ligorium, l. 6, n. 996 : communissima autem sententia est benedictionem esse denegandam, modo testis sit persona gravis, deponat ex scientia certa, non vero ex auditis, et depositionem juramento confirmet. Ita ferme Collator Paris., t. I; *Collet*, Benedictus XIV, quæst. can. 452, etc.

Si autem parochus solus noscat, alia via quam per confessionem, impedimentum quod probare non potest, communius docent theologi eum matrimonio assistere non teneri; si non teneatur, videtur quod non possit : in eo casu adeat episcopum et dispensationem impedimenti obtineat, vel discat quid sibi faciendum sit.

Cum in præsenti rerum statu, contractus civilis semper præcedere debeat matrimonium ecclesiasticum, oppositiones ad matrimonium prius fieri debent apud officiarium civilem. Eas facere possunt 1° persona conjugata uni e sponsis : v. g., si vir uxorem habens, aliam ducere velit, uxor ejus matrimonio se opponere potest ; 2° pater, defectu patris mater, et defectu patris et matris, alii ascendentes, matrimonio descendentium suorum etiam majorum se opponere possunt; tunc officiarius actum oppositionis scribere et matrimonium suspendere tenetur; 3° quidam alii oppositionem intentare possunt, sed rarius. Vide Cod. art. 172 et seq.

Parentes aut tutores qui contractui civili consenserunt matrimonium ecclesiasticum impedire nequeunt, id est, oppositionem eorum parochus admittere non debet, ut pote nulla ratione fundatam.

CAPUT QUINTUM.

DE CONSENSU IPSORUM CONTRAHENTIUM.

Certum est aliquem requiri consensum ad validitatem matrimonii ; matrimonium enim, ut contractus, est conventio : nulla autem est conventio sine utriusque partis consensu : atqui sacramentum supponit contractum : ergo matrimonium sine consensu partium jure naturali est nullum, tum ratione contractus, tum ratione sacramenti, et nulla potestas humana consensum illum supplere posset. Potestas civilis habet quidem facultatem supplendi consensum, si de bonis temporalibus agatur, quia dominium hujusmodi bonorum invitis proprietariis transferri potest ; non vero dominium corporum relative ad matrimonium.

Ille autem consensus, sicut consensus ad validitatem sponsalium requisitus, debet esse verus, reciprocus, externus, liber, inter personas determinatas et jure habiles.

Jam probavimus, agendo de metu, veram requiri libertatem : negari etiam non potest consensum debere esse 1° reciprocum, alioquin conventio non existeret ; 2° externum, id est, signis externis sufficienter manifestatum, quia conventio acceptationem supponit, et acceptatio externam manifestationem prærequirit ; 3° inter personas determinatas et jure habiles : matrimonium quippe contrahi non potest inter personas indeterminatas, nec validum esse si cum impedimento dirimente ineatur, nec licitum si impedimento prohibente partes detineantur.

Si qua igitur hic moveri possit difficultas, versatur duntaxat circa validitatem matrimonii ex consensu ficto, vel ex consensu conditionato initi ; quod in duplici articulo examinaturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

AN VALIDUM SIT MATRIMONIUM EX CONSENSU FICTO INITUM.

Duplex hac de re est theologorum sententia ; alii enim volunt consensum sufficientibus, signis exterius manifestatum, dum mens interius dissentit, ad validitatem matrimonii sufficere, et his præsertim rationibus nituntur : 1° ibi est matrimonium ubi est vera voluntas illud contrahendi ; sed qui serio et libere profert verba quibus matrimonium contrahi non ignorat, eo ipso habet voluntatem illud contrahendi, quidquid interius dicat, sicut qui libere ascendit in navem, sciens illam ad talem proficisci plagam, habet voluntatem illuc perveniendi, quamvis intra se contradicat. 2° Qui serio ac libere rem aliquam vendidit, valide contraxit, alioquin rem suam surripere posset, pretium ejus refundendo ; hoc autem evidenter repugnat : ergo *à pari* qui matrimonium libere exterius contraxit, valide illud iniit. 3° Sacerdos qui ritum sacramentalem serio perficit, sacramentum valide confert : ergo et similiter qui verba quibus matrimonium contrahi solet, libere exterius profert. 4° Nunquam certo constare potest de existentia consensus interni : si ergo consensus exterior non sufficeret, innumera nascerentur dubia circa matrimoniorum validitatem et filiorum legitimitatem. Ergo. Ita, inter alios, Theol. Lugd. Vide etiam Theol. Rothomag.

Alii autem multo probabilius et communius docent consensum internum omnino necessarium esse ad validitatem matrimonii, suamque sententiam sic probant : 1° Jure canonico, Decret. p. 2, causa 2, q. 2, c. 2 : Nicolaus respondens ad Bulgaros, ait : « Sufficiat, si consen- » sus solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso » coitu celebrata frustrantur ; » et Decretal. l. 4, tit. 1, cap. 25 et 26, ubi dicitur, deficiente consensu, cætera matrimonium non perficere : consensus autem simpliciter est actus mentis internus. 2° Per matrimonium vir et mulier sibi mutuo dant potestatem in corpus suum : hæc

autem potestas a sola eorum voluntate pendet : ergo sine consensu interno non traditur, sed mendacium enuntiatur. 3° Matrimonium est vinculum amoris ; porro tale vinculum sine consensu interno fieri nequit. 4° Omnes fere theologi ita sentiunt. Ergo.

Ad rationes oppositas responderi potest : 1° qui libere profert verba quibus matrimonium contrahi non ignorat, habet voluntatem illud contrahendi, ordinarie et judicando ex communiter contingentibus, *concedo ;* necessario, *nego ;* nam fieri potest ut quis mentiatur, et unum dicat, dum aliud habet in mente. In hoc vitiosa est comparatio adducta quod ascendens in navem, externam faciat actionem, voluntatem oppositam evidenter destruentem, non sic autem qui matrimonium contrahit ; nam illud ficte contrahi non repugnat. Secunda et tertia ratio supponunt ut certum quod a multis theologis negatur, videlicet, venditionem sine consensu esse validam, et sacramentum valide adminitrari sine intentione interna. 4° Admissa opinione nostra, nihilominus validitas matrimoniorum moraliter constabit ; nunquam enim supponi potest eum qui libere et cum debitis circumstantiis matrimonium iniit, ficte consensisse, sicque stabilitas familiarum assecuratur.

Aliunde, qui dicit se ficte consensisse, credi non debet in foro externo, nisi id signis manifestis comprobet, quod impossibile videtur. Nostra igitur doctrina nullo modo societatem perturbare aut inquietare potest.

Quoad forum internum, certum est eum qui ficte contraxit, 1° mortaliter peccasse contra sacramentum, illud voluntarie efficiendo nullum, et contra justitiam erga compartem suam cui illusit ; 2° matrimonio uti non posse ; 3° reipsa consentire, et sic injuriam comparti suæ illatam reparari ordinarie teneri ; 4° absolvendum non esse, nec etiam in articulo mortis, nisi vere consentiat. Diximus *ordinarie*, quia si compars separationi libere consentiret, aut si incommoda ex unione provenientia, ipsa separatione majora prævidentur, consensum supplere non teneretur.

At si jam aliud iniisset matrimonium, et vere consensisset, quid agendum foret?

R. Dum matrimonia clandestina erant valida, hic casus facile occurrere poterat; nunc vero ferme chimericus est, saltem apud nos. Si tamen revera occurreret, arbitramur cum *Tournely* eum tuta conscientia remanere posse in secundo matrimonio, quia opinio nobis opposita nullam aut fere nullam habere videtur probabilitatem, nec igitur teneretur, ut vult auctor Theologiæ Rothomagensis, t. x, p. 270, servare continentiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN VALIDUM SIT MATRIMONIUM SUB CONDITIONE INITUM.

Certum est matrimonium contrahendum esse *per verba de præsenti*, ut ait Eugenius IV, in Decreto ad Armenos. Non tamen necesse est ut consensus de præsenti simul ex utraque parte detur. Consensus posterior de præsenti, si consensui priori de præsenti dato et non revocato accedat, valet matrimonium.

Si consensus per verba de futuro exprimeretur, v. g.: *Ducam te, si pater tuus* vel *meus consentiat*, nullum esset matrimonium. At dari potest per verba de præsenti, et tamen sub conditione, v. g.: *Te duco, si pater tuus consentiat* vel *consensurus sit.*

Multiplices autem distingui possunt conditiones: namque 1° aliæ sunt de præterito, aliæ de præsenti et aliæ de futuro; 2° aliæ sunt impossibiles, aliæ necessariæ et aliæ contingentes; 3° aliæ honestæ et aliæ turpes: illæ dicuntur turpes quæ inducunt ad peccatum. Unde hæc conditio: *Si tu es meretrix,* non est turpis, quia supponit meretricium ut factum, et ad illud non impellit. Item conditiones adversari possunt essentiæ aut substantiæ matrimonii. Essentia autem matrimonii est id sine quo matrimonii contractus nec existere nec concipi potest, ut jus et possibilitas ad copulam: substantia vero ea complectitur quæ ex jure naturali, divino aut humano inse-

parabiliter matrimonio annectuntur, ut unitas, indissolubilitas, etc.

Certum est 1° matrimonium sub conditione de præterito aut de præsenti initum, esse validum ut contractum et ut sacramentum, modo conditio vere existat, nam consensus minime est suspensus.

Certum est 2° matrimonium initum sub conditione de futuro necessario, adhuc esse validum, quia nihil consensum suspendit.

3° Communiter habetur ut certum, matrimonium sub conditione impossibili contractum, v. g., *Duco te, si per aerem volaveris*, esse validum; nam, inquiunt auctores, hujusmodi conditiones habendæ sunt pro non adjectis et ita reputantur in jure, Decretal. l. 4, tit. 5, c. 7; attamen, recte observat auctor theologiæ Rothomag., t. x, p. 273, hanc decisionem locum habere tantum pro foro externo; nam si contrahens sub tali conditione revera non consenserit, nullum est matrimonium. Sæpe qui conditionem impossibilem apponunt jocose, indicant se nolle consentire, v. g. : Si lunam digito tetigeris, hoc tibi dabo, signum est me hoc tibi dare nolle. Sedulo igitur exquirendus est sensus verbis prolatis annexus.

4° Conditio turpis de futuro, substantiæ matrimonii non repugnans, similiter habetur in foro externo pro non adjecta; jus canonicum, in loco modo citato, eam in eodem ordine reponit ac conditionem impossibilem. In foro autem interno eodem modo de ea ratiocinandum est ac de conditione impossibili; si consensus per illam fuerit suspensus, nullum est matrimonium.

5° Si vero conditio turpis de futuro, essentiæ vel substantiæ matrimonii adversetur et serio ponatur, nullus est contractus; talis quippe consensus non est conjugalis, quemadmodum contractus venditionis ea conditione ut res in dominium emptoris non transeat, non est venditio. Conditiones substantiæ matrimonii adversantur, quando generationem prolis, fidelitatem in conjugio, aut perpetuitatem in matrimonio excludunt, ut dicit jus canonicum, in capite citato. Hinc matrimonium initum sub

conditione quod generatio impediretur, quod sponsa pro quæstu alteri se traderet, quod existeret facultas illud dissolvendi, v. g., ob adulterium, ut volunt Græci et Protestantes, prorsus nullum esset. Valet tamen eorum matrimonium, saltem ut communius, quia ineundo matrimonium, de tali conditione non cogitant, nec consensum suum ab illa pendere faciunt.

Similiter qui, matrimonium ineundo, secretam habet intentionem generationem impediendi, prolem deserendi, adulterandi, etc., nihilominus valide contrahit, quia fieri potest ut aliquis sibi obligationem imponat cum intentione eam non implendi.

An conventio perpetuam servandi castitatem, ex utraque parte expressa, substantiæ matrimonii adversetur, non sibi consentiunt auctores. Quidam dicunt illam jus utendi matrimonio destruere, proindeque matrimonii essentiam lædere ; alii vero plures et probabilius contendunt hujusmodi conventionem essentiæ matrimonii non repugnare, quia ipsius objectum est usus et non potestas copulæ : porro sola potestas copulæ ad essentiam matrimonii pertinet : ergo. Vide *Dens*, et quod supra diximus, p. 195.

6° Nunc igitur quæstio est an validum sit matrimonium sub conditione honesta de futuro contingenti initum. Certum est illud non valere ut sacramentum, in hypothesi quod minister ejus sit sacerdos ; non valet enim tempore quo per verba de præsenti contrahitur, cum voluntas contrahentium a conditione futura pendeat ; non tempore quo impletur conditio, quia tunc forma a sacerdote prolata jam non subsistit. Ergo.

Verum omnes moraliter admittunt illud sola purificatione conditionis invalescere ut contractum : unde sequitur illud valere ut sacramentum, in sententia eorum qui tenent ministrum hujus sacramenti esse partes contrahentes. Etenim alii contractus conditionales, venditio, v. g., aut donatio, adveniente conditione perficiuntur : cur igitur matrimonium sub conditione initum non sic convalesceret ? *Ita multo communius theologi.*

Curandum est tamen in eo casu ut consensus coram parocho et testibus renovetur, ne forte revocatus fuerit et ne validitas sacramenti maneat incerta.

Hinc sequitur 1° tale matrimonium esse graviter illicitum, quia sacramentum gravi periculo nullitatis exponitur. Unde nunquam parochus, aliusve sacerdos a parocho delegatus, consensum sub conditione datum admittere et benedictione nuptiali sanctificare potest;

2° Matrimonium sic initum ante purificationem conditionis non esse perfectum, ac proinde illo uti non licere, et consensum ab utroque contrahente valide revocari posse.

Si ante conditionis expletionem aliud matrimonium ineatur absolute, validum erit, et prius, eo ipso, licet per injustitiæ peccatum, dissolvitur. Si autem duo inirentur matrimonia conditionata, illud validum esset cujus conditio prius eveniret, supposito consensum in illud non fuisse revocatum. P. *Antoine,* t. VI.

CAPUT SEXTUM.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Impedimentum matrimonii est illud quod obstat ne matrimonium licite aut valide contrahatur : in priori casu oritur a lege simpliciter prohibitiva, et dicitur *impediens* vel *prohibens :* in posteriori casu, oritur a lege irritante, et vocatur *dirimens.* Hujus capitis quinque erunt articuli : 1us erit de impedimentis impedientibus ; 2us de impedimentis dirimentibus in genere; 3us de impedimentis dirimentibus in specie; 4us de impedimentorum canonicorum dispensatione ; 5us de impedimentis civilibus eorumque dispensatione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IMPEDIMENTIS CANONICIS IMPEDIENTIBUS.

Hæc impedimenta dicuntur impedientia, quæ impediunt ne matrimonium licite fiat, sed validitati ejus non nocent.

Quatuor sunt sequenti versiculo expressa :

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Octo alia in jure canonico reperiuntur : sed cum penitus desierint, de quatuor adhuc exstantibus paucis verbis nobis dicendum est.

1° *Ecclesiæ vetitum* est Ecclesiæ prohibitio generalis aut particularis ne matrimonium celebretur ; generalis quidem, v. g., ne celebretur ante publicationem bannorum, vel ne hæreticus cum catholica, aut vice versa, jungatur ; particularis vero, si parochus aut episcopus matrimonium quibusdam sponsis ad tempus interdicat, v. g., quia suspicio de existentia alicujus impedimenti dirimentis exorta est ; Decretal. lib. 4, tit. 16, cap. 2.

2° *Tempus*, quod etiam dicitur tempus feriale, est illud quo Ecclesia nuptias celebrare vetat ; nempe *ab Adventu Domini Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive :* sunt ipsamet verba concilii Trid., sess. 24, cap. 2.

Vox *inclusive* de die Epiphaniæ sicut de octava Paschatis intelligenda est.

Tempus istud incipit a sabbato ante dominicam primam Adventus, hora primarum Vesperarum, quæ sunt de Adventu, et a sola feria quarta Cinerum ; quia feria primas non habet Vesperas. Unde matrimonium celebrare non liceret in vespere sabbati ante dominicam primam Adventus ; liceret vero ; seclusa alia prohibitione, usque ad mediam noctem feriæ tertiæ ad feriam quartam Cinerum.

Ad hoc impedimentum temporis referenda est prohibitio in Ritualibus expressa, ne matrimonium celebretur

diebus dominicis aut festis de præcepto, nec ante ortum solis vel post meridiem.

Quamvis concilium sola nuptiarum solemnia prohibere videatur, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, convivia nuptialia celebrare, et ita communiter intelligatur, ut patet ex Rituali Romano et ex Bened. XIV, Inst. 80, certum est tamen ex usu in Gallia recepto, nullum apud nos celebrandum esse matrimonium ante faciem Ecclesiæ hoc tempore absque dispensatione episcopi, nisi urgeat necessitas, v. g., ad legitimandam prolem in articulo mortis, et recursus ad episcopum aut vicarium ejus generalem non sit moraliter possibilis.

Proclamationes bannorum et celebratio sponsalium nullo tempore interdicuntur.

3° *Sponsalia ;* quo nomine simplices intelliguntur promissiones serio factæ; matrimonium enim cum alia persona reddunt jure naturali illicitum, quia naturalis existit obligatio sub peccato mortali hujusmodi promissiones adimplendi.

4° *Votum ;* quod quadruplex distingui potest, scilicet, 1° votum simplex castitatis; 2° votum ingrediendi religionem; 3° votum suscipiendi Ordines sacros, et 4° votum non nubendi.

Certum est quadruplex illud votum matrimonium reddere graviter illicitum, et quidem jure naturali, quia est violatio fidei Deo datæ.

Raro autem parochus benedictionem nuptialem denegare potest, in foro externo, sponsis eam requirentibus, quia scit unum ex ipsis matrimonium alteri antea promisisse, vel votum emisisse : communiter sola via persuasionis ad summum uti potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IMPEDIMENTIS CANONICIS DIRIMENTIBUS IN GENERE.

Impedimentum non dicitur dirimens quia matrimonium solvit, sed quia impedit ne valide contrahatur. Talis

est idea communiter recepta circa naturam hujusmodi impedimenti.

Nullus catholicus negat Ecclesiam habere potestatem declarandi talia aut talia impedimenta esse juris naturalis vel divini, eaque legibus suis sanciendi. Sola igitur difficultas est an sua auctoritate ferre possit impedimenta quæ naturalem contractum ita irritent, ut dominium corporum valide non transferatur. Negarunt Lutherus et Calvinus, asserentes matrimonium non esse sacramentum, sed contractum mere civilem soli principum auctoritati subjectum. Marcus Antonius *de Dominis* eis ex parte consensit, a quo postea non multum discessit *Launoy*, doctor Sorbonicus, qui potestatem constituendi impedimenta tribuit principibus, et eam Ecclesiæ denegare videtur, æstimans sacramentum accessisse tantum naturali contractui. *Maultrot*, *Agier* et *Tabaraud*, contendentes sacramentum Matrimonii a contractu esse omnino distinctum, affirmant principes solum contractum civilem dirimere posse, nihilque in sacramentum valere; et vicissim Ecclesiam habere potestatem statuendi quidquid spectat ad sacramentum, nihil vero posse in contractum. Unde inferunt matrimonium valide civiliter contractum, carere quidem gratia sacramenti, sed tamen verum esse matrimonium, in quo liceat cuique Christiano tuta conscientia manere.

PROPOSITIO.

Ecclesia, jure sibi proprio, statuere potest impedimenta matrimonium etiam quoad contractum naturalem dirimentia.

Prob. auctoritate, præscriptione, traditione et ratione.

Primo, auctoritate. Concil. Trid., sess. 24, can. 4, hoc habet : « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse; anathema sit. »

Neque dicant *Launoy* et ejus asseclæ Concilium non asserere Ecclesiam hoc jure sibi proprio facere. Nam 1° Pro-

testantes refellere intendebat : at Protestantes non negabant Ecclesiam impedimenta ex concessione principum constituere, sed nolebant eam id proprio jure facere posse : ergo genuinus canonis sensus est Ecclesiam proprio jure impedimenta constituere posse. 2° Cardinalis *de Frankenberg* dogmaticum tulit decretum, anno 1789, contra professores seminarii generalis Lovaniensis, sententiæ *Launoy* adhærentes. 3° Pius VI hoc præclusit effugium, in celebri bulla *Auctorem fidei*, anno 1794, dicens : « Quasi » Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum » matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ » matrimonium non solum impediant, sed et nullum red- » dant quoad vinculum ; » addit Pontifex doctrinam synodi Pistoriensis in hoc puncto canonum 3, 4, 9 et 12 sess. 24 concil. Trid., eversivam esse, et hæreticam.

Nec per Ecclesiam intelligendi sunt principes sæculares, ut volebat *Launoy ;* talis quippe significatio vocis *Ecclesia* est omnino inaudita et evidenter falsa : nec dicendum est ibi quæstionem esse duntaxat de disciplina ecclesiastica, cum sententia opposita declaretur hæretica. Ergo 1°.

Secundo, præscriptione. Omnes enim fatentur Ecclesiam a multis sæculis exercere potestatem instituendi impedimenta matrimonium dirimentia : ergo eam jure proprio habet. Etenim, vel eam jure proprio habet, vel usurpavit, vel a principibus accepit : jam vero duo posteriora dici nequeunt. Non prius; repugnat quippe Ecclesiam, cui promissa est continua Spiritus sancti assistentia, potestatem sibi indebitam sic usurpavisse. Non posterius; quia Ecclesia constituens leges matrimonium dirimentes, nunquam egit nomine principum, sed nomine proprio, tanquam in dominio ecclesiastico ad seipsam pertinente. Aliunde, si, quod repugnat, facultatem constituendi impedimenta a principibus accepisset, aliquod existere deberet hujus concessionis vestigium : atqui nullum citatur. Ergo 2°.

Tertio, ex traditione. Concilium Neocæsariense, in quarto sæculo, declaravit matrimonium per affinitatem impediri ; concil. Ancyranum impedimentum raptus con-

stituit, canone 11. Innumera reperiuntur alia facta tum apud Latinos, tum apud Græcos, ut unusquisque videre potest in Historia Matrimonii, auctore *Gibert*, vel apud *Drouin* aut *Collet*. Ergo 3°.

Quarto, ratione. Nullus catholicus negare potest matrimonium ad ordinem spiritualem sicut ad ordinem civilem spectare et permaximi esse momenti. Nam 1° dat filios Ecclesiæ sicut societati civili; 2° filiorum educatio et sponsorum sanctificatio valde pendent a societate conjugali; 3° ex connubiis male ordinatis innumera gravissimaque sequuntur mala; 4° omni tempore et apud omnes gentes, præsertim tamen apud patriarchas, apud Judæos et apud Christianos, matrimonium semper habitum est ut res sacra. Ergo necesse est ut Ecclesia plenam habeat potestatem illud, prout Spiritus sapientiæ ei suggesserit, regendi, ac proinde leges etiam irritantes constituendi. Ergo 4°, etc. Ergo.

Non intelligitur qua audacia D. *Tabaraud*, Apostolicam traditionem, perpetuam Ecclesiæ praxim, evidentem concilii Tridentini definitionem et auctoritatem bullæ citatæ postponens, adhuc contendat Ecclesiam nihil posse in contractum, sed solum in sacramentum, et matrimonia civiliter tantum contracta ita naturaliter esse valida, ut sponsi tuto in eis, absque benedictione nuptiali, manere valeant. Auctoritates enim allatæ loquuntur de impedimentis matrimonium dirimentibus : porro, juxta sensum obvium et communem, impedimentum matrimonium dirimens est illud quod impedit ne matrimonium existat, ne dominium corporum transferatur, ne vinculum detur, ut expresse dicit Pius VI. Talis doctrina a labe hæresis purgari non potest.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Ecclesia nihil potest in substantiam sacramentorum, concil. Trid., sess. 21, cap. 2, et revera, nomine diffitente, alia sacramenta dirimere non potest. Ergo impedimenta matrimonium dirimentia statuere nequit.

R. Nego conseq. Ecclesia enim impedimenta matrimonii dirimentia constituendo, non efficit ut contractus valide initus materia hujus sacramenti non sit, sed tantum efficit ut talis contractus non sit validus, ac consequenter ad sacramentum non sufficiat : porro talis mutatio non est in substantia sacramenti. Res illustratur exemplo : vinum naturale est materia Eucharistiæ; qui portionem vini redderet acetum, efficeret ut ad consecrandum insufficiens esset : attamen materiam sacramenti Eucharistiæ non mutaret : ergo *a pari*, etc.

Ecclesia autem alia sacramenta dirimere non potest, quia eorum materia appositione conditionum sic dirimi nequit.

Inutile non erit perlegere Breve 22 aug. 1851, condemnans opus juris ecclesiastici, cujus auctor *Nuytz.*

Obj. 2°. Ecclesia, si matrimonium ratione contractus dirimeret, judicaret in foro alieno; ergo, etc.

R. Nego ant. Contractus enim naturalis, ad dignitatem sacramenti elevatus, sub hoc respectu est res sacra ad forum ecclesiasticum pertinens : ergo Ecclesia, hunc contractum dirimens, in proprio foro judicat, non in alieno.

Inst. In ea sententia fieri potest ut Ecclesia condemnet matrimonia quæ princeps approbat : atqui in eo casu potestatem indirectam exerceret, etc. Ergo.

R. Distinguo maj. Fieri potest ut Ecclesia condemnet matrimonia quæ princeps approbat, quoad vinculum, *conc.;* quoad effectus civiles, *nego maj.* Etenim in doctrina nostra fieri potest ut Ecclesia condemnet, quoad vinculum, matrimonia a principibus approbata, et sponsos sic tantum conjugatos velut filios ingratos turpiter viventes habeat : pessimum eorum exemplum detestabitur, et sacramenta eis etiam in articulo mortis denegabit, nisi resipiscant. At nihil circa conventiones matrimoniales, transmissiones hæreditatum aliosque effectus civiles statuet. Ergo plenam relinquet potestatem civilem principibus. Ergo.

Notandum Ecclesiam de jure naturali sicut de jure divino infallibiliter judicantem, decernere posse tales aut

tales leges civiles juri naturali esse adversas, et tuta conscientia in praxi sequendas non esse.

Quæritur in quo resideat potestas quam habet Ecclesia constituendi impedimenta matrimonium dirimentia.

R. Certum est 1° illam residere in concilio generali legitime celebrato, quia totam repræsentat Ecclesiam.

Certum est 2° eam pariter residere in summo Pontifice, qui plenitudinem habet jurisdictionis ad gubernandam universam Ecclesiam necessariæ : hanc autem potestatem summus Pontifex exercere potest per legem universalem cunctos Christianos obligantem, et per mandatum particulare ; cum enim modus ea utendi a Christo non fuerit determinatus concilium generale legitime convocatum et Romanus Pontifex, ex omnium confesso, habent facultatem eum qui sibi magis libuerit eligendi.

Certum est 3° episcopos, in præsenti rerum statu, impedimenta matrimonium dirimentia constituere non posse, quia jus illud summo Pontifici, vel concilio generali est reservatum. An vero id possent vi nativæ suæ potestatis, negant qui contendunt eos jurisdictionem suam a summo Pontifice accipere ; alii affirmant. Verum, cum hæc controversia nullius sit momenti quoad praxim, eam prætermittimus.

Eadem est difficultas quoad concilia particularia : majorem quippe non habent potestatem quam episcopi.

Quid autem sit de consuetudine unius provinciæ, an scilicet sufficiat ad introducendum vel abrogandum impedimentum pro ista provincia, non sibi consentiunt theologi. Coll. Andeg., cum aliis, affirmat, quia consuetudo vim suam habet ab Ecclesia universali vel a summo Pontifice ei consentiente. Hoc tamen applicari non potest consuetudinibus ab hæreticis, post suam separationem, introductis, quia tales consuetudines vim habere non potuerunt ab Ecclesia neque a summo Pontifice. Unde, juxta communem sententiam theologorum, praxim Sanctæ Sedis et doctrinam Bened. XIV., Const. *Singulari nobis,* 9 febr. 1749, n. 16, hæretici non sunt immunes ab impedimentis, apud ipsos ante separationem promulgatis,

excepto forsan clandestinitatis impedimento, de quo infra dicemus.

Quæritur an ignorantia invincibilis vim impedimenti dirimentis tollat.

R. negative. Lex namque tale impedimentum constituens, habet pro objecto ipsum contractum irritandum : vel ergo nulla est, et effectum non producit; vel est valida, et contractum semper irritat, independenter a voluntate aut a dispositionibus contrahentium.

ARTICULUS TERTIUS.

DE IMPEDIMENTIS CANONICIS DIRIMENTIBUS IN SPECIE.

Quindecim communiter numerantur impedimenta canonica, matrimonium dirimentia, sequentibus contenta versibus :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis; si clandestinus et impos;
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto :
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Dicuntur canonica, non quod a canonibus Ecclesiæ omnia fuerint instituta, quædam enim sunt juris naturalis aut juris divini, ut ostendemus agendo de singulis; sed quia in jure canonico reperiuntur.

§ I. — De impedimento erroris.

Duplex distinguitur error relative ad matrimonium, quia circa duplex objectum versari potest, videlicet circa personam et circa qualitates personæ. Prior dicitur substantialis, et posterior accidentalis. Aliquis putat se ducere Annam et ducit Mariam, est error personæ seu substantialis; arbitratur se ducere puellam nobilem, divitem, virginem, pacificam, etc., et reipsa ducit plebeiam, pauperem, corruptam, rixosam, etc., est error circa qualitates, seu accidentalis.

PROPOSITIO PRIMA.

Omnis error circa personam, jure naturali dirimit matrimonium.

Prob. Omnis error circa objectum contractus, illum jure naturali reddit nullum, quia consensus utriusque contrahentis non est in idem : porro ubi agitur de matrimonio, quilibet error circa personam cadit in ipsum objectum contractus : ergo.

Unde parvi refert an error sit antecedens vel concomitans, vincibilis vel invincibilis, crassus aut supinus : in cunctis casibus impedit ne consensus contrahentium sit in idem. Ergo.

Obj. In aliis sacramentis et contractibus error personæ validitati eorum non obstat : v. g., aliquis baptizat Annam credens se baptizare Petrum, validus est baptismus; boves suos vendit Paulo, persuasum habens se eos vendere Jacobo, valet contractus. Ergo.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod, in exemplis allatis, intentio baptizantis ad personam præsentem dirigatur, et intentio vendentis non tam ad personam quam ad pretium mercis limitetur, dum, e contra, in matrimonio consensus contrahentis non cadit in personam præsentem, quæcumque sit, sed in personam de qua prius conventum est, et quæ supponitur præsens, dum revera est absens : consentit ergo in personam absentem, non vero in personam præsentem. Ergo.

Hinc matrimonium Jacob cum Lia, quam putabat esse Rachelem, primum fuit nullum, et non nisi per sequentem consensum factum est validum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Error circa qualitates personæ per se non irritat matrimonium.

Prob. Error enim contractum per se irritare non potest, nisi cadat in ipsius objectum : at error circa quali-

tates personæ non cadit in objectum contractus, siquidem objectum istud est ipsamet persona, non vero ipsius qualitates.

Hinc sponsus valide contrahit matrimonium cum vidua vel corrupta, quam putat virginem, etiamsi per fraudem in hunc errorem fuerit inductus; fraus enim inducit quidem obligationem reparandi injuriam, sed non efficit ut consensus non versetur circa substantiam rei de qua agitur. Nec obstat quod contrahens matrimonium inire noluisset si qualitatem novisset : non consideratur enim quid fecisset, sed quid fecerit.

Unde vagus, v. g., jactitat se nobilem esse et multorum bonorum possessorem : falsis testimoniis ostensis, persuadet puellæ nobili hæc esse vera et manum ejus obtinet, matrimonium est validum.

Diximus *per se :* nam in triplici casu error qualitatis matrimonium dirimit : nempe 1° si contrahens consensum suum a tali qualitate pendere formaliter statuat; 2° si error qualitatis redundet in personam, ut si persona sub hac sola qualitate noscatur; v. g., puella credit nubere primogenito regis, illum facie non cognoscens, et alter est præsens, non in præsentem consentit nubendo, sed in alterum quem habet in mente. Secus esset, si, falso arbitrans juvenem quem pluries vidit esse primogenitum regis, illum acceptaret in conjugem : tunc enim error non in ipsam personam, sed in ipsius qualitatem caderet, *ut patet.* 3° Error conditionis, de quo in sequenti paragrapho dicturi sumus.

§ II. — De impedimento conditionis.

Non de qualicumque conditione, sed tantum de conditione servitutis hic agitur.

Per servos autem non intelliguntur ii qui propria voluntate ad servitium alicujus, juxta morem nunc consuetum, se obstringunt; bene vero ii soli qui libertatem suam amiserunt.

Certum est servitutem matrimonium non dirimere jure naturali; evidens quippe est servos esse aptos ad

essentialia matrimonii, unde servi secum nubere possunt; imo servus qui putat ducere liberam et duceret servam, valide contraheret, *ut communiter volunt theologi.*

Omnes fatentur personam liberam valide inire matrimonium cum persona serva cujus servitutem cognoscit.

Unde sola ignorantia servitutis jure positivo matrimonium dirimit; patet ex jure canonico, causa 29, quæst. 2, cap. 4, et de Conjugio servorum, lib. 4 Decretal., tit. 9, cap. 4, *Si quis ingenuus*. Leges hic citatæ impedimentum non statuunt, sed supponunt illud jam existere : hinc concluditur illud jure gentium seu consuetudine fuisse introductum.

Cum servitus locum amplius non habeat in Gallia, nec in aliis vicinis regnis, frustra de hoc impedimento fusius dissereremus.

§ III. — De impedimento voti.

Non omne votum, sed solum castitatis vel religionis votum matrimonium impedire potest.

Voti solemnitas determinatur jure canonico : unde votum solemne est illud quod emittitur in religione ab Ecclesia approbata tanquam perfecte regulari et cum certis circumstantiis ab ea determinatis. Votum simplex illud est quod vel una e conditionibus requisitis caret.

Votum simplex, quodcumque sit, impedit ne matrimonium contrahi possit sine peccato mortali; non autem illud reddit nullum.

Verum de fide est votum solemne matrimonium dirimere : id constat ex conciliis Lateranensi I, Lateranensi II, et Trident., sess. 24, can. 9, quod sic se habet : « Si quis dixerit regulares castitatem solemniter professos, » posse matrimonium contrahere, contractumque vali» dum esse non obstante voto ; anathema sit. » Ergo.

Votum castitatis in societate Jesu, post biennium novitiatus emissum, licet simplex, dirimit tamen matrimonium ex bulla *Ascendente Domino*, Gregorii XIII, nisi adsit dispensatio superioris generalis.

Acriter disputant inter se theologi circa naturam im-

pedimenti per solemnem professionem religionis contracti : plurimi dicunt illud jure naturali matrimonium dirimere, nam, inquiunt, per professionem religiosam persona datur, traditur, acceptatur : res autem uni data et ab eo acceptata, jam alteri valide dari non potest, solo attento jure naturali. Ita communiter Thomistæ, inter quos *Billuart.* Alii autem multo probabilius contendunt illud jure tantum ecclesiastico matrimonium dirimere : votum enim simplex matrimonium non dirimit : porro sola Ecclesia constituit differentiam inter votum simplex et votum solemne. Extrav. tit. 6 de Voto, cap. unic. Ergo.

Unde Casimirus, diaconus et Cluniacensis monachus, factus rex Poloniæ, obtenta dispensatione a summo Pontifice Benedicto IX, uxorem duxit, et Pius VII, temporibus nostris, cum multis monialibus ac monachis solemniter professis dispensavit, ad revalidanda matrimonia sacrilege inita. Non tamen intendit quæstionem in scholis agitatam definire, sed opinionem sibi probabiliorem secutus est, inquiunt Thomistæ.

Quæritur quibus signis cognoscatur an votum sit solemne vel simplex.

Cum solemnitas votorum a sola auctoritate Ecclesiæ pendeat, inquirendæ sunt conditiones in jure ecclesiastico præscriptæ ad constituendum votum solemne; illæ autem conditiones sunt : 1° ut religio a Sancta Sede fuerit approbata tanquam perfecte regularis; 2° ut votum legitime acceptetur nomine Ecclesiæ per respectivum superiorem, vel per ejus delegatum; 3° ut fiat traditio et acceptatio absoluta totius personæ per tria vota perpetua castitatis, obedientiæ et paupertatis; 4° tandem, ut vovens sexdecim annos ætatis et annum integrum novitiatus compleverit, uti conc. Trid. sub pœna nullitatis præscripsit, sess. 25, cap. 15, de Regul. Hæc omnia magis explicabuntur in Decalogo.

Ex his autem sequitur stricte solemnia non esse vota ad tempus vel cum aliqua restrictione emissa etiam in religione approbata, ut nunc fit in Gallia, ubi vel non

fiunt vota perpetua, vel fiunt conditionata, vel retinetur dominium in bona actualia et futura, juxta civiles leges id præscribentes. Eo sensu pluries respondit sacra Pœnitentiaria; sic pariter rescripsit cardinalis *Fontana* ad moniales Visitationis Beatæ Mariæ Parisiensis. Notandum tamen S. Congregationem specialiter interrogatam de votis virorum, respondisse sua decreta alias edicta spectare solummodo ad moniales.

Vota igitur saltem monialium quæ nunc emittuntur in Gallia, matrimonium probabilius non dirimunt, quia, cum aliqua perfectione ad solemnitatem voti requisita careant, reputanda sunt simplicia.

§ IV. — De cognatione.

Triplex distinguitur cognatio, scilicet naturalis seu carnalis, spiritualis et legalis. De unaquaque seorsim dicendum est.

Sectio prima. — De cognatione naturali.

Cognatio naturalis, quæ dicitur consanguinitas, quasi sanguinis unitas, est vinculum personarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem, tanquam communi propinquo stipite per carnalem generationem descendunt.

Ex hac definitione patet hanc cognationem contrahi etiam cum illegitimis; siquidem illegitimitas non impedit quin carnalis consanguinitas existat.

Tria distinguenda sunt in consanguinitate, scilicet stipes, linea et gradus, *la souche, la ligne et le degré.*

Stipes est persona ex qua aliæ ducunt originem.

Linea est series personarum ab eodem stipite descendentium : duplex est, recta et collateralis seu transversa.

Linea recta est series personarum quarum una ab altera descendit, v. g., filius a patre, pater ab avo, etc.

Linea collateralis seu *transversa* est series personarum quarum una ab altera non descendit, sed quæ solum ab eodem stipite communi descendunt, ut frater et soror. Duplex est nempe æqualis, quando consanguinei æqualiter a communi stipite distant, ut frater et soror; et inæ-

qualis, cum personæ a communi stipite inæqualiter distant, v. g., patruus et neptis.

Gradus est mensura distantiæ unius personæ ab altera, secundum lineam.

Nunc statuendæ sunt regulæ ad distinguendos gradus consanguinitatis, et determinandum quo gradu consanguinitas matrimonium dirimat.

Punctum primum. — *De regulis quibus gradus consanguinitatis distingui possunt.*

Tres hujusmodi dantur regulæ in jure canonico, scilicet prima pro linea recta, secunda pro linea collaterali æquali, et tertia pro linea inæquali.

1° *In linea directa*, tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto stipite; v. g., pater, filius, nepos et pronepos quatuor sunt personæ, et tres tantum gradus, quia tres tantum sunt generationes et tres personæ, dempto stipite.

2° *In linea collaterali* et *æquali*, eodem gradu inter se distant consanguinei quo remoti sunt a communi stipite: v. g., frater et soror sunt in primo gradu, consobrinus et consobrina in secundo, etc.

3° *In linea collaterali* et *inæquali*, tot gradibus a se invicem distant personæ quot remotior distat a communi stipite. Hæc regula statuta est ad magis favendum libertati matrimoniorum, et aliunde æquum est personas non reputari inter se propinquiores quam remotior est respectu communis stipitis. Hinc frater et filia fratris sunt in secundo gradu.

Attamen in petitione dispensationis exprimenda est graduum inæqualitas, saltem ex tutiori sententia.

In jure civili, tum antiquo, tum recenti, aliter computantur gradus consanguinitatis in linea collaterali; ascenditur enim a persona ad communem stipitem, et descenditur ad aliam personam de qua agitur. Sic duo consobrini qui, juxta computationem canonicam, sunt in secundo gradu, sunt in quarto secundum methodum juristarum. Sola computatio canonica quoad matrimonium retinenda est, ut expresse statuit Alexander III, causa 35,

q. 8, can. *Ad sedem*, alioquin graves contingere possent errores; v. g., Joannes est in primo gradu et Bertha in quarto, juxta computationem civilem essent in quinto gradu; attamen sunt adhuc in gradu prohibito.

Cæterum, ne irrepat error in materia tanti momenti, juvat scribere in charta stipitem communem : deinde generationes et nomina personarum hinc et inde, usque dum perveniatur ad eas personas quæ connubio jungendæ sunt : postea facile computabuntur gradus, juxta regulas modo expositas.

Exemplar hujusmodi tabellæ vel arboris genealogiæ, ut dicitur, in Rituali invenitur.

Notandum est consanguinitatem inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri posse, et tunc duplex vel multiplex est sanguinis propinquitas in petitione dispensationis aperienda : v. g., duo fratres duas feminas sibi consobrinas ex dispensatione duxerunt; liberi ex utroque matrimonio provenientes dupliciter inter se consanguinei sunt, et hæc circumstantia necessario declaranda est.

Punctum secundum. — *Quo gradu et quo jure consanguinitas matrimonium dirimat.*

In linea recta consanguinitas dirimit matrimonium in quocumque gradu ; in linea autem collaterali usque ad quartum gradum inclusive et non ultra. Sic statuit Innocentius III, in concilio Lateranensi IV, anno 1215, et lex ista quæ refertur in Decretal. l. 4, cap. 8, de Consang. et Affin. observata est.

In primis Ecclesiæ sæculis non videtur hoc impedimentum huc usque extensum fuisse ; versus septimum sæculum cœpit extendi usque ad septimum gradum, ut videtur in Epistola Gregorii II ad Bonifacium, anno 731; sed in concilio Lateranensi sapienter restrictum fuit ad quartum gradum.

Impedimentum istud similiter existit pro eis qui ex eodem patre vel eadem matre tantum orti sunt, et pro spuriis seu illegitimis ex eodem stipite descendentibus.

Si unus inter gradus prohibitos sistat, alter vero eos excedat, v. g., unus est in quarto gradu et alter in quinto, nullum est impedimentum quia gradus remotior trahit post se propinquiorem : reputantur ergo in quinto gradu. Decretal. l. 4, tit. 14, de Consanguinitate et Affinitate, cap. 9.

Rationes autem ob quas matrimonium inter primos gradus consanguinitatis prohibetur, sunt, juxta S. Th. 2 2, q. 144, art. 9 : 1° ut matrimonia propter bonum commune ad extraneos extenderentur, et sic multiplicarentur amici ; 2° ut servetur reverentia consanguineis debita ; nam inter conjuges non reverentia, sed amor existit ; 3° ne consanguinei sub spe matrimonii minus caste viverent, cum in eadem domo frequenter manere debeant.

Quæritur quo jure consanguinitas matrimonium dirimat.

R. In linea recta certum est matrimonium dirimi jure naturali, saltem in primo gradu ; natura enim etiam apud Barbaros refugit horrendas patris conjunctiones cum filia, et matris cum filio.

Plures theologi dicunt matrimonium in aliis gradibus lineæ rectæ non dirimi jure naturali ; alii vero affirmant ; sed cum illa quæstio sit mere speculativa, eam prætermittemus : nulla unquam concessa est dispensatio in hac linea.

In linea autem collaterali omnes moraliter consentiunt matrimonium non dirimi jure naturali, excepto primo gradu, sed jure ecclesiastico, et revera sæpe conceduntur dispensationes in aliis gradibus.

Quoad primum gradum, *Sanchez,* Sylvius et multi alii contendunt matrimonium jure naturali dirimi, nempe inter fratrem et sororem : ratio eorum est quod homo naturaliter quamdam honorificentiam debeat parentibus, ac consequenter consanguineis ab iis proxime descendentibus : unde ipsi gentiles hujusmodi nuptias detestantur. Multi vero alii theologi contrariam sententiam amplectuntur, dicuntque tale matrimonium graviter illicitum esse,

secluso casu necessitatis, et tamen validum, solo attento jure naturali.

In hac opinionum divisione, certum est nullam concedendam esse dispensationem in primo gradu, nisi forte ageretur de consanguinitate occulta et de matrimonio in ea cum bona fide contracto ; v. g., pater qui habet filium legitimum habuit filiam naturalem, quam velut extraneam in domo sua educandam curavit ; filius legitimus ignorans hanc puellam suam esse sororem, eam, mortuo patre, requirit in matrimonium, atque ducit. Si postea vinculum consanguinitatis deprehendatur, quid erit faciendum? Nobis videtur quod summus Pontifex in eo casu dispensare possit, quia in concedendis dispensationibus, gravi urgente causa, secundum opinionem probabilem agere potest, ut omnes fatentur. Ergo.

Sequitur ex dictis consanguineos collaterales qui in infidelitate matrimonio junguntur, et nulla lege positiva impediuntur, post conversionem non esse separandos, nisi agatur de primo gradu, quo in casu consulendus est summus Pontifex.

Sectio secunda. — De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est propinquitas personarum ratione Baptismi vel Confirmationis jure ecclesiastico inducta.

Hæc cognatio inter multas personas olim extendebatur, et matrimonium dirimebat : nunc autem ex concil. Trid., sess. 24, cap. 2 de Reform. Matr., inter personas sequentes tantum est impedimentum dirimens : 1° inter susceptores, id est, patrinum et matrinam ex una parte, et baptizatum ac patrem et matrem baptizati ex altera parte; 2° inter baptizantem et baptizatum ac patrem et matrem baptizati.

Iidem sunt omnino gradus cognationis spiritualis matrimonium dirimentis ratione Confirmationis inductæ, ut constat ex eodem cap. concil. Trid. Sed in multis diœcesibus mos invaluit ut patrinus et matrina pro Confirmatione amplius non adhiberentur.

Ratio institutionis hujus impedimenti ecclesiastici est quia per Baptisma novam suscipimus nativitatem, quæ perficitur in Confirmatione : unde judicatum est omnes ad conferenda hæc sacramenta proxime concurrentes, aliquo modo parentes nostros esse spirituales, proindeque reverentiam ipsis debitam esse, sicut genitoribus secundum carnem.

Hinc 1° qui baptizavit puellam, etiam in casu necessitatis, nec illam nec matrem ejus ducere posset.

De impedimento ex baptizatione propriæ prolis nascente dicemus in Supplemento ad hunc Tractatum.

Hinc 2° qui infantem in fontibus Baptismatis tenuerunt matrimonium secum inire possunt, non vero cum infante nec cum patre et matre ejus.

Quæritur quænam conditiones necessariæ sint ut patrini et matrinæ impedimentum istud contrahant.

R. Plurimæ requiruntur conditiones, scilicet : 1° ut sint baptizati, quia secus Ecclesiæ non subjicerentur; 2° ut usum rationis habeant, alioquin nec munus patrini et matrinæ exercere possent, nec prohibitionis Ecclesiæ forent capaces; 3° ut Baptismus reipsa administretur; unde qui officium patrini et matrinæ in supplendis solemnitatibus exercent, impedimentum non contrahunt; 4° ut administretur solemniter : si enim patrinus et matrina infantem domi sine solemnitatibus baptizatum nominarent, cognationem spiritualem non contraherent, quia illum de sacris fontibus revera non levarent; 5° ut infantem nomine proprio e fontibus sacris suscipiant : unde procuratores, nec impedimentum, nec obligationes patrini et matrinæ contrahunt, sed principalis tantum cujus nomine agunt, et ille solus in registro tanquam patrinus describendus est. Ita Sylvius, *Fagnan*, *Billuart*, *Dens*, etc.; 6° ut patrinus et matrina designati fuerint a parentibus, vel saltem a parocho, cujus est parentes supplere; id patet ex citato conc. Trident. quod addit : « Si » alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognatio- » nem spiritualem nullo pacto contrahunt. »

Tactus physicus, ex sententia probabiliori, non neces-

sarius est; sufficit ut designati adstent baptismo cum animo obligationes patrini et matrinæ contrahendi.

Concil. Trident. præscribit, eodem capite, ut unus sit patrinus aut una matrina, secundum sexum, vel ad summum unus et una : si tamen plures a parentibus designati et a parocho acceptati, infantem simul susciperent ut patrini aut matrinæ, peccarent contra præceptum sanctæ synodi; at nihilominus omnes impedimentum contraherent. Ita major et sanior pars theologorum. Hinc, ait *Collet*, t. XIV, si una civitas aliquem per delegatum susciperet e fontibus sacris, omnes cives impedimento detinerentur.

SECTIO TERTIA. — De cognatione legali.

Cognatio legalis ea est quæ oritur ex adoptione legali.

Adoptio autem est assumptio legitima extraneæ personæ in filium, vel in filiam, in nepotem vel in neptem. Duplex distinguitur, videlicet perfecta et imperfecta. Est perfecta, quando adoptatus transit in familiam adoptantis, et sub potestate ejus constituitur : hæres ejus est necessarius eodem modo ac filius legitimus. Est autem imperfecta, quando adoptatus non ita transit absolute in familiam adoptantis, sed tantum jus acquirit ei succedendi ab intestato.

Hæc utraque adoptio erat usitata in jure Romano et inde transiit in jus canonicum, ut videre est apud Benedictum XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 10.

Adoptio perfecta jure canonico dirimit matrimonium, 1° in linea recta, inter adoptantem et adoptatum, et probabilius inter adoptantem et adoptati filios ac filias, usque ad quartum gradum ; 2° in linea collaterali, inter adoptatum et filios et filias adoptantis in primo gradu tantum ; 3° in affinitate, inter adoptantem et uxorem adoptati, et vice versa, inter adoptatum et uxorem adoptantis. Vide caput unicum *de Cognatione legali,* Decret. causa 3, quæst. 3, cap. 1 et 6, Decretal. l. 4, tit. 12.

At illud impedimentum in linea collaterali non subsistit, nisi eo tempore quo adoptatus est in potestate

adoptantis : unde emancipatus, filiam adoptantis absque dispensatione ducere potest. Ita S. Th., Salmantic., S. Ligorius, etc. Verum est perpetuum inter adoptatum et adoptantem et uxorem illius.

Quærunt theologi an adoptio imperfecta jure canonico matrimonium dirimat, et inter se disputant : eo ipso, casu adveniente, petenda esset dispensatio ad cautelam.

Vera adoptio locum non habebat in Gallia ante novum codicem, sicque amplius non existebat impedimentum canonicum de facto in regionibus nostris : sed, renovata adoptione, art. 343 et seq. Cod., revixit impedimentum, ac consequenter matrimonium fieri non posset in gradu prohibito, sine dispensatione ecclesiastica.

§ V. — De impedimento criminis.

Per crimen hic intelligitur adulterium, conjugicidium, vel utrumque simul.

Constat ex pluribus Ecclesiæ decretis, et præsertim ex Decreto, causa 31, quæst. 1, c. 5, et ex multis capitibus tituli *De eo qui duxit,* Decretal. l. 4, tit. 7, utrumque crimen, seorsim sumptum et simul junctum, impedimentum esse jure ecclesiastico matrimonium dirimens, positis nonnullis conditionibus, de quibus mox dicturi sumus.

Convenienter hoc impedimentum fuit institutum, ne allicerentur conjuges ad crimina adulterii et conjugicidii committenda.

Sectio prima.—De adulterio sine conjugicidio.

Ut adulterium sine conjugicidio sit impedimentum dirimens, tres requiruntur conditiones, scilicet 1° ut sit verum, formale et consummatum : hinc, si matrimonium esset invalidum, si conjux qui putatur vivus esset mortuus, aut si actus turpes tantum exercerentur, non vero copula consummata, non contraheretur impedimentum.

2° Requiritur promissio matrimonii, ante vel post

adulterium exterius facta et a complice acceptata. Valet promissio ficta aut conditionata, quia manet ratio legis, id est, allectio ad crimen : ad acceptationem probabiliter sola sufficit taciturnitas, quamvis multi id negent. Non sufficeret, e contra, promissio vera et acceptata, sed ab utroque ante crimen adulterii revocata.

Attentatio matrimonii, sive clandestine, sive coram parocho, sive ante, sive post adulterium, æquivalet promissioni.

3° Tertia conditio est ut promissio vel attentatio matrimonii fiat et adulterium committatur, vivente priore et eodem conjuge : unde Paulus, v. g., vivente priore conjuge, promisit Marthæ se eam ducturum si viduus fieret : deinde factus viduus ducit Joannam, et adulterium committit cum eadem Martha; impedimentum criminis erga eam non habet, modo non iteraverit promissionem matrimonii antea datam.

Sectio secunda. — De conjugicidio sine adulterio.

Conjugicidium sine adulterio erit impedimentum matrimonium dirimens, si tres adsint conditiones omnino necessariæ, videlicet :

1° Mutua conspiratio : unde non sufficit quod conjux suum conjugem occidat, si persona cum qua matrimonium initurus est hanc actionem ignoret aut ei non consentiat.

2° Intentio matrimonii : ita saltem multi theologi, post *Sanchez*, ut P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, etc., contra Sylvium aliosque plures; quia intentio legis est ne quis desiderio aut spe matrimonii propriam vel alterius conjugem occidat. Si ergo ex vindicta, odio, desiderio successionis, hoc agerent, impedimentum non contraherent : non tamen necesse est ut sit inter eos matrimonii promissio nec, secundum quosdam, ut intentio unius alteri sit nota.

3° Mors secuta : non sufficit enim mors attentata, quia odia sunt restringenda, et caput *Laudabilem* Decretal. l. 3, tit. 33, loquitur de morte, non vero de attentatione

mortis. Necesse est igitur ut uterque in mortem vere secutam reipsa influxerit, sive physice, sive moraliter, v. g., jussu, consilio, consensu, etc. Si mors itaque per culpam medici sequatur, nullum erit impedimentum.

SECTIO TERTIA. — De adulterio et conjugicidio simul.

Quando crimina adulterii et conjugicidii coadunantur, non requiritur mutua conspiratio ad conjugicidium, nec promissio, nec attentatio matrimonii, sed hæc tria sufficiunt :

1° Adulterium verum, formale, id est ab utraque parte cognitum et consummatum, præcedere debet conjugicidium, non tamen necesse est ut præcedat machinationem : v. g., Petrus venenum uxori suæ propinat intentione, ea mortua, Bertham, cum qua nondum peccavit, ducendi; deinde, vivente adhuc uxore ejus, adulterat cum Bertha; impedimentum inter eos existit.

2° Machinatio mortis ab uno adulterantium ex intentione matrimonii facta : si fieret ex intentione liberius cum adultera vivendi, vel aliam ducendi, non existeret impedimentum. Non requiritur autem ut hæc intentio alteri manifestetur.

3° Mors ex machinatione unius adulterorum secuta eodem sensu ac in fine præcedentis sectionis.

§ VI. — De impedimento disparitatis cultus.

Per disparitatem cultus hic intelligitur diversitas religionis inter duas personas, quarum una est baptizata et altera infidelis.

Certum est matrimonium inter has personas jure naturali aut jure divino positivo non irritari; nam, in primis Ecclesiæ sæculis, plura visa sunt hujusmodi matrimonia quæ nullo modo fuerunt reprobata, v. g., inter S. Monicam et Patricium, S. Clotildem et Clodovæum, etc.

Sed non minus certum est hanc cultus disparitatem esse impedimentum ecclesiasticum, matrimonium dirimens. Ita unanimi ore theologi et canonistæ, quamvis

jus scriptum hoc statuens non reperiatur. In quinto sæculo, matrimonia Christianorum cum infidelibus cœperunt irritari, inquit *Dens*, t. VII, per leges imperatorum, et in duodecimo sæculo hæc consuetudo facta est universalis per totam Ecclesiam.

Unde matrimonia Christianorum, sive catholicorum sive hæreticorum, aut schismaticorum, cum Judæis, Mahumetanis aut Paganis, vel etiam cum catechumenis, aut cum iis qui invalide fuerunt baptizati, sunt nulla, nisi legitima dispensatio a summo Pontifice fuerit obtenta.

In ultimo sæculo gravis exorta est controversia circa existentiam hujus impedimenti apud Japonenses et Sinenses, ubi hæc consuetudo ecclesiastica introducta non videbatur. Curia Romana, partem tutiorem eligens, concessit missionariis facultatem dispensandi, ut testatur Bened. XIV, in Const. *Singulare nobis*, diei 9 februarii 1749, n. 19, Bullar. t. III.

Ecclesia semper detestata est matrimonia fidelium cum infidelibus, quamvis ea non semper irritaverit, et aliquando dispensationem concedat. *Cui vult nubat*, inquit B. Paulus, I Cor. VII, 39, loquens de vidua christiana, *tantum in Domino. Nolite jugum ducere cum infidelibus*, ait idem apostolus, II Cor. VI, 14. Et quidem tale consortium multa inducit pericula, tum pro fideli sponso, tum pro liberis ex eo matrimonio provenientibus.

Quæritur, hac occasione, quid sentiendum sit de matrimoniis catholicorum cum hæreticis.

R. Certum est illa matrimonia nulla lege irrita esse, sed, propter rationes modo expositas, sunt illicita, nisi gravi de causa legitima concedatur dispensatio. Sic multa concilia, etiam in primis Ecclesiæ sæculis, omnes catholici doctores et plurimi summi Pontifices, quod legendum datur in variis auctoribus, præsertim apud Bened. XIV, de Synodo diœcesana, l. 6, c. 5.

Hæc autem dispensatio a solo pontifice Romano concedi potest, et pactum quo in religione heterodoxa informandi sunt liberi semper reprobatur. Imo, pontifex

Romanus dispensationem non solet concedere nisi ea conditione ut uterque promittat sponsus omnes liberos ex hac unione proventuros in religione catholica educandos esse.

§ VII. — De impedimento vis seu metus.

Vis, coactio et metus hic æquiparantur, quia eumdem habent effectum quoad matrimonium.

Vis vel coactio est motio a principio extrinseco contra voluntatis inclinationem nobis impressa. Metus est trepidatio mentis ob malum imminens.

Multiplex distinguitur, scilicet :

1° Alius gravis et alius levis : metus gravis ille est quo timetur malum grave et probabiliter imminens, v. g., mors, mutilatio, incarceratio, bonorum amissio. Levis autem ille est quo timetur malum leve, aut grave, sed improbabile.

2° Metus potest esse gravis absolute vel respective; est gravis absolute, quando in quemcumque virum fortem cadere potest, ut minatio mortis et diuturnæ incarcerationis : respective gravis dicitur, quo movetur puer, mulier, vir meticulosus et quo vir fortis minime afficeretur. Sic metus quorumdam baculi ictuum potest esse gravis respectu puellæ, et levissimus respectu militis.

3° Metus oriri potest a principio intrinseco, v. g., a morbo; vel a principio extrinseco, id est a causa extrinseca ei qui timore percellitur.

4° Metus duplici modo a principio extrinseco incuti potest, v. g., a causa necessaria, puta a naufragio, vel a causa libera, nempe ab homine.

5° Metus autem a causa libera proveniens, ob duplicem rationem incuti potest; ob rationem justam, cum ille per quem incutitur legitimam habet rationem inferendi malum quod minatur, v. g., si pater minis cogat corruptorem filiæ suæ, qui matrimonium ei promisit, ad eam ducendam.

Incutitur vero ob rationem injustam, quando ille qui malum minatur legitimam non habet rationem illud in-

fligendi, ut si latro in via mortem viatori minitat, nisi crumenam sibi tradat.

6° Metus denique incuti potest vel directe ad extorquendum consensum in matrimonium, vel ad alium finem a matrimonio diversum, ad obtinendam pecuniam, ad ulciscendam injuriam, etc. *His prænotatis,*

Certum est 1° metum levem, etiam injustum, matrimonium non dirimere, quia deliberationem non impedit et ita statuitur in Decretal. l. 4, tit. 1 de Sponsalibus et Matrimonio, cap. 6.

Certum est 2° metum usum rationis totaliter perturbantem, matrimonium jure naturali dirimere, quia deest consensus essentialiter requisitus.

Certum est 3° metum gravem a causa intrinseca, vel a causa extrinseca sed necessaria, incussum, quo stante agens remanet sui compos, matrimonium non dirimere; non tollit enim libertatem, nec ullam infert injuriam ei qui, tali metu excitatus, ad matrimonium sese determinat : v. g., qui ex decisione medicorum graviter timet mortem nisi nubat, et solummodo ex hoc metu ad matrimonium sese convertit, valide contrahit.

Certum est 4° metum gravem a causa libera incussum, sed ob justam rationem, matrimonium non irritare; qui enim hujusmodi metu contrahit, conqueri non potest injuriam sibi inferri. Unde juvenis qui metu ne ad justam compensationem damnetur, ducit puellam quam vi oppressit, vel sub promissione matrimonii defloravit, valide contrahit.

Certum est 5° metum gravem a causa extrinseca, libera et injusta incussum, sed ob finem a matrimonio diversum, matrimonium adhuc non dirimere; talis quippe metus consensum naturalem in matrimonium non impedit, et aliunde jus positivum loquitur tantum de metu ad extorquendum consensum incusso. Hinc puella promittens matrimonium latroni ut ab injusta vexatione liberetur, valide contrahit cum illo.

Restat ergo metus gravis a causa extrinseca, libera et injusta, ad extorquendum consensum in matrimonium

incussus : constat hunc metum matrimonium dirimere jure ecclesiastico; patet ex cap. 21 et 28 tituli 1 lib. 4 Decretalium, et cap. 2 tit. 7.

An vero metus in eo casu matrimonium dirimat jure naturæ, non sibi concordant theologi. Plures affirmant, his præcipue innixi rationibus : 1° quia matrimonium est perpetuum vinculum amoris, ideoque consensum omnino liberum supponit; 2° consensus in eo casu per injuriam obtinetur : omnis autem injuria reparabilis reparari debet; hinc alii contractus, ex tali metu initi, sunt rescindibiles : porro matrimonium semel validum rescindi non potest : ergo.

Alii vero multo communius et probabilius negant, etenim alii contractus jure naturali sunt validi : ergo et matrimonium, quia non major requiritur consensus ad essentiam hujus quam aliorum contractuum : non est autem de essentia omnis injuriæ ut in eodem genere reparetur : ergo.

Parvi refert an malum quod timetur inferendum sit ipsi personæ contrahenti, an vero parentibus ejus, fratribus, sororibus aut aliis consanguineis vel amicis, qui adeo conjuncti sunt illi, ut tam ipsis quam sibi reformidet malum; tunc enim malum illis intentatum in se redundare putat.

Simplex metus reverentialis quo aliquis inferior matrimonium contrahit ne superiori displiceat, reputatur levis, ac proinde non est impedimentum dirimens, nisi intercedant minæ, verbera, indignationes aliaque hujusmodi. *A fortiori* preces metum gravem incutere non censentur, nisi forte instantes cum reverentia junctæ, personam graviter commoveant, quod ex solis circumstantiis judicari potest.

Qui cum persona metu irritante determinata contraxit, tenetur, præter reparationem damnorum realium, si quæ sint, plenam libertatem ei concedere, et exspectare an sponte consentiat nec ne. Juramentum, cohabitatio, ipsemet matrimonii usus, durante metu, matrimonium validare non possunt. An qui metum intulit a contractu

resilire possit, maxime si aliter damnum compensare valeat, non sunt concordes theologi. Probabilius tamen videtur quod non posset. S. Lig., l. 6, n. 1057.

§ VIII. — De impedimento Ordinis.

Constat Ordines minores matrimonium non dirimere. Quamvis perfecta continentia clericis in Ordinibus sacris presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus constitutis semper præscripta fuerit, non videtur tamen eorum matrimonia pleno jure irrita fuisse ante duodecimum sæculum. Primus ea irritavit, juxta *Tournely* et alios multos, Innocentius II, in conc. Lateran. II, an. 1139, deinde concil. Tridentin. hanc legem confirmavit, sess. 24, can. 9, his verbis : « Si quis dixerit clericos in sacris » Ordinibus constitutos... posse matrimonium contra- » here, contractumque validum esse non obstante lege » ecclesiastica, vel voto; anathema sit. »

Hæc irritatio convenienter fuit instituta, ne clerici sacris Ordinibus initiati, postposito pudore et contemptis censuris ecclesiasticis, non sine ingenti Ordinis sui dedecore et fidelium scandalo, ad desideratas nuptias convolarent, scientes vinculum semel contractum jam disrumpi non posse.

Disputatur inter theologos an Ordo sacer matrimonium dirimat ratione legis Ecclesiæ, an ratione voti solemnis in susceptione Ordinis emissi. Quidam volunt impedimentum vim suam ducere, tum ex voto, tum ex lege Ecclesiæ; sed quidquid sit, omnes fatentur perpetuam castitatem ita susceptioni Ordinis sacri annexam esse, ut qui Ordines voluntarie suscipiens, castitatem vovere nollet, ad eam nihilominus teneretur.

Cum impedimentum istud sit tantum juris ecclesiastici, sequitur Ecclesiam ab illo dispensare posse, sive ante ordinationem, permittendo ut Ordo sacer suscipiatur sine vinculo castitatis, sive post ordinationem, dando licentiam ordinatis matrimonium ineundi.

Vix concipitur dari posse dispensationem primi generis, non defectu potentiæ in Ecclesia, sed defectu causæ

sufficientis : at novissime plura exstiterunt exempla dispensationis secundi ordinis, ad providendum æternæ saluti clericorum, qui, tempore perturbationis Gallicanæ sacrilega attentaverant matrimonia, a quibus civiliter contractis difficile poterant recedere.

Frustra autem clericus, sacris Ordinibus initiatus, talem nunc expeteret dispensationem ut ad sæcularia vota rediret.

Apud Græcos matrimonium stricte prohibitum est episcopis, presbyteris et diaconis, imo et subdiaconis, si quos habeant, quod evidenter supponit Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, diei 24 maii 1743, licet permittatur eis, si ante ordinationem erant conjugati, cum uxoribus vivere, exceptis solis episcopis, ex disciplina synodi Constantin. in Trullo, anno 692, quæ nunc viget etiam apud Græcos catholicos.

Non ita constat apud auctores matrimonium inter Græcos, post susceptum Ordinem sacrum, initum, esse nullum; verum Bened. XIV, in Constitutione citata, id expresse declarat pro ipsis subdiaconis.

§ IX. — De impedimento ligaminis.

Per ligamen intelligitur vinculum matrimonii legitime contracti, quod sola morte alterutrius conjugis solvi potest, *ut supra probatum fuit.*

Stante hoc vinculo, posterius matrimonium est jure divino nullum. Hoc est de fide.

Prob. Matth. XIX, 9. Christus, matrimonium ad primam institutionem revocans, dixit : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Unde, si vir, dimissa uxore, aliam ducere non possit sine mœchia, *a fortiori* qui, propria uxore retenta, aliam duceret. Et quidem Deus, matrimonium instituens, dixit : *Et erunt duo in carne una,* non vero tres aut quatuor. Hinc conc. Trid., sess. 24, can. 2, ait : « Si quis dixerit licere Christianis » plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina » prohibitum ; anathema sit. »

Divina hæc disciplina voci naturæ maxime consonat, uti agendo de polygamia vidimus.

Qui ergo bona fide crederet suum conjugem esse mortuum, dum viveret, et ad alias nuptias convolaret, non peccaret quidem, sed nulliter contraheret, et ad priorem conjugem redire teneretur. Attamen proles ex secundo matrimonio suscepta pro legitima jure canonico habenda est, modo saltem unus ex conjugibus matrimonium bona fide inierit et in ea perseveraverit usque ad tempus conceptionis prolis; in cujus favorem sic statuit Innocentius III, Decretal. l. 4, tit, 17, cap. 14.

Non sufficit sola conjugis absentia, quantacumque sit, nisi certa adsint mortis ejus indicia : unde jus canonicum, lib. 4 Decretal., tit. 1, c. 19, hæc habet : « Quantocum» que annorum numero ita remaneant, viventibus viris » suis, non possunt ad aliorum consortium canonice con» volare, donec certum nuntium recipiant de morte viro» rum ; » et tit. 21, c. 1 : « Donec ei constet quod ab hac » vita migraverit conjux ejus. »

In dubio autem consulendus est episcopus, et, adhuc stante dubio, matrimonium celebrari non potest : validum tamen foret, licet graviter illicitum, si revera mortuus esset conjux de cujus morte dubitatur.

Certitudinem moralem a jure requisitam producere non potest rumor etiam publicus, nisi aliquo indicio positivo fulciatur, nec unicus testis, nisi aliæ adsint conjecturæ : de valore hujusmodi conjecturarum solius est episcopi vel officialis judicare pro foro ecclesiastico.

Cum ligamen sit impedimentum civile sicut ecclesiasticum, officiarius publicus instrumenta mortem conjugis absentis testificantia sibi procurare tenetur. Si parochus sciat illum sufficientem adhibuisse diligentiam, securus esse potest ; secus, tenetur ipse hæc instrumenta authentica perquirere a parocho loci in quo præsumitur conjugem obiisse, vel ab officiario civili aut militari, si de milite ageretur, aut a ministro belli.

Scriptum parochi extranei non est authenticum, nisi a proprio ejus episcopo recognitum fuerit, et insuper

præsentari deberet episcopo diœcesis in qua celebrandæ sunt nuptiæ. Hoc tamen ultimum in hac diœcesi non exigitur.

Quod de obtinenda certitudine mortis conjugis absentis dicitur, fere eadem ratione dicendum est de requirenda libertate extranei qui matrimonio jungendus est. Timendum quippe est ne matrimonium alibi contraxerit, et relicta conjuge, aliud contrahere velit. Attamen in posteriori hoc casu facilius adhibetur fides conjecturis; verum episcopi est in hoc casu pronuntiare, quando superest dubium.

§ X. — De impedimento honestatis publicæ.

Nomine honestatis publicæ intelligitur quædam propinquitas ex sponsalibus validis vel ex matrimonio rato et non consummato proveniens : indecorum visum est Ecclesiæ ut personæ inter quas talis existit propinquitas matrimonium secum inirent.

1° Honestas publica, ex sponsalibus valide contractis oriens, matrimonium dirimit in primo gradu. Impedimentum istud olim extendebatur usque ad quartum gradum, ut patet ex causa 27, quæst. 2, cap. 11, 14 et 15, et ex cap. unico *de Sponsalibus* in Sexto. Concil. Trid. illud expresse confirmat, sess. 24, cap. 3; sed ad primum gradum restrinxit.

Diximus *ex sponsalibus valide contractis*, quia sic concil. Trid., ibid., adhuc restrinxit impedimentum istud, quod olim ex sponsalibus etiam invalidis oriebatur.

Notandum est 1° propinquitatem ex qua nascitur hoc impedimentum, cum solis consanguineis alterius partis contrahi, non vero cum affinibus ejus.

Notandum est 2° impedimentum semel contractum, non tolli per dissolutionem sponsalium, sive dissolutio fiat ex mutuo consensu, sive morte alterutrius sponsorum, sive alio modo, quia cessatio contractus non aufert propinquitatem ex illo natam.

Hinc qui sponsalia contrahit cum una, et sororem ejus cognoscit carnaliter, neutram ducere potest absque dis-

pensatione : non priorem, quia affinitatem cum illa contraxit; non posteriorem, propter impedimentum honestatis publicæ.

2° Ex matrimonio rato et non consummato, etiam invalide contracto, aliter quam ob defectum consensus, nascitur impedimentum honestatis publicæ usque ad quartum gradum. In Decretal. enim l. 4, tit. 1 *de Sponsalibus,* cap. 8, dicitur nullum consanguineorum alterius sponsam ducere posse : restrictio autem concilii Tridentini ad solam honestatem ex sponsalibus orientem respicit, ut expresse declaravit Pius V, an. 1568, in Constitutione *Ad Romanum.* Similiter in capite unico *de Sponsalibus*, in Sexto, statuitur impedimentum ex sponsalibus invalidis, non ob defectum consensus, proveniens, matrimonium usque ad quartum gradum dirimere : *a fortiori,* aiunt omnes canonistæ, impedimentum ex matrimonio invalido nascens : porro concilium Tridentinum, tollendo impedimentum ex sponsalibus invalidis oriens, nullam facit mentionem impedimenti ex matrimonio invalido provenientis : ergo circa hoc punctum antiqua disciplina non fuit mutata.

Matrimonium autem est nullum, defectu consensus, quoties unus contrahentium non præstat consensum naturalem, ad valide contrahendum sufficientem, v. g., si sit impubes, amens, ebrius, vel alio modo usu rationis careat; si erret circa personam; si metu gravi et injusto, ad extorquendum consensum incusso, determinetur; si ficte tantum, vel etiam, juxta multos, si cum impedimento dirimente scienter et serio contrahat.

At, seclusis his casibus, matrimonium cum impedimento initum producit honestatem publicam, ac proinde impedimentum. Item probabilius matrimonium ob clandestinitatem invalidum. Sic *Bonacina*, *Cabassut*, annotator P. *Antoine, Dens,* etc., contra *Sanchez,* etc.

Si nullitas matrimonii e sponsalibus præcedentibus oriretur, impedimentum non produceret respectu prioris sponsi aut sponsæ : v. g., Petrus iniit sponsalia cum Bertha, matrimonium contraxit cum sorore Berthæ abs-

que dispensatione, nullitas hujus matrimonii non creat impedimentum inter eum et Bertham. Si matrimonium istud consummasset, impedimentum affinitatis illicitæ contraxisset. Quoad matrimonium civiliter contractum, vel initum est cum intentione adeundi Ecclesiam, et tunc videtur illud æquivalere sponsalibus, ac ex eo nasci impedimentum honestatis publicæ in primo gradu, vel initum fuit cum intentione in eo sistendi tanquam in vero matrimonio, et tunc est matrimonium clandestinum, impedimentum probabilius producens usque ad quartum gradum.

Generaliter docetur honestatem publicam non oriri ex sponsalibus nec matrimonio invalido, et communius ne quidem e valido, in infidelitate contractis.

§ XI. — De impedimento amentiæ.

Amentia est status hominis adulti, usum rationis non habentis : hac denominatione comprehenduntur furiosi et imbecilles, qui deliberationis et electionis sunt incapaces.

Certum est omnes, qui sat non habent rationis ut mortaliter peccare possint, a matrimonio valide contrahendo esse jure naturali impeditos : id patet, et clare exprimitur in Decretalium l. 4, tit. 1, cap. 24.

Qui lucida habent intervalla, matrimonium tempore rationis valide inire possunt, sed ordinarie illicite, præsertim mulier, ob funestos exitus qui in amentiæ aut furoris æstu contingere possunt, et quia tales personæ ad prolem debite educandam minime sunt idoneæ.

Diximus *ordinarie*, quia fieri potest ut tale matrimonium sit licitum, v. g., ad legitimandam prolem, ad reparandum honorem præclaræ puellæ, ad sanctificandam conjunctionem jam civiliter existentem, etc.

Si uterque contrahens esset amens, pro viribus repellendum foret matrimonium. Dicunt auctores tunc consulendum esse episcopum; at si officiarius publicus hujusmodi sponsos civiliter jungat, non videtur cur ad episcopum recurreretur; certum est enim concedendam

esse benedictionem nuptialem, modo in utroque adsit lumen rationis sufficiens ad valide contrahendum.

§ XII. — De impedimento affinitatis.

Affinitas est propinquitas quam una persona contrahit cum consanguineis alterius personæ cum qua commercium carnale habuit. Sic ista propinquitas existit inter virum et consanguineas mulieris quam cognovit, et inter mulierem et consanguineos viri a quo fuit cognita. Hæc affinitas olim dicebatur primi generis, alia distinguebatur secundi generis, et alia tertii generis, quæ cum affinibus personæ cum qua commercium carnale habitum fuerat contrahebatur. Vide hac de re Coll. Paris. t. II; Coll. Andeg., *du Mariage*, t. II; nunc autem cum solis consanguineis contrahitur : unde natum est axioma juris canonici : *Affinitas non parit affinitatem.* Vide caput *Quod super his*, Decretal. l. 4, tit. 14.

Fundamentum hujus affinitatis est commercium quo duo fiunt una caro, et sic unus consanguineos alterius tangere censetur : requiritur ergo ut commercium sit completum, id est, ad producendam generationem sufficiens; et, sive intra matrimonium, sive extra matrimonium fiat, nihilominus existit affinitas, quia similiter fit commixtio utriusque carnis. In priori casu, affinitas dicitur ex commercio licito; et in posteriori, ex commercio illicito. Affinitas, sicut et consanguinitas, locum habet inter infideles; qui ergo ab infidelitate ad fidem convertuntur, cum tali impedimento jungi non possunt sine dispensatione. Hinc duo fratres ducere possunt duas sorores, vel unus matrem et alter filiam; vel pater et filius ducere possunt matrem et filiam; imo filius potest ducere matrem, et pater filiam, quamvis in ea dispositione ordo naturalis aliquo sensu invertatur; hoc est consectarium principii admissi : *Affinitas non parit affinitatem.* Collator Andeg. et plures alii negant eumdem virum ducere posse mulierem, et, ea mortua, viduam filii ejus, quia conc. Lateran. supprimendo affinitatem ex affinitate provenientem, de sola linea collaterali videtur loqui;

unde concludunt antiquam disciplinam pro linea recta subsistere. At, referente Benedicto XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 13, n. 2, sacra Congreg. Concilii Trid. contrarium resolvit die 8 martii 1721, pronuntians *validum esse matrimonium inter vitricum et uxorem privigni contractum.*

Quæritur 1° quomodo dignoscantur gradus affinitatis.

R. Stipites affinitatis sunt personæ quæ commercium carnale secum habuerunt. Utraque eodem gradu affinis est consanguineis alterius, quo isti ab ea distant. Sic Petrus, qui Annam cognovit carnaliter, est affinis cum matre et filia ejus, in primo gradu lineæ rectæ; cum sorore ejusdem in primo gradu lineæ collateralis; cum consobrina, amita aut nepte, in secundo gradu; cum sobrina, in tertio, etc. Hinc personæ quæ nulli unquam copulatæ sunt, inter se affines esse non possunt.

Quæritur 2° quo gradu affinitas dirimat matrimonium.

R. In linea recta dirimit matrimonium, sicut consanguinitas, in quocumque gradu. In linea collaterali, vel provenit ex commercio licito, vel ex commercio illicito. Si prius, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, sicut consanguinitas : olim illud dirimebat usque ad septimum gradum, sed reducta est ad quartum in concil. Lateran. IV, ut videre est in Decretal. l. 4, tit. 14, cap. 8. Si posterius, non extenditur ultra secundum gradum ex conc. Trid., sess. 24, cap. 4 de Reform. Matrim.

Quæritur 3° ad quem gradum extendatur affinitas in matrimonio invalide contracto.

R. Contrahentes versari possunt in matrimonio invalido cum mala vel cum bona fide : si cum mala fide, copula est illicita; si cum bona fide, copula est licita. In priori casu, non videtur cur affinitas extenderetur ultra secundum gradum; conc. enim Trid. varias species affinitatis illicitæ non distinguit, eam ad secundum gradum reducendo. In posteriori casu, probabilius adhuc nobis videtur eam intra secundum gradum coerceri; copula enim est fornicaria in se. At in utroque casu, si matri-

monium non sit nullum defectu consensus, adest impedimentum honestatis publicæ usque ad quartum gradum *ex supradictis*, p. 312, ac consequenter matrimonium iniri non posset.

Quæritur 4° quo jure affinitas dirimat matrimonium.

R. Quidam arbitrantur affinitatem ex copula licita provenientem, matrimonium jure naturali dirimere in primo gradu lineæ rectæ, v. g., inter vitricum et privignam, socrum et generem (*le beau-père et la bru, la belle-mère et le gendre*); suam sententiam probant, 1° textu B. Pauli, I Cor. v, 1, quo incestuosum damnat, quia uxorem patris sui habebat; 2° ratione, quæ magnam præscribit reverentiam erga eos qui una et eadem caro facti sunt cum parentibus nostris; 3° exemplo nationum etiam ethnicarum quæ a talibus consortiis abhorrent; 4° auctoritate synodi Limanæ, in qua decretum est Peruanos qui hujusmodi matrimonia contraxerant, ea ante baptismum disrupturos.

Multi tamen alii contrarium tenent, et probabilius, ait *Dens*. Sed quidquid sit de potestate, a simili dispensatione Romani pontifices, etsi pluries rogati, abstinuerunt, inquit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 13, n. 4.

In cæteris autem gradibus utriusque lineæ, affinitas non nisi jure positivo matrimonium dirimit, juxta omnes : igitur, si legitima adsit causa, dispensatio concedi potest, 1° in omni gradu et linea affinitatis ex copula illicita provenientis; 2° in omni gradu lineæ collateralis, etiam dum affinitas ex matrimonio provenit, v. g., inter virum et sororem uxoris suæ defunctæ, aut uxorem fratris sui defuncti. Nec obstat quod S. Joannes Baptista dixerit Herodi : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, Marc. vi, 18; quia Herodias, juxta S. Heronymum, in cap. xiv Matth., et Josephum, Antiq. lib. 14, cap. 9, uxor erat Philippi adhuc viventis et fratris Herodis.

Notandum est eos qui scienter matrimonium cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, voti vel ordinis contrahere præsumunt, excommunicationem majorem

ipso facto incurrere, ex Clementina unica de Consanguinitate et Affinit., Clement. l. 4, p. 238. At illa excommunicatio non est reservata.

Nota. — De clandestinitate dicemus ubi de præsentia parochi et testium; de impotentia autem, in libello ab hoc Tractatu separato. Nobis igitur transeundum est ad ultimum impedimentum.

§ XIII. — De impedimento raptus.

Raptus feminæ, intuitu matrimonii ineundi vel libidinis explendæ causa, potestati ecclesiasticæ et civili semper invisus fuit : unde maxime a tempore Constantini Magni, variæ adversus crimen istud libertatis matrimonii subversivum decretæ sunt pœnæ. Sacra vero Tridentina synodus, precibus legatorum Caroli IX, regis Christianissimi, annuens, sequens tulit decretum, sess. 24, c. 6 de Reform. Matrim. : « Decernit sancta synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris » manserit, nullum posse consistere matrimonium, etc. » Verus igitur exquirendus est sensus decreti, ut recte intelligatur in quo impedimentum raptus consistat.

Duplex distinguitur raptus, unus violentiæ et alter seductionis : de utroque seorsim dicendum est.

De raptu violentiæ.

Raptus violentiæ est subductio personæ, ipsa invita, e loco tuto in locum ubi est sub potestate raptoris, idque matrimonii ineundi causa.

Diximus 1° *subductio personæ, ipsa invita;* si enim ipsa voluntarie e loco in locum abiret, tunc esset fuga, non vero raptus.

Diximus 2° *personæ,* sexum non determinando; quia disputatur inter theologos an raptus viri a muliere sit etiam impedimentum in decreto concilii Tridentini contentum : major eorum numerus negat, dicens per raptum simpliciter intelligendum esse raptum feminæ, et de eo solo cogitasse concilium. Alii tamen, præsertim in Gallia, affirmant, quia concilium libertati matrimoniorum consu-

lere voluit et ratio est eadem pro viro et pro femina.

Diximus 3° *e loco tuto in locum ubi est sub potestate raptoris*. Multi contendunt necessariam esse subductionem e domo in aliam domum : verum hoc falsum esse videtur; sufficit enim, ex decreto concilii, ut persona sub potestate raptoris constituatur : porro hoc fieri potest, quamvis e domo in domum non transferatur, v. g., si reperiatur in loco a raptore dependente et ibi concludatur. Præcipue igitur attendendum est an e statu libertatis in subjectionem raptoris transeat, nec ne.

Diximus 4° *idque matrimonii ineundi causa* : omnes quippe fatentur raptum in eo casu esse impedimentum matrimonii dirimens, ex præfato decreto. At, si persona ob finem ab ineundo matrimonio diversum, v. g., ad obtinendam pecuniam, raperetur et matrimonium offerret ut a tali necessitate se liberaret, omnes consentiunt tunc non existere impedimentum raptus : existere potest impedimentum metus, ut supra explicatum fuit. Certum est, e contra, dari impedimentum raptus, si matrimonium sit finis raptus. Graviter autem a nonnullis controvertitur an raptus solius libidinis explendæ causa impedimentum constituat. Fere omnes extranei negant; nam, inquiunt, concilium spectat raptum solummodo in ordine ad matrimonium cujus libertatem assecurare voluit; odia autem sunt restringenda. Ergo, etc. Alii vero sententiam oppositam tenent, dicentes 1° raptum simpliciter intelligi de raptu propter libidinem sicut de raptu ob matrimonium; 2° priorem non minus nocere libertati matrimoni quam posteriorem. Quæ enim puella honesta in tali extremitate constituta, non offerret matrimonium, licet invita, ut honorem suum conservaret? Igitur sufficiens pro ipsa non existeret libertas ad matrimonium ineundum. 3° Nonnulli dicunt decretum concilii eo sensu in Gallia fuisse receptum et hoc sufficere ad introducendum impedimentum dirimens. Nos vero priorem sententiam judicamus melius fundatam. Vide S. Lig., l. 6, n. 1032 et 1107.

Nihil refert quod persona sit minor aut major, virgo aut vidua, casta aut corrupta, quod mediis physicis aut

moralibus, v. g., minis, subducatur, modo id contra ipsius voluntatem fiat. Si vero loco tuto reddita, matrimonio libere consentiat, *eam raptor habeat in uxorem,* inquit sancta synodus Trident.

De raptu seductionis.

Raptus seductionis locum habet cum mulier blanditiis, muneribus, promissis, illecebra voluptatis aut quolibet alio modo illecta, raptorem, invitis iis a quibus pendet, sequitur, aut in locum assignatum voluntarie transit. Si hæc sit major, id est, si a nullo stricte quoad matrimonium pendeat, impedimentum raptus non existit, quia sui est juris. Si vero sit minor, leges civiles in Gallia et communiter canonistæ olim æstimabant hujusmodi raptum esse impedimentum dirimens : 1° quia verba concilii sunt generalia, et posteriorem hunc raptum, sicut priorem, complectuntur. 2° Quia raptus seductionis non minus nocet libertati matrimonii quam raptus violentiæ : imo aliquo sensu plus nocet; violentia enim generat repugnantiam, proindeque resistentiam : seductionis autem proprium est obcæcare et in abyssum dejicere. 3° Concilium Tridentinum novum impedimentum voluit instituere : attamen novum impedimentum non instituisset, si ad solum raptum violentiæ attendisset, cum metus impedimentum jam existeret.

Hujusmodi raptus nec quidem nominatur in novo Codice : aliter lex libertati matrimonii providit, statuens minores sine consensu parentum aut consilii familiæ matrimonium inire non posse. (*Toullier,* t. I, p. 431.)

Nos vero judicamus, cum fere omnibus nunc theologis, ea quæ de raptu libidinis explendæ causa diximus, ad raptum quem seductionis vocant extendenda esse.

Concilium Trid. in eodem decreto decernit contra raptorem et omnes qui consilium, auxilium et favorem ei præbent, excommunicationem ipso facto incurrendam, non tamen reservatam, aliasque pœnas ferendæ duntaxat sententiæ et in Gallia non receptas. Excommunicatio vero recipitur, et ab ea absolvendus est raptor ante matrimo-

nium, si puella, loco tuto reddita, libere consentiat, vel consensum parentum obtineat. Excommunicatio cadit in mulieres ad raptum concurrentes, sicut in viros; non tamen in parochum et testes matrimonio raptæ assistentes. Ita *Dens*, t. VII, p. 337.

Cum raptus seductionis non sit expressus in decreto concilii Tridentini, qui ad hujusmodi raptum concurrunt, excommunicationi non subjacent, ex lege universali Ecclesiæ. Videantur statuta diœcesis Cenom. tit. 4, cap. 4.

ARTICULUS QUARTUS.

DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORUM CANONICORUM.

Inter impedimenta matrimonii canonica, alia sunt juris naturalis, alia juris divini, et alia juris ecclesiastici : quæ sunt juris naturalis aut divini, nulla dispensatione auferri possunt. At de natura est legis ecclesiasticæ ut per dispensationem legitime concessam obligatio ejus tollatur : certum est igitur cuncta impedimenta matrimonii jure ecclesiastico constituta per dispensationem relaxari posse. Sed quæritur a quo, cur et quomodo talis dispensatio concedi possit. Itaque nobis dicendum est 1° de iis qui dispensare possint; 2° de causis ob quas dispensare liceat; 3° de præcavenda nullitate dispensationum; 4° de modo dispensationes a curia Romana obtinendi; 5° de modo eas exsequendi; 6° de modo dispensationes ab episcopo obtinendi et exsequendi.

§ I. — De iis qui ab impedimentis matrimonii dispensare possunt.

Nulla est difficultas quoad summum Pontificem; cum enim sit caput totius Ecclesiæ, et universalem habeat jurisdictionem, a cunctis legibus ecclesiasticis justa de causa dispensare potest : id omnes fatentur.

Certum est parochos nullam habere facultatem ab impedimentis matrimonii dispensandi.

Quæstio igitur agenda est de solis episcopis, et quæritur 1° an jure sibi proprio ab omnibus impedimentis ma-

trimonii dispensare possint : 2° an ab aliquibus et quo jure ; 3° quid possint in Gallia.

Sectio prima. — An episcopi ab omnibus impedimentis matrimonii jure sibi proprio dispensare possint.

Duæ occurrunt theologorum canonistarumque opiniones. Alii enim affirmant, contendentes episcopum ea omnia posse, iure ordinario, in sua diœcesi, quæ Papa in tota Ecclesia potest, nisi facultas ejus expresse fuerit limitata : si autem episcopi non ita nunc dispensant, id factum esse quia mos invaluit hanc facultatem summo Pontifici reservari. Ita *Gerbais*, *Gibert*, *Sainte-Beuve*, *Conf. de Paris*, *Conf. d'Angers*, et communius Galli, asserentes episcopos hac plenitudine potestatis suæ in primis Ecclesiæ sæculis usos fuisse.

Hinc male concludunt (videantur propositiones 6, 7 et 8 a bulla *Auctorem fidei* damnatæ) : 1° episcopum qui jura dignitati sedis suæ annexa retinuit, si a summo Pontifice illa non fuerunt limitata, in omnibus impedimentis dispensare posse ; 2° sedes recenter creatas nulla limitatione in hujusmodi dispensationibus esse coercitas ; 3° in casu quo recursus ad summum Pontificem fieret difficilis, ob aliquod periculum, Pontificis captivitatem, principis prohibitionem, etc., episcopos plenitudinem jurium suorum recuperare. Sic Josephus II prohibuit, anno 1781, ne episcopi Germaniæ ad Romanum pontificem recurrerent pro obtinendis impedimentorum matrimonii dispensationibus : sic minister cultuum significavit, nomine Imperatoris, die 17 maii 1808, omnibus archiepiscopis et episcopis Galliæ facultates legati *a latere* esse terminatas, eosque vi Concordati et libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, in plenitudinem jurium episcopalium intrare.

Plerique tamen Galli ultimas has consecutiones admittere noluerunt ; cæteri vero catholici huic opinioni adversantur, ejusque fundamentum, scilicet episcopum in diœcesi sua posse, seclusa prohibitione expressa, quod summus Pontifex in tota Ecclesia, rejiciunt tanquam falsum et temerarium. Ita Benedictus XIV, de Synodo diœcesana,

lib. 9, c. 1 et 2, cui subscribendum esse arbitramur; etenim episcopi, licet divinam auctoritatem in diœcesi sua habeant, sunt inferiores Ecclesia et summo Pontifice : repugnat ergo ut jure sibi proprio a legibus Ecclesiæ et summorum Pontificum dispensare valeant; porro impedimenta matrimonii a conciliis generalibus vel a summis Pontificibus instituta aut sancita fuerunt : ergo. Unde referente Benedicto XIV, loco citato, « sacræ Congregatio-
» nes Concilii et supremæ Inquisitionis non semel pro-
» scripserunt, tanquam falsam aut temerariam, proposi-
» tionem asserentem episcopo jus dispensandi super im-
» pedimento dirimente publico quod obsistat matrimonio
» contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi
» necessitas. « Pius VI hac in parte Josepho II fortiter obstitit, et Pius VII in brevi diei 27 februarii 1809, cardinalibus, episcopis et vicariis capitularibus Galliarum directo, pro extensione facultatum a Sancta Sede concessarum, eamdem opinionem vocat perversam et periculosissimam. Si autem accessus ad summum Pontificem fieret diu impossibilis, quod Deus non permittet, episcoporum esset pronuntiare quid in talibus circumstantiis agendum foret. Plures contendunt eos tunc ob graves rationes dispensare posse, quia salus fidelium et bonum societatis christianæ id exigit.

Sectio secunda. — An episcopi generatim ab aliquibus impedimentis matrimonii dispensare valeant, et quo jure.

1° Omnes fatentur eos ab impedimentis impedientibus dispensare posse, idque agnoscit Benedictus XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 2, n. 1, excepto voto perpetuæ castitatis vel ingrediendæ religionis eo modo quo in Tractatu *de Decalogo* explicatur, ubi de reservatione votorum.

Cum obligatio sponsalium sit juris naturalis, episcopi pronuntiare possunt an adhuc existat vel non, non vero ab illa proprie dispensare possunt.

2° Apud omnes certum est episcopum dispensare posse super impedimento matrimonio valide contracto advenïente, ut dicemus ubi de debito conjugali.

3º Idem Pontifex, multos ibidem citans theologos, asserit episcopos habere facultatem relaxandi impedimentum irritum faciens matrimonium jam contractum. Verum sex requirit conditiones, scilicet 1° ut matrimonium cum debitis solemnitatibus fuerit celebratum; 2º cum bona fide unius saltem; 3° ut sit consummatum; 4° ut impedimentum sit occultum; 5° ut recursus ad summum Pontificem sit difficilis; et 6º ut sponsi separari non possint sine scandalo. S. Ligorius, cum aliis communiter, l. 6, n. 1123, dicit simpliciter episcopum dispensare posse, si periculum infamiæ, scandali vel incontinentiæ timeatur et aditus ad Papam non pateat facilis.

4º *Sanchez*, l. 2, disp. 39, n. 8, et post ipsum communiter theologi docent episcopum adhuc dispensare posse impedimento dirimente occulto, quando omnibus ad nuptias paratis, matrimonium differri non potest sine infamia aut scandalo : nam, inquiunt, præsumendum est summum Pontificem in eo casu episcopum delegare. Benedictus XIV hanc decisionem refert et non condemnat. Vide *Ferraris*, vº *Impedimentum*, art. 5, n. 18; S. Ligorium, l. 6, n. 1122. Plures apud hunc auctorem dicunt episcopum, iisdem militantibus causis, etiam super impedimento publico dispensare posse, v. g., ad legitimandam prolem, ad honorem puellæ servandum, etc. Sed hæc opinio non videtur satis fundata ut admittatur in praxi.

5º In dubio de existentia vel reservatione impedimenti, episcopus pronuntiare debet, et, stante dubio, secundum communem sententiam dispensare potest ad cautelam. Si vero, omnibus sedulo perpensis, probabilius sit impedimentum existere, summi Pontificis dispensatio necessaria est. *Collet, Traité des dispenses*, t. I, l. 1, c. 3, n. 13, et l. 2, c. 3, cum multis aliis theologis, ut videre est apud S. Ligorium, l. 6, n. 902; sed negat post Coll. Andeg. episcopum uti posse facultate dubia super impedimento certo. Saltem tutius est in eo casu ad summum Pontificem recurrere, *ut patet*.

In cunctis casibus supra memoratis, episcopi dispensant

jure sedibus suis annexo, saltem consuetudine universim recepta. Igitur potestas eorum est ordinaria, vel, ut alii dicunt, quasi ordinaria, ac proinde delegari potest. Probabilius est vicarium generalem illam ratione officii sui non habere; sed communiter episcopus in litteris ei commissis illam exprimit, et tunc nulla est difficultas. Ex eodem principio sequitur hanc potestatem competere vicariis capitularibus, sede vacante : officiali vero ut tali non competit.

At si episcopi a quibusdam impedimentis vi indulti Apostolici sibi personalis dispensent, ut in multis diœcesibus, juxta probabiliorem sententiam, neminem, ne quidem vicarium generalem, delegare possunt, nisi verba indulti id permittant.

Si, ut communius, indultum pontificale conferat episcopo facultatem generalem dispensandi per se vel per vicarios generales, et si episcopus generatim delegaverit, in suis litteris, vicarios generales ad recipiendas et exsecutioni mandandas omnes litteras Apostolicas, nulla videtur difficultas. Si, e contra, indultum contineret verba restricta, v. g., *communicandi in partem* vel *in totum*, etc., specialis requireretur delegatio.

Facultas dispensandi, quæ competit episcopo vi consuetudinis legitimæ, sedi suæ specialis, transit probabiliter ad vicarios capitulares, nisi aliter ferat consuetudo. At facultas dispensandi ex indulto, habenda est generatim ut privilegium personale, quod juxta regulam juris moritur cum episcopo, nisi, ex tenore indulti, episcopus moriturus facultatem suam delegare possit alteri qui ea, sede vacante, uti poterit, ut non raro fieri in Belgio asserit *Dens*, t. VI, p. 349 et seq.

Legati *a latere* et nuntii Apostolici dispensare possunt, in sua provincia, super omnibus impedimentis de quibus episcopi jure ordinario dispensant.

Si contrahentes ex diversis sint diœcesibus, tenemus cum multis theologis adversus *Tournely*, *d'Argentré* pluresque alios, necessariam esse dispensationem utriusque episcopi, quia uterque jurisdictionem habet in suum diœ-

cesanum; *Confér. de Paris, Confér. d'Angers*; *Collet, Traité des dispenses*, 1re *part.*, c. 17, *n.* 12, etc. Si unus facultatem ab illo impedimento dispensandi non habeat, recurrendum est ad summum Pontificem, et dispensatio ab eo obtenta pro utraque diœcesi valet, quia summus Pontifex universalem habet jurisdictionem. Semper igitur dispensare potest, etiam in casibus auctoritatem episcoporum non excedentibus.

Episcopus qui Apostolicum obtinuit indultum ad dispensandum in nonnullis impedimentis, solos diœcesanos dispensare potest, nisi specialem obtinuerit facultatem alienigenas in diœcesi sua degentes dispensandi. Attamen, ex pluribus S. Pœnitentiariæ decisionibus nuper obtentis, episcopus, non ordinaria, sed facultate a Sancta Sede absque ulla conditione sibi concessa, cum suis diœcesanis super aliquo impedimento canonico dispensans, facta mentione delegationis Apostolicæ, valide dispensat etiam in casu in quo una pars est alterius diœcesis, quia ea facultas procedit a Papa, et sublato impedimento ex una parte, altera pars fit libera.

Quæritur qualis requiratur habitatio ut episcopus cum alieno dispensare possit.

R. Episcopus eos omnes et solos dispensare potest quos matrimonio valide jungere posset, id est, eos qui in ipsius diœcesi habent domicilium aut quasi-domicilium sensu quo explicabitur ubi agetur de proprio parocho, in articulo *de Clandestinitate*.

Sectio tertia. — De potestate episcoporum super impedimentis Matrimonii in Gallia.

Constat illos eadem posse circa impedimenta, tum dirimentia, tum impedientia, quæ alii episcopi jure communi possunt. Sola igitur difficultas est circa validitatem privilegiorum sedibus annexorum.

Coll. Paris. asserit, t. III, omnes episcopos in Gallia consuevisse dispensare super impedimentis dirimentibus publicis inter pauperes, et ubi non est facilis recursus ad summum Pontificem. Eamdem opinionem docuit *d'Ar-*

gentré, episcopus Tullensis. Verum alii eam rejiciunt. *Collet*, t. II, c. 18, n. 10, concludit partem tutiorem eligendam esse. Fere omnes episcopi in Gallia, ante Concordatum anni 1801, specialia habebant privilegia sedibus suis annexa, vi quorum dispensabant ad contrahendum super impedimentis publicis; alii in quarto gradu consanguinitatis et affinitatis, alii in tertio; quidam etiam in secundo, ut episcopus Cenomanensis. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 2, n. 5 et 6, tales consuetudines reprobat, dicitque eas, si in aliquam diœcesim irrepserint, non nisi dubiam creare facultatem quæ prudenter exerceri non potest, ubi de validitate sacramenti agitur. Eas a fortiori, post Concordatum anni 1801, multo magis reprobaret.

Certum est tamen non in aliqua diœcesi tantum, sed in plerisque diœcesibus Galliæ hujusmodi exstitisse consuetudines, eisque usos fuisse episcopos, per se vel per vicarios suos generales, sine anxietate usque ad Concordatum, et fere omnes theologos ac canonistas nostros ne ullum quidem movere dubium circa talium dispensationum validitatem. Vicarii capitulares, sede vacante, iisdem utebantur privilegiis.

Quæstio est an eadem privilegia nunc existant et an in praxi eis uti liceat. Duplex est sententia.

Alii namque non pauci contendunt omnia illa privilegia penitus fuisse exstincta per bullam *Qui Christi Domini*, diei 29 nov. 1802, in qua Pius VII dicit : « Supprimimus, » annullamus et perpetuo exstinguimus titulum, domina» tionem totumque statum præsentem ecclesiarum archie» piscopalium et episcopalium ; una cum respectivis earum » capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscum» que generis. »

Nullum est dubium, inquiunt patroni hujus sententiæ, quin summus Pontifex cuncta privilegia cum ipsis sedibus episcopalibus annullare potuerit : ea autem annullare voluit, *ut patet ex verbis citatis*, eaque, novas sedes erigendo, non instauravit, cum de illis nihil dicat : ergo vere sublata fuerunt.

Præterea, novæ diœceses ex partibus diversarum diœceseon compositæ sunt, privilegiasedibus conservatis annexa ad partes sic adunatas extendi non potuissent : hinc magna orta esset confusio : sapientius ergo omnia privilegia fuerunt suppressa.

Eo sensu cardinales et prælati Romani respondere solent. Sic specialiter respondit sacra Congregatio Epist. et Regul. vicario capitulari Leodiensi, die 13 februarii 1815, dicens privilegia sedis Leodiensis per bullam *Qui Christi Domini*, fuisse exstincta, non vero restituta per novam creationem illius sedis. Sic et nobis dictum est Romæ, ibique tenetur dispensationes, vi dictorum privilegiorum concessas, esse nullas. Unde episcopi nunc dispensare non audent, nisi virtute indultorum a summo Pontifice sibi concessorum, et quidem merito.

Alterius sententiæ defensores contendunt antiqua privilegia nunc subsistere, 1° quia rationabiliter præsumitur summum Pontificem ea tantum supprimere voluisse quæ novo rerum ordini adversabantur ; at privilegia de quibus agitur novo rerum ordini minime erant opposita. 2° Bulla citata, licet verbis generalibus expressa, leges et consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ non abrogavit; id patet ex praxi, ex consensu omnium Gallorum et silentio Romanorum pontificum : ergo nec privilegia sedibus specialiter annexa. 3° Eo sensu Constitutiones summorum Pontificum obligant quo fuerunt receptæ : atqui bulla Pii VII recepta non fuit in Gallia quoad suppressionem dictorum privilegiorum. 4° Multi episcopi his privilegiis a Concordato usque ad nos semper usi sunt; Romanus pontifex id non ignorat, et tamen non reclamavit. 5° Partes ex aliis diœcesibus per novam circumscriptionem extractæ, privilegiis ecclesiarum quibus subjiciuntur participant. Ergo.

Prior sententia nobis videtur sola in praxi sequenda. Opposita stricte reprobatur Romæ. Consuli possunt : *Les Tablettes du Clergé, t.* V, *p.* 194 *et* 253, et l'*Ami de la Religion, t.* XVII, *p.* 157.

§ II. — De causis ob quas ab impedimentis matrimonii dispensare liceat.

Dispensatio generatim concedi potest quoties adest necessitas vel utilitas. Summi Pontificis autem vel episcoporum est de necessitatis vel utilitatis existentia judicare.

Præcipuæ causæ ob quas summus Pontifex dispensare solet, et quæ ab episcopis dispensationem rite concedentibus similiter accipiuntur, sunt : 1° ex parte feminæ, angustia loci, unde timendum est ne convenienter extraneo nubere non possit : omnis pagus vel civitas trecentos non habens focos seu 1200 personas, hæreticis et publice impiis non numeratis, angustus reputatur locus : probabilius nobis videtur personas debere esse agglomeratas et ultra 1200, ut locus jam dici non possit angustus. 2° Defectus dotis competentis quæ ipsi a cognato affertur, vel ab extraneo, sed ea conditione ut cognato nubat. 3° Ætas jam provecta, scilicet viginti et quatuor annorum, quia timendum est ne alterum sponsum adeo sibi convenientem invenire nequeat. Notat *Dens* cum Pyrrho Corrado, hanc causam pro vidua non valere; sed merito allegaretur eam prole esse gravatam. 4° Copula jam habita, et timor ne puella infametur : verum si copula habita fuisset ut dispensatio facilius obtineretur, hæc intentio explicanda foret. 5° Nimia inter partes familiaritas, unde timendum esset scandalum. 6° Proles nata aut concepta quæ legitimanda est. 7° Exstinctio vel evitatio gravium litium aut inimicitiarum inter duas familias. 8° Conservatio bonorum in illustri familia. 9° Excellentia meritorum erga Ecclesiam. 10° Virtutes christianæ quæ in altero viro probabiliter non invenirentur.

Alia nunc addi potest causa frequenter in Gallia occurrens, nempe matrimonium civiliter contractum, vel periculum ne contrahatur, et tunc dispensatio conceditur præcipuæ in gratiam sponsæ, prolis natæ aut nascituræ, et familiæ, vel ad vitandum scandalum religioni et moribus perniciosum.

Ex litteris D. *Ferucci* expeditionarii Romæ existentis,

ad secretarium episcopatus Cenomanensis, diebus 15 junii et 20 julii 1833 rescriptis, causæ canonicæ nunc admissæ, sunt, pro dispensatione in consanguinitate et affinitate, in secundo ad secundum, in secundo ad tertium, et etiam in primo ad secundum, angustia loci, lites vitandæ, copula habita, scandalum tollendum, et ætas mulieris viginti quatuor annorum et ultra. Utiliter tamen aliæ allegantur ad istas confirmandas aut validiores reddendas.

Pro dispensatione affinitatis in primo ad 1um, requiritur simul attestatio qua constet dispensationem regiam fuisse concessam, et timor fundatus ne partes civiliter contrahant ac in tali contractu civili maneant.

Aliquando contingit unam causam seorsim sumptam non esse sufficientem, sed cum una aut altera junctam reputari gravem, ac proinde sufficientem.

§ III. — De dispensationibus vitiatis.

Duplici modo dispensationes substantialiter vitiari possunt, nimirum per subreptionem et per obreptionem : si quid reticeatur quod declarari deberet, est subreptio ; si quid falsi supponatur, dicitur obreptio. Subreptio et obreptio versari possunt circa causam finalem dispensationis, vel tantum circa causam impulsivam. Causa finalis ea est sine qua dispensatio non concederetur, aut non nisi cum certis restrictionibus : causa autem impulsiva ea dicitur sine qua dispensatio non tam facile, sed tamen in eadem forma concederetur.

Certum est subreptionem et obreptionem circa causam finalem, dispensationem reddere nullam, quia in dispensante nulla est voluntas dispensandi, cum nullum vel falsum sit motivum allegatum : unde in omni rescripto Apostolico hæc clausula : *Si preces in veritate fundantur,* subintelligitur, quando non est expressa ; Decretal. l. 1, tit. 3, c. 2.

Communius docent auctores, cum *Sanchez*, l. 8, disput. 17, causam in se falsam, sed bona fide æstimatam veram tum a dispensante, tum a contrahentibus, et cu-

jus falsitas facile deprehendi non potest, non reddere dispensationem subreptitiam nec obreptitiam ; quia illud exigere videtur rationabilis administratio. Hinc puella allegavit se 24 annos habere completos, quod bona fide credebat, et, matrimonio jam inito, deprehendit se habere tantum 23 annos, matrimonium reputaretur validum. Si autem ante celebrationem matrimonii falsitas causæ detegeretur, saltem tutius esset novam obtinere dispensationem, vel a matrimonio abstinere. Contra vero si causa in se vera æstimaretur falsa, et tamen ex mala fide allegaretur, probabilius adhuc judicatur dispensationem esse validam, quia realiter vera est causa.

Causa autem vera esse debet tempore quo breve vel rescriptum expeditur Roma, quia subintelligitur semper preces esse veras aut saltem habitas bona fide ut veras, juxta sententiam modo expositam. Debet etiam esse vera tempore fulminationis, nam communiter in rescripto vel in brevi, quod expeditur per modum commissionis, id est, per quod datur facultas dispensandi dicitur, *si res ita sit*, aut quid æquivalens. Aliunde, sola ratio dictat intentionem superioris non esse dispensationem valere, si tempore exsecutionis res aliter sit quam exponitur.

Si duæ causæ expositæ fuissent et una tantum esset vera, quid? Si neutra per se sufficiens judicaretur, dispensatio esset nulla, ut patet. Si vero ea quæ vera est, talis sit ut summus Pontifex in pari casu dispensare soleat, valet dispensatio, juxta communiorem sententiam, modo error bona fide irrepserit. Negat tamen Pontius cum Pyrrho Corrado, quia dispensatio concedi quidem potuisset ob unam causam ; sed concessa est ob duas, et superior fuit deceptus. *Collet* arbitratur hanc opinionem ut tutiorem solam admittendam esse in praxi, et tamen episcopum dispensationem istam dubiam revalidare posse. Probabilius nobis videtur illam esse validam.

Quando, omnibus perpensis, dubitatur an causa allegata fuerit vera aut falsa, an fuerit finalis vel impulsiva, an facta recte fuerint exposita, in his et in cunctis similibus dubiis, dispensatio habenda est ut valida : in du-

bio enim standum est pro validitate actus : bonum publicum et tranquillitas familiarum id postulant; S. Ligorius, l. 6, n. 1123. Si vero matrimonium nondum esset celebratum, ab illo abstinendum aut nova obtinenda esset dispensatio, nisi forsan in casu urgentis necessitatis.

Notandum est suppressionem veri circa ea quæ ex jure, consuetudine aut stylo curiæ Romanæ aperienda sunt, semper reputari substantialem. *Ita omnes canonistæ.* Jam vero hæc præcipue e stylo curiæ Romanæ necessario aperiri debent : 1° nomen et cognonem oratorum, 2° diœcesis vel diœceses eorum, si ex diversis sint diœcesibus; probabilius est tamen errorem in nomine, cognomine et diœcesi, validitati dispensationis non officere, modo constet de corpore, id est de impedimento et causa : ita *Sanchez*, l. 8, disp. 21, n. 37, etc., et plurimi apud ipsum; 3° locus quem habitant, si propter angustiam loci dispensatio petatur; 4° species impedimenti; unde, si consanguinitas pro affinitate exprimatur, aut vice versa, nulla est dispensatio, nisi concedatur pro consanguinitate vel affinitate, ut nunc fieri solet; 5° numerus impedimentorum : si unum sit publicum et alterum occultum, solum publicum exprimitur in supplicatione ad Datariam, et utrumque in supplicatione pro Pœnitentiaria; 6° duplex consanguinitas aut affinitas si adsit; 7° filiatio aut compaternitas in cognatione spirituali, id est, exprimendum an unus oratorum alterum baptizaverit, vel in fontibus sacris tenuerit, an vero prolem ejus tenuerit aut baptizaverit : multo difficilius conceditur dispensatio in priori quam in posteriori casu; 8° linea et gradus: et si gradus sit inæqualis, propinquior exprimendus est, tum in consanguinitate, tum in affinitate, et vir, sive sit propinquior, sive remotior a communi stipite, semper nominandus est prior, non tamen pro validitate. Hinc nulla esset dispensatio, si loco tertii gradus, quartus designatus fuisset; secus vero, juxta probabiliorem sententiam contra Pyrrhum et *Van Espen*, si loco quarti tertius expressus fuisset, quia quartus in tertio continetur. 9° Si

inter oratores consanguineos aut affines copula exstiterit, exprimenda est; et si unus vel uterque eam habuerit cum intentione dispensationem facilius obtinendi, id adhuc manifestandum est. Vide Bened. XIV, Inst. 87. n. 10 et seq. Non tamen necesse est dicere quoties habita fuerit. Pyrrhus, hac in materia valde peritus, affirmat, l. 8, c. 1, copulam inter impeditos cognatione spirituali vel honestate publica, pariter esse declarandam.

Si post supplicationem missam partes relabuntur in copulam, non ideo dispensatio erit nulla, saltem ubi agitur de dispensationibus Datariæ in forma ordinaria concessis; secus quando agitur de dispensationibus in forma pauperum aut a sacra Pœnitentiaria datis. Ita saltem testatur suo tempore idem Pyrrhus, l. c. 5, n. 38. At si ante supplicationem copula habita non fuisset et deinde ante dispensationis exsecutionem contingeret, nulla esset dispensatio, nisi rescriptum contineret clausulam : *Pro delendo reatu incestus usque ad exsecutionem præsentium litterarum iterato.*

Exsecutio autem estne completa per actum Officialis dispensationem fulminantis sine partium acceptatione? Pyrrhus Corradus affirmat expresse, l. 8, c. 1, n. 45, et dicit oratores, decretum dispensationis ignorantes, nihilominus jam aptos esse ad contrahendum, ac proinde copulam inter eos amplius non esse incestuosam.

Qui vero dispensationem super affinitate contracta propter commercium habitum cum futuræ sponsæ suæ consanguinea in primo aut secundo gradu petiisset, et obtenta dispensatione, commercium cum eadem iteraret, nova indigeret dispensatione, quia novam contraxisset affinitatem.

10° Exprimendum est an affinitas in primo et in secundo gradu ex copula licita vel illicita proveniat, quia difficilius in priori quam in posteriori dispensatur.

11° Si matrimonium cum impedimento celebratum fuerit, exprimendum est an cum debitis proclamationibus, ante faciem Ecclesiæ, cum bona vel mala fide utriusque vel alterutrius sponsorum, cum spe dispensationem

facilius obtinendi; an sit consummatum, et cum intentione dispensationem facilius obtinendi. Si eadem intentione civiliter fuisset contractum, id adhuc declarandum foret; non autem si simpliciter fuit contractum, aut post supplicationem contrahitur.

12° Dubia est dispensatio petita in forma pauperum, si partes reipsa non sint pauperes; hæc autem paupertas sic exprimenda est in litteris testimonio episcopi munitis et Romam mittendis : *Oratores pauperes et miserabiles existunt, et ex labore et industria sua tantum vivunt.* Necesse est ergo ut duo hæc verba, *pauperes et miserabiles*, vera sint tempore impetrationis et fulminationis.

Non omnes qui ex sola industria vivunt, reputandi sunt *pauperes et miserabiles*, cum multi hac via fiant divites; nec, *a fortiori*, ii omnes quibus non suppetit reditus sufficiens ad vivendum sine labore, ut quidam prætendunt; sed, e contra, omnes qui annuos reditus habent, non sunt divites. Id ex circumstantiis æstimandum est. Ex declaratione a rectoribus Apostolicæ Datariæ anno 1841 data, ii reputandi sunt pauperes, quorum fortuna valorem circiter 3,000 francorum non excedit; ii vero quorum fortuna 10,000 fr. valorem non excedit, dicuntur fere pauperes. Hi offerre debent saltem 15 fr. supra id quod solvitur pro dispensatione in forma pauperum.

Pro cæteris declarandus est status fortunæ, modo rationabili, absque scrupulis, et congrua offerenda est summa. Debita recte deducuntur.

Filiifamilias reputari non debent pauperes, licet nihil possideant, si ascendentes habeant divites. *Ita omnes theologi.* Similiter, si unus oratorum esset pauper et alter dives, dispensatio in forma pauperum obtineri nequit. Omnes præcedentes regulæ sequendæ sunt in supplicationibus ad episcopos directis, sive ut eas transmittant Romam, sive ut ipsi dispensent. Episcopi tamen speciales habent regulas relative ad partium fortunam æstimandam.

Nota. Auctores, etiam Romani, docent probabilius errorem circa nomina et pronomina, iterationem copulæ incestuosæ, validitati dispensationis non nocere. Atta-

men, inter facultates a sacra Pœnitentiaria episcopis Galliarum quotannis transmissas, reperitur facultas *convalidandi litteras dispensationis... quæ nullæ factæ fuerint ob incestum reticitum in precibus aut patratum seu iteratum post missas preces et ante dispensationis exsecutionem; vel quæ nullæ fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium.* Non dubium est quin standum sit praxi quæ usitatur Romæ, præsertim cum in sacramentis pars tutior sit eligenda.

Quæritur 1° quomodo taxa pecuniaria seu *componenda*, ut dicitur Romæ, conciliari possit cum textu conc. Trid., sess. 24, c. 5 de Ref. Matrim., declarantis : « In contra» hendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispen» satio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. »

R. Si pecunia occasione dispensationum soluta in beneficium dispensantis vergeret, tunc violaretur mandatum concilii et existeret simonia : verum habetur tantum ut eleemosyna in pia opera necessario impendenda, sicque oratores qui sufficientes non habent causas ut dispensationem obtineant, eleemosynam offerunt, et ratione boni operis de Ecclesia bene merentur. Unde summi Pontifices jusserunt « ut tota pecuniæ solutio pro dispensa» tionibus in pios usus impenderetur, et Innocentius X » adjecit ne ea confunderetur cum aliqua pecunia quæs» toris generalis curiæ, sed ut deponeretur in *monte pie*» *tatis* et illinc abstrahi non posset nisi mandato Pontifi» cis, per quod illa in pia opera distribueretur. » Sunt verba Pallavicini, in Hist. Conc. Trid., l. 23, c. 8, n. 11.

Episcopi qui, vi potestatis ordinariæ, consuetudinis aut indulti personalis, dispensant, eleemosynam pro qualitate personarum exigere possunt, sed in pios usus, » in favorem seminarii diœcesani, vel indigentium eccle» siasticorum erogandam, et non aliter, retento visibili » et publico registro harum eleemosynarum cum inscrip» tione finem et usum ipsarum designante, graviter one» rata super his omnibus episcoporum conscientia. » (Pius VII indulto diei 27 febr. 1809, ad archiepisc. et episc. Galliæ directo.)

Verba Pii VII, *in favorem seminarii*, etc., sunt in exemplum, et alios pios usus, ad judicium episcopi, non excludunt. Vide S. Ligorium, l. 3, n. 96.

Si autem, contra votum concilii in eodem capite 5 expressum, frequenter ac sine gravi causa concedatur dispensatio etiam in secundo gradu, id primum factum est a sancto Pio V, paulo post concilium regnante et deinceps a successoribus ejus, quia mox comprobavit experientia multa oriri mala ex nimiis obstaculis matrimonio consanguinitate aut affinitate conjunctorum oppositis, nimirum gravia inter eos delicta, matrimonia cum aliis personis repugnante animo contracta, fraudes et mendacia ad dispensationes obtinendas, proindeque conjunctiones sacrilegæ, anxietates timoratorum qui semper metuebant ne causæ ab ipsis allegatæ non sufficerent, etc. Vide Pallavicinum in loco citato.

Quæritur 2° an in supplicia describenda sit genealogia partium pro quibus dispensatio sollicitatur.

R. Praxis nunc usitata est ut genealogia non mittatur. Sufficit ut linea et gradus consanguinitatis aut affinitatis clare exprimantur.

§ IV. — De modo dispensationes a curia Romana petendi.

Duplex est tribunal Romæ erectum, a quo dispensationes conceduntur, pro qualitate impedimentorum.

Duplicis enim generis sunt impedimenta, publica scilicet et occulta.

Ea impedimenta dicuntur publica, quæ ad forum externum deduci possunt sine infamia, scandalo aliisque incommodis; qualia sunt impedimenta ex cognatione vel ex aliis causis honestis orientia. Contra vero impedimenta ex aliquo delicto provenientia, ex fornicatione, ex incestu, ex adulterio, sunt ex natura sua occulta.

Dicimus *ex natura sua*, quia si certo modo manifestentur, fiunt publica.

« Dicitur impedimentum vel crimen occultum, licet » aliquibus sit notum, puta quatuor vel quinque, et hanc » opinionem servat sacra Pœnitentiaria, » inquit Fagna-

nus celebris sacræ Pœnitentiariæ corrector, apud Bened. XIV, Inst. 87, n. 44. Excipit, nisi Pœnitentiaria verbis consuetis, *dummodo impedimentum sit occultum*, addat, *omnino occultum*, ut facere solet, cum impedimentum criminis, quo uterque contrahens mortem prioris conjugis molitus fuerit, dispensandum proponitur. Sæpissime impedimentum criminis reputatur occultum, quia saltem una e conditionibus requisitis non constat.

Juxta alios a Bened. XIV relatos, n. 45, et non improbatos, impedimentum adhuc censetur occultum, si in civitate septem vel octo personis tantum notum sit. At si publicum sit in loco ubi fuit contractum, occultum vero in domicilio impetrantis, circumstantia publicitatis aperienda est.

Contingere potest ut impedimentum quod initio fuit publicum, tractu temporis in oblivionem deveniat. Si per decennium sic manserit oblitum, reputatur occultum. Bened. XIV, ib., n. 47.

Verum ille Pontifex negat occultum reputandum esse impedimentum *materialiter* publicum et non *formaliter*; id est, cum factum est notum, sed impedimentum ex facto proveniens non noscitur.

Tribunal institutum Romæ ad dispensandum super impedimentis publicis, vocatur *Dataria*, et tribunal ad dispensandum ab impedimentis ex natura sua occultis, appellatur *Pœnitentiaria*.

De Dataria.

Generatim impedimenta publica, ut ea definivimus, ad jurisdictionem Datariæ pertinent. Igitur supplica dispensationis ad ipsum Papam dirigitur in sequenti forma et idiomate latino, licet id non sit absolute necessarium.

Beatissime Pater,

Franciscus N. et Catharina N. e parochia vulgo dicta N. diœcesis N. consanguinei in secundo gradu æquali, matrimonium secum inire cupiunt, et ideo dispensationem sibi

necessariam a Beatitudine Vestra suppliciter efflagitant.

Rationes sunt : 1° ætas puellæ quæ jam viginti et quinque annis nata, alium probabiliter non inveniret virum cui convenienter nubere posset ; 2° votum utriusque familiæ et virtutes christianæ in utroque oratore existentes ; 3° angustia loci.

Vir autem centum et quinquaginta fr. annuos in reditibus possidet, et quingentos alios pariter in reditibus sperat post mortem patri sui : puella nihil nunc habet, sed mille francos annuos sperat post mortem parentum suorum.

N.... die....

P. rector.....

Si sint pauperes, post rationes expositas dicitur : *Pauperes et miserabiles existunt, atque ex labore suo et industria tantum vivunt.*

Si non sint omnino pauperes, sed fortuna eorum sit inter 3,000 et 10,000 francos, in tota summa debitis deductis, tunc sufficit ut dicatur : *sunt fere pauperes, et offerunt pro componenda....*

Pro dispensationibus in forma pauperum non solvitur *componenda*, verum semper aliquid solvendum est scribis et agentibus qui aliud salarium non habent, et ordinarie circiter viginti aut viginti et quinque franci : quidam alii faciendi sunt sumptus pro itu, reditu, etc. Summa totalis ordinarie est triginta fr.

Supplica a parocho oratorum, eorum nomine redacta, ad episcopum mitti debet : deinde ipse episcopus vel vicarius generalis eam testimonio, sigillo ac chirographo episcopali munitam, mittit Romam, ad mandatarium suum, qui dispensationem sollicitat eamque ad episcopum transmittit.

Testimonium episcopi aut vicarii generalis litteris supplicibus apponendum, sic breviter nec non sufficienter exprimi potest :

Nos episcopus... vel *vicarius generalis illustrissimi ac*

reverendissimi N., episcopi N., testamur N. vere esse parochum nostræ (vel hujus) *diœcesis, et testimonium ejus omnimoda fide dignum esse.*

N..... die.....

Supplicæ in quibus causæ canonicæ non exprimuntur, vel quæ testimonio episcopi aliave conditione requisita carent, dilacerantur, et ab officiariis Datariæ non respondetur.

De bancariis in curia Romana expeditionariis, quorum ministerio olim utendum erat, non loquimur, quia per hanc viam dispensationes communiter nunc non sollicitantur, bene vero per mandatarium episcopi Romæ degentem, ut indicavimus.

Notandum est nullam ordinarie expediri dispensationem diebus dominicis aliisque diebus festivis, neque per duos menses vacationum in autumno, neque per tres hebdomades a Nativitate Domini nostri Jesu Christi incipientes, neque per tres hebdomades ante Quadragesimam, neque per duas hebdomades in Pascha, duas in Pentecoste et duas in festo sancti Petri.

Si inter consanguineos, affines aut spiritualiter cognatos, qui dispensandi sunt, exstiterit copula notoria, aperienda est in supplica, *ut diximus* p. 330. Si vero hæc copula mansisset occulta, certum est non dari obligationem illam in supplica ad Datariam exprimendi, quia nemo tenetur se diffamare, et aliunde hæc revelatio incestus occulti non præcipitur. Quidam auctores gravis ponderis negant in eo casu recurrendum esse ad Pœnitentiariam, dum dispensatio postulatur a Dataria, quia incestus non constituit impedimentum : hoc quidem probabile nobis videtur. Plures alii dicunt rem Majori Pœnitentiario deferendam esse, et explicandum publicum impedimentum super quo summus Pontifex dispensavit vel dispensaturus est (1). Vide P. *Antoine,* t. VI. Attamen

(1) Hæc opinio, ut pote tutior, sola in praxi tenenda est.

si matrimonium urgeret, recurrendum esset ad episcopum, qui, *ex supradictis* p. 321, ab ea conditione dispensare posset jure ordinario, si hanc facultatem vi indulti non haberet, sicut nos habemus.

Si autem tanta esset necessitas ut nec ad episcopum recursus pateret, tunc parochus, priori sententia utens, matrimonio benedicere posset, quia in tali necessitate opinionem probabilem et non tutiorem sequi licet. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 613 et 1122.

Dispensationes Dataria valent pro utroque foro, externo scilicet et interno.

De Pœnitentiaria.

Sacra Pœnitentiaria est tribunal erectum Romæ pro iis concedendis dispensationibus et facultatibus quæ ad forum internum solummodo spectant. Omnia in eo expediuntur gratis. Administri ejus fixa recipiunt stipendia, et dum munus obeunt, hoc modo jurant : *Officium meum fideliter exercebo et gratis, ejusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum vel donatum accipiam;* Bened. XIV, Inst. 87, n. 30. Tota hæc docti Pontificis institutio, quæ longa est, circa sacram Pœnitentiariam versatur. Spirituale hoc tribunal velut normam nunc sequitur Constitutionem Innocentii XII, qui majori Pœnitentiario concessit facultatem dispensandi aut committendi aliquem ad dispensandum in causis matrimonialibus. 1° In matrimoniis contrahendis, super omni impedimento occulto, ad sensum supra expositum, matrimonium non dirimente, ac consequenter super voto perpetuæ castitatis aut ingrediendi religionem. 2° Super occulto impedimento criminis aut affinitatis ex copula illicita, tum ad revalidandum matrimonium nulliter contractum, tum ad contrahendum, non autem ad contrahendum super impedimento consanguinitatis aut affinitatis ex copula licita, vel cognationis spiritualis quantumvis occultæ, et licet periculum scandali immineat. 3° Si agatur de matrimoniis jam contractis, super consanguinitate et affinitate occulta in tertio et quarto gradu, non autem in primo nec in se-

cundo, *nisi in secundo impedimentum saltem per decennium duraverit occultum.* 4° Super tertio et quarto gradibus publicis ad revalidandum matrimonium ex causa subreptionis vel obreptionis occultæ nullum : tamen, si falsitas consisteret in narratione præcedentis copulæ quæ non exstitisset, ad Datariam recurrendum esset. 5° Quamvis Innocent. XII nihil dicat de matrimonio invalide contracto propter occultum cognationis spiritualis impedimentum, non dubitandum est, inquit Bened. XIV, Inst. 87, n. 11, quin Major Pœnitentiarius ab illo dispensare possit. 6° Si dispensatio obtenta fuerit a Dataria, super gradu consanguinitatis aut affinitatis ex copula licita prohibito tam in primo et secundo quam in secundo tantum, ac etiam in tertio et in quarto, tacita copula inter oratores secuta, potest Major Pœnitentiarius dispensare, tum ad revalidandum, tum ad contrahendum matrimonium, si copula sit adhuc secreta; et si de primo et secundo, aut secundo tantum gradu agatur, « facta compositione quinquaginta » ducatorum auri de camera ad Datariam transmittendo- » rum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in » eleemosynas : » sunt verba Innocentii XII. Si dispensatio concessa fuisset in forma pauperum, tunc quinquaginta ducati non exigerentur.

Nunc communiter episcopi, vi indultorum pontificalium, in plerisque supradictis casibus dispensant, quod multas præcavet difficultates.

Notat Benedictus XIV, loco citato, n. 26, dispensationem non raro concedi in Dataria sine causa, nempe ob eleemosynam quæ præstatur, et id in Pœnitentiaria locum habere non posse, proindeque causam canonicam semper exponendam esse.

Non minus timenda est subreptio et obreptio in dispensationibus a sacra Pœnitentiaria quam a Dataria obtinendis : clare igitur, nitide et sine ulla reticentia aut falsitate tota aperienda est causa, cum essentialibus circumstantiis suis.

Unusquisque, sine ministerio agentis, ad sacram Pœnitentiariam scribere et responsum ab ea obtinere potest,

litteras *postæ* committendo et pretium pro itu solvendo.

Parvi refert quo idiomate conficiantur litteræ : convenit tamen uti lingua latina præsertim si scriba sit clericus. Non ad Papam, sed ad Majorem Pœnitentiarium diriguntur, et sequenti aut alia forma simili inscribi possunt, supposita exprimendo nomina, aut solummodo litteram *N.* loco nominum personarum ponendo, aut simpliciter his vocibus utendo, *quidam, quædam, orator, oratrix*, etc.

Eminentissime ac reverendissime Domine,

Exponitur humiliter Eminentiæ Vestræ Bertham carnaliter a Jacobo cognitam fuisse : nunc vero a fratre ejusdem Jacobi requisita cupit matrimonium cum illo inire ; jam viginti et quatuor annos nata, et dotem non habens, timet ne aliud matrimonium tam conveniens invenire non possit : quapropter Eminentiæ Vestræ reverenter supplicat quatenus cum ipsa super dicto affinitatis impedimento per gratiam specialem benigne dispensare velit.

Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me infra scriptum destinare.

N. rector parochiæ
vulgo dictæ N.

département de

Si Bertha consanguinea esset cum eo a quo requiritur, et dispensatio postulata fuisset a Dataria, hoc exprimendum esset in supplica ad sacram Pœnitentiariam, sequenti aut alio simili modo.

Eminentissime et reverendissime Domine,

Jacobus et Bertha, consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt : nunc vero Bertha a Joanne fratre Jacobi in matrimonium requisita, ei nubere cupit, 1° *quia ætate jam est provecta, nempe triginta annorum nata;* 2° *quia sufficientem non habet dotem ut alium virum sibi convenientem sperare valeat;* 3° *quia ex*

hac unione rixæ familiarum probabiliter cessabunt. Ambo supplicant SS. DD. nostro in Dataria ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare. Eminentiæ autem vestræ humiliter supplicat oratrix ut, non obstante dicto affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite ac valide matrimonium contrahere atque in eo contracto manere valeat.

Altera supplica.

Eminentissime ac reverendissime Domine,

Quædam puella annos circiter viginti nata, votum castitatis perpetuo servandæ scienter ac libere emisit : nunc vero confessarii judicio, qui jamdudum confessiones ejus excipit, in periculo salutis versaretur si non nuberet : quapropter enixe supplicat ut votum ipsius ad effectum matrimonii contrahendi commutetur.

Dignetur Eminentia Vestra, etc.

Illæ litteræ testimonio episcopi aut vicarii generalis non indigent : in quacumque *posta* deponi possunt (*en les affranchissant et en indiquant exactement son nom, sa demeure, le lieu de poste le plus proche et le département*).

Superscriptio, gallice *l'adresse,* sic esse debet :

Eminentissimo et reverendissimo Domino Domino Cardinali Pœnitentiario,

Romam.

Si post sex hebdomades aut duos menses responsum non advenerit, altera mittenda est supplica, dicendo eam esse secundam.

Tutius est dare hujusmodi supplicas obsignatas episcopatus secretario, qui eas mittet Romam, rescriptum accipiet et transmittendum scribenti curabit, repetens ab eo compensationem sumptuum pro itu, reditu et procuratione (*agence*).

§ V. — De exsecutione dispensationum.

Vario modo exsecutioni demandantur dispensationes prout a Dataria vel a Pœnitentiaria conceduntur.

De exsecutione dispensationum Datariæ.

Breve dispensationis in Dataria expeditum ordinarie dirigitur ad vicarium generalem vel officialem, qui solus habet facultatem illud exsequendi : neque ipse episcopus illud valide exsequi posset, juxta multos auctores, sive extraneos, sive Gallos, ut *Sainte-Beuve, Pontas*, Coll. Andeg., etc. In diœcesibus in quibus existit officialis ab episcopo nominatus et a vicario generali diversus, ad quem breve dirigitur, hic tantum, et ipso impedito, juxta communiorem opinionem, pro officialis ex officio, non vero vicarius generalis, idoneus est ad exsecutionem ejus valide perficiendam.

Gravis movetur quæstio an scilicet episcopus possit per seipsum exsequi dispensationem ad officialem directam, aut vicarium generalem aliumve clericum designare ad talem vel talem dispensationem fulminandam in particulari. Negat *Sanchez* cum multis aliis, præsertim quoad ipsum episcopum. Alii apud nos affirmant, et Rituale Bellicense expresse docet, t. III, p. 93 4ª edit., utrumque fieri posse.

Communiter docetur in Gallia officialem a capitulo nominatum, sede vacante, exsequi posse breve postulatum et expeditum vivente episcopo. Coll. Paris., t. III; Coll. Andeg., *des Lois*, t. II, etc.

Si impetrantes duplicis sint diœcesis, breve committitur officiali diœcesis mulieris; attamen multi auctores dicunt illud ab officiali diœcesis viri valide fulminari posse. Multi alii negant, inter quos Pyrrhus Corradus, l. 7, cap. 5, et id saltem ut tutius servandum est. Si breve per errorem ad officialem alterius diœcesis directum fuerit, ut probabile habetur officialem partium dispensationem fulminare posse. Ita Rit. Bellic., D. *Car-*

rière, etc. Seclusa urgente necessitate, arbitramur recurrendum esse ad Papam.

Officialis autem cui commissa est exsecutio brevis, ad tenorem ejus sedulo attendere debet, ut a clausulis in eo expressis minime recedat.

1° Caveat ne aliquis irrepserit error circa nomen supplicantium, diœcesim, impedimentum et causam allegatam : igitur accuratam informationem præscribit Pontifex, dicens : « Mandamus, quatenus... te de præmissis diligenter informes, et si per informationem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus... »

Quamvis supponatur informationem factam fuisse a parocho ante dispensationis postulationem, nihilominus altera facienda est per ipsum officialem, vel, ut communius fit, per aliquem ab ipso delegatum, tum propter mutationes quæ contingere potuerunt, tum propter errorem qui potuit irrepere, tum propter obedientiam summo Pontifici eam præcipienti debitam. Probabilius est tamen dispensationem ab officiali pronuntiatam, non factis perquisitionibus debitis, validam esse, modo causæ summo Pontifici expositæ reipsa veræ sint ; sed graviter peccaret officialis, nisi aliqua suaderet necessitas hoc in casu particulari faciendum esse. Ita graves judicant viri ; et reipsa Pontifex, non præcise informationem, sed rei veritatem sub pœna nullitatis præscribere videtur. Alii tamen aliter sentiunt. V. *Reiffenst.*, l. 4, *Append. de dispensat.*, n^is^ 323 et 324.

Non absolute necesse est ut formæ judiciales in auctoribus descriptæ serventur, dummodo « extrajudicialiter cognoscatur expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere. » Conc. Trid., sess. 22, c. 5 de Reform. Servandæ sunt autem formæ ab episcopo in Rituali vel aliter statutæ, sed earum observatio non est sub pœna nullitatis, modo de veritate precum alias constet.

Si, informatione facta, res ex omni parte reperiatur ut in Litteris Apostolicis exprimitur, tunc nulla est difficultas ; officialis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, hoc

enuntians, atque testificans informationem præscriptam factam fuisse, et preces in rei veritate fundari repertas, dispensationem concedit ac impetrantium parocho mandat ut benedictionem nuptialem eis, præhabitis solemnitatibus requisitis, impertiat. Si publicus exstiterit incestus, breve dispensationis fert officialem absolutionem ab incestus reatu, censuris et pœnis ecclesiasticis *pro utroque foro* daturum et pœnitentiam gravem ac salutarem impositurum esse.

Hujusmodi dispensationes accurate describi debent in registro officialitatis vel in secretario episcopatus, ut canonicitas matrimonii semper probari possit. Non videtur tamen hanc descriptionem, quæ certe omitti non debet, ad essentiam dispensationis pertinere : nullibi eam reperimus sub pœna nullitatis præceptam.

Certum est quod officialis aliquem pro facienda informatione committere possit, quia, facta sibi relatione, de veritate factorum ipse judicat : contra vero neminem delegare posset ad ipsam dispensationem nomine Sanctæ Sedis concedendam, quia delegatus pro causa particulari subdelegare non potest; nulla igitur foret dispensatio aut dispensationis fulminatio, nisi chirographo officialis muniretur.

Si contingeret Litteras Pontificias amitti, nihilominus officialis, dummodo de tenore earum constaret, dispensationem juxta formam consuetam concedere posset; cum enim actus voluntatis summi Pontificis vere existat, datur relaxatio legis.

Stricte prohibet summus Pontifex, et quidem sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ*, ne officialis aliquid *muneris aut præmii, occasione dispensationis, exigere aut oblatum recipere temere præsumat*. Ne quidem ergo eleemosynam ab impetrantibus petere potest, nisi forte Papa id permiserit.

In diœcesibus ubi titularis officialis non existit, episcopus unum e vicariis suis generalibus designat qui hoc munus pro exsecutione Litterarum Apostolicarum implet, non una vice tantum, sed modo permanenti.

De exsecutione dispensationum sacræ Pœnitentiariæ.

Nunc non raro sacra Pœnitentiaria dispensat super impedimentis publicis paupertati junctis : tunc commissio dispensandi datur Ordinario, videlicet episcopo aut vicario generali, ut dispenset pro utroque foro.

Aliqua fieri debet informatio, ut veritas certe innotescat, non tamen necessario per formam authenticam ut in dispensationibus e Dataria venientibus, nec sub pœna nullitatis, cum non præcise præcipiatur.

Plures communiter adjiciuntur clausulæ, quæ non raro variantur. Adamussim intelligendæ et adimplendæ sunt.

Quando impedimentum publicum provenit ex delicto, vel junctum est cum delicto, v. g., cum incestu, vel cum existentia aut probabili metu contractus civilis, dispensatio, quæ etiam a sacra Pœnitentiaria impertiri potest, licet de pauperibus non agatur, concedi non solet nisi sub conditione pœnitentiæ adimplendæ, et, si in forma pauperum, eleemosynæ faciendæ. Si eleemosyna et pœnitentia in brevi determinentur, ad tenorem verborum impleri debent, et aliqua mutatio fieri non potest nisi ab ipsa auctoritate quæ eas determinavit.

Si vero, ut communiter evenit, eleemosyna et pœnitentia prudentiæ Ordinarii relinquantur determinandæ, Ordinarius eas, habita ratione facultatum ac dispositionum partium, ad majorem earum utilitatem spiritualem determinare debet, meliori quo poterit modo ut voces brevis, *gravis et salutaris*, verificentur.

Pœnitentia ab Ordinario injungenda, est independens a pœnitentia sacramentali quam confessarius injungere debet.

At si, matrimonio jam peracto deprehendatur pœnitentiam impositam esse nimiam, non fuisse impletam, nec fore implendam, ac proinde jam non esse *salutarem*, æstimamus illam mutari posse vel ab Ordinario, vel ab officiali, prout dispensatio venit a Pœnitentiaria vel a Dataria, quia ille actus est quasi accessorium principalis et ejus complementum.

Applicatio dispensationum a sacra Pœnitentiaria pro utroque foro concessarum, fit ab ipso Ordinario, vel a subdelegato in dignitate constituto, qui commissionem adimplere potest, et pœnitentiam quidem injungere, extra sacrum tribunal; et tunc dispensatio in publico matrimoniorum registro inscribi debet.

Executio autem brevium ac rescriptorum consuetorum sacræ Pœnitentiariæ committitur confessario ab impetrante eligendo : hic deberet esse doctor aut saltem graduatus in theologia, vel in jure canonico; sed quoniam raro nunc inveniri possunt confessarii laurea magisterii sic decorati, ordinarie simpliciter designatur confessarius, sine addito : tunc impetrans habet facultatem eligendi quem voluerit, sed inter eos qui ab Ordinario sunt approbati.

Si vero qualitas doctoris exprimeretur, solus doctor ab Ordinario approbatus eligi posset, aut rescribendum foret ad sacram Pœnitentiariam, eam rogando ut hanc restrictionem supprimeret. Attamen speciali concessione Gregorii XIII, anni 1582, omnes presbyteri e societate Jesu hoc privilegio gaudent, si per superiorem ad munus istud deputati fuerint.

Si confessarius a pœnitente semel electus, rescriptum sacræ Pœnitentiariæ exsequi nolit aut non possit, Coll. Paris., t. III, et plures alii theologi censent rescriptum illud alteri confessario præsentari non posse, sed ad Pœnitentiariam de novo recurrendum esse. Alii vero communius oppositam sententiam tenent, ut videri potest apud *Collet*, t. II, et *Compans*, t. I, etiamsi primus confessarius dictum aperuisset ac legisset rescriptum, præsertim si ab illius exsecutione aliquo impedimento, v. g., morbo et *a fortiori* morte, prohiberetur. Episcopus in eo casu pronuntiare potest.

Plurimæ apponi solent in rescripto conditiones essentiales quæ sub pœna nullitatis adimpleri debent, videlicet :

1° *Si res ita sit ;* caute igitur examinandum est an sacra Pœnitentiaria per oratorem aut per alias personas de-

cepta non fuerit; solum tamen dispensandum interrogando, nec juramentum ab illo exigendo, nisi rescriptum id præcipiat, ut fit ordinarie quando de primo gradu agitur; *Dens*, t. VII; P. *Antoine*, nova edit., t. VI. Ex recentiori formula Pœnitentiariæ examen non requiritur sub pœna nullitatis, modo aliunde constet de veritate precum. Confessarius credere debet pœnitenti, nisi certissime sciat illum falsum dicere.

2° *Audita prius sacramentali confessione*, etc. Itaque in solo foro interno confessarius hac facultate uti potest, et quidem post veram confessionem sacramentalem in qua a peccatis confessis absolvere possit. Attamen responsio sacræ Pœnitentiariæ apud *Compans*, t. I, relata, statuit dispensationem validam fore, etsi confessio sit nulla, et absque sacramentali absolutione concedi posse, si *forte urgens aliqua necessitas id suadeat.*

3° *Sublata occasione amplius peccandi*, etc. Si ergo impetrans occasionem peccandi dimittere nollet, dispensationis particeps fieri non posset.

4° *Ab incestu... absolvens.* Unde qui absolutione dignus non esset, nec pariter dispensari posset, saltem licite, excepta urgenti necessitate modo enuntiata.

5° *Hac vice in forma Ecclesiæ consueta.* Si ab expeditione rescripti usque ad ejus exsecutionem nova commissa fuissent peccata, ab eis etiam reservatis confessarius absolvere posset, non autem ab illis quæ postea iterarentur.

6° *Injuncta ei gravi pœnitentia salutari.* Caute, et tamen sine scrupulo, hæc servanda est clausula; gravis et salutaris pœnitentia ex sola prudentia confessarii determinanda est, habita ratione personarum, conditionis, sexus, ætatis, etc. Aliquando præcipitur pœnitentia *gravis et longa*, vel *gravis et diuturna*, vel *gravissima et perpetua.* Recitatio Coronæ, v. g., singulis hebdomadis per annum, est gravis et longa; per tres annos, esset diuturna. Sunt autem qui contendunt pœnitentiam non requiri sub pœna nullitatis, nisi quando ipsa in rescripto specificatur. V. *Reiffenst.*, n. 342.

Si confessarius, ex culpabili negligentia, pœnitentiam

delicto proportionatam non imponat, graviter peccat; verum, juxta fere omnes, dispensatio est nihilominus valida; non ita constat, si pœnitens, gravem suscipiendo pœnitentiam, intentionem eam implendi non haberet. Si intentionem habuerit eam adimplendi, et tamen eam omiserit, nec possit implere, arbitramur confessarium qui eam imposuit, illam secundum prudentiam suam, mutare posse, *ut supra diximus.*

7° *Et aliis quæ de jure fuerint injungenda,* id est propter alia peccata aliasve obligationes pœnitentis.

8° *Dummodo impedimentum sit occultum :* unde si notorium esset, eo sensu quo supra diximus, ab eo confessarius dispensare non posset.

9° *Et aliud canonicum impedimentum non obstet;* si enim confessarius aliud deprehenderet in pœnitente impedimentum quod non fuisset expressum, rescribendum esset ad sacram Pœnitentiariam; et, si impedimentum istud esset publicum, simul ad Datariam.

« Statim ac litteræ seu diplomata ipsis (confessariis) a » Pœnitentiario reddentur, sæpius illa percurrant, ut iis » omnibus fideliter satisfaciant quæ præscribuntur; » Benedictus XIV, Inst. 87, n. 81.

Post absolutionem sacramentalem, si de ineundo matrimonio agatur, his verbis utantur, inquit idem Pontifex ibid. : *Et insuper auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento* (primi, v. g., vel secundi, aut primi et secundi gradus affinitatis, provenientis ex copula illicita quam habuisti cum sorore, vel cum matre, etc., mulieris cum qua contrahere intendis) *ut, præfato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma concilii Tridentini, contrahere, consummare ac in eo manere licite possis et valeas. In nomine Patris*, etc.

Insuper eadem auctoritate Apostolica prolem quam ex hac muliere suscepisti, legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris, etc.

Si de matrimonio jam inito res est, post consuetam absolutionem a censuris et a peccatis, hæc ita pronuntient:

Et insuper auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento... ut, eo non obstante, matrimonium consummare ac in eo manere possis. In nomine Patris, etc.

Dantur in Rituali exemplaria formularum pro aliis impedimentis de quibus S. Pœnitentiaria dispensare solet. Illæ autem formulæ nullibi sub pœna nullitatis præscribuntur : quamvis igitur confessarius eas omittere non debeat, nihil tamen in eo casu timendum esset pro validitate dispensationis.

Si confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare posset; tunc enim causam sibi legitime commissam et nondum absolutam continuaret.

Tenetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, dispensatione concessa, litteras Pœnitentiariæ dilacerare, atque si eas latori restitueret, nullus foret earumdem effectus pro foro externo; valeret autem pro foro interno, ait *Compans* et plures apud ipsum, t. I.

Quando impedimentum utrique contrahenti notum est et commune, uterque a respectivo confessario dispensandus est, ex decisione S. Pœnitentiariæ, diei 15 nov. 1748. Idem rescriptum duobus inservit confessariis, et ab eo dilaceratur qui ultimo illud in pœnitentem suum exsequitur; *Collet, Traité des dispenses*, t. III, *Lettre* 41; *Dens*, t. VII.

Unde matrimonium cum dispensatione tantum confessarii unius partis contractum, nullum esset. Caute procedendum est ne sigillum confessionis violetur. Ubi impedimentum uni tantum notum est, unica etiam requiritur exsecutio.

§ VI. — De modo dispensationes ab episcopo obtinendi et exsequendi.

Ubi agitur de impedimentis a quibus episcopus vi indulti Apostolici dispensat, stricte servandæ sunt regulæ juris communis; v. g., impedimenta clare exponendo, etc., rationes veras et canonicas allegando, etc., et caute standum est intra limites in indulto Apostolico

expressos; alioquin grave existeret periculum ne dispensatio foret nulla. Nunquam omittatur expressio indulti Apostolici vi cujus dispensatio conceditur. Bened. enim XIV, Const. *Ad tuas manus,* et doctores Romani aperte docent dispensationes vi indultorum Apostolicorum concessas, non facta mentione facultatis Apostolicæ, irritas esse saltem ubi hæc mentio expresse requiritur. In diplomate facultatum, a S. Pœnitentiaria provenientium, ordinarie dicitur : *Sub ea tamen expressa conditione ut in singulis actis expressa mentio fiat specialis Apostolicæ delegationis*, aut alia æquivalentia adhibentur verba.

In his autem casibus, in quibus jure ordinario dispensant, regulas pro diœcesibus suis speciales statuere possunt episcopi sub pœna nullitatis. Tunc apprime eas servare tenentur parochi. Si autem regulæ hujus generis non existant, duo sufficiunt, scilicet, 1° ut causa clare exponatur, et 2° ut episcopus vel vicarius generalis scripto aut viva voce declaret se dispensare vel facultatem dispensandi concedere.

In impedimentis fori externi, qualia sunt cuncta impedimenta consanguinitatis et affinitatis ex copula licita provenientia, dispensatio semper danda est scripto in secretario episcopatus commemorato; alioquin validitas matrimonii canonice non constaret.

Episcopi eorumque vicarii generales duplici modo, sicut Papa aut sacra Pœnitentiaria dispensare possunt, scilicet immediate impedimentum per se tollendo, et in forma commissoria, dando facultatem in casu determinato dispensandi. Tunc autem, si de foro interno agatur, confessarius uti debet forma superius expressa aut alia simili.

In foro externo per se ipsos dispensant, non vero dant facultatem dispensandi, proindeque necesse est ut preces veritate sint fundatæ tempore quo dispensatio conceditur.

Si consanguinei, affines aut cognatione spirituali conjuncti copulam inter se habuerint, quæ manserit occulta, eam extra confessionem revelare non tenentur. Attamen, sicut ille incestus, juxta tutiorem sententiam, sacræ Pœ-

nitentiariæ manifestandus est si recurratur Romam, sic declarandus est episcopo aut vicario generali, sub nominibus suppositis, dicendo dispensationem postulatam vel obtentam esse super impedimento consanguinitatis in tali vel in tali gradu. Aliquando utendum est via obliqua, ne superior advertat, conferendo utramque petitionem, inter quas personas exstiterit incestus, sicque frangatur confessionis sigillum. Si autem impetrantes turpitudinem suam superiori simul cum impedimento revelari consentiant, nulla erit difficultas : promptius ac tutius obtinebitur dispensatio, et superior servabit secretum.

ARTICULUS QUINTUS.

DE IMPEDIMENTIS CIVILIBUS EORUMQUE DISPENSATIONE.

Impedimenta civilia ea dicuntur quæ principes sæculares independenter ab Ecclesia constituere possunt.

Nobis primo expendendum est an principes sæculares habeant potestatem talia constituendi impedimenta quæ matrimonium dirimant. Postea de eorum natura, numero, consectariis et dispensatione in totidem paragraphis breviter dicemus, et tandem sextum addemus de vi nullitatum quas inducunt.

§ I. — An principes sæculares habeant potestatem constituendi impedimenta quæ matrimonium dirimant.

Non disputatur de potestate principum sæcularium circa effectus civiles matrimonii : una quippe est sententia, eos in hac materia alios non agnoscere limites quam æquitatis et justitiæ.

Communiter etiam admittitur eos constituere posse impedimenta prohibentia quæ etiam in foro conscientiæ vim habeant si justa sint. Sola igitur quæstio est de impedimentis quæ contractum naturalem irritent.

Quidam contendunt eos nunquam dirimere posse potestate propria contractum naturalem, quia voluntates contrahentium attingere nequeunt, et quia insuper bonum publicum talem potestatem in eis non requirit. Sed

hæc opinio generatim rejicitur; nullus enim contractus sine voluntate contrahentium validus esse potest : attamen principes contractus mere temporales ad bonum publicum spectantes annullare possunt, quasdam apponendo conditiones sine quibus validi esse nequeunt : ergo et matrimonium, quod ad bonum publicum sane præ cæteris spectat.

Sanchez probare intendit, l. 7, disp. 3, n. 2, principem sæcularem, ex genere et natura suæ potestatis, impedimenta matrimonium fidelium sibi subditorum dirimentia constituere posse, sicque sacramentum, materiam ejus tollendo, invalidum reddere: multos pro ea sententia citat auctores; sed dicunt Ecclesiam hac potestate principibus christianis interdicere posse, quia matrimonium, ratione sacramenti, factum est sub aliquo respectu res sacra, et revera interdixisse, propter abusus existentes aut prævisos.

Alii, inter quos Petrus *Soto* qui concilio Tridentino interfuit, et plerique auctores Galli, ut *de Marca, Gerbais, Gibert, d'Argentré, Tournely,* theologia Rothomagensis, etc., contendunt principes sæculares jure proprio constituere posse impedimenta matrimonium subditorum fidelium dirimentia, non tantum quoad effectus civiles, sed etiam quoad vinculum. Nam principes habent potestatem dirimendi contractus naturales quando bonum publicum id exigere ipsis videtur, v. g., contractus venditionis, donationis, et etiam matrimonii inter subditos infideles, juxta fere omnes : at eamdem habere debent potestatem quoad matrimonium inter fideles : si illam quippe non haberent, vel quia bonum publicum id exigere non posset, vel quia eam per conversionem subditorum amisissent, vel quia Ecclesia illius exercitium coercuisset : atqui nihil horum dici potest. Non primum; matrimonium siquidem non minus boni publici interest apud Christianos, quam apud infideles. Non secundum; quia nullo facto ostenditur Christum auctoritatem principum restringere voluisse, et reipsa videmus imperatores christianos, ut Theodosium Magnum et Justinianum,

impedimenta matrimonium dirimentia, non contradicente Ecclesia, constituentes. Non tertium; nulla enim exhibentur judicia quibus Ecclesia jus naturale principum circa matrimonia restringere tentaverit, et insuper probatur quod illud auctoritate sua restringere non possit. Ergo.

Alii denique, nunc communissime inter extraneos, dicunt principes nativam habere potestatem contractum matrimonii naturalem dirimendi, propter bonum publicum; sed ex quo Christus illud ad dignitatem sacramenti elevavit, factum esse rem sacram, ad forum ecclesiasticum transiisse, sicque exercitium potestatis civilis, natura rei, ex ordinatione Christi, prohibitum esse. Præcedentem sententiam in duobus primis hujus Tractatus editionibus velut probabiliorem docuimus; verum, post maturius examen, et obtentis documentis a nobis ignotis, ultimæ sententiæ adhærendum esse judicamus; sitque

PROPOSITIO.

Impedimenta a sola potestate civili constituta, matrimonia Christianorum dirimere non possunt.

Prob. auctoritate concilii Tridentini, summorum Pontificum, sacræ Pœnitentiariæ, doctorum catholicorum, praxi Ecclesiæ et rationibus theologicis.

Primo, auctoritate concilii Tridentini, sess. 24, cap. 1, sic se habentis : « Tametsi dubitandum non est clandes» tina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, » rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea ir» rita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos » sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac » rata esse negant. » Si concilium persuasum non habuisset solam Ecclesiam vera impedimenta constituere posse, accurate non locutum esset; nam matrimonia clandestina a potestate civili irritari potuissent, et tunc falsum esset ea esse vera quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Ergo.

Canon 12 sic se habet : « Si quis dixerit causas matri» moniales non spectare ad judices ecclesiasticos; ana» thema sit. » Negari non potest ibi non agi de causis ad

contractum mere civilem attinentibus, sed de causis quæ ad sacramentum, ac proinde ad materiam ejus seu contractum naturalem spectant: unde, si omnes causæ ad contractum naturalem spectantes ad Ecclesiam pertineant, principes non habent potestatem hunc contractum irritandi: at, in mente concilii Tridentini, omnes causæ contractum naturalem spectantes ad Ecclesiam pertinent. Nam 1° verba canonis sunt generalia, et nihil excipiunt. 2° Cardinalis Pallavicinus, Hist. concil. Trid., l. 23, cap. 9, n. 11 et 12, *Soave,* id est, *Fra-Paolo,* narrantem absurdum visum esse politicis constitui per articulum fidei causas matrimoniales ad judicem ecclesiasticum pertinere, « cum hæc definitio appareat contraria » iis quæ leguntur in Codice tum Justiniani, tum Theo- » dosii, et in aliis antiquitatis monumentis, ubi patet a » principibus laicis præscribi conjugiorum impedimenta, » et ab iisdem arbitratu suo relaxari, » graviter carpit, dicitque hanc potestatem penes solam Ecclesiam nunc existere. 3° Pius VI, in litteris ad episcopum Montulensem, diei 16 septembris 1788, talem esse sensum præfati canonis 12 expresse declarat, dicens: « Ignotum nobis » non est quosdam adesse qui sæcularium principum auc- » toritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis » captiose interpretantes, illud defendendum suscepe- » runt, ut quoniam Tridentini patres hac dicendi for- » mula usi non fuerint, *ad solos judices ecclesiasticos,* » aut *omnes causas matrimoniales*, potestatem reliquerint » judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimonia- » les quæ sunt meri facti. Sed scimus etiam hanc captiun- » culam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento » destitui. » Summi est autem Pontificis concilium Tridentinum interpretari et genuinum ejus sensum assignare. Ergo 1.

Secundo, auctoritate summorum Pontificum: nempe 1° Honorii III, qui, Decretal. l. 2, tit. 10, cap. 3, clare docet causam natalium seu de validitate matrimonii ad solum judicem ecclesiasticum pertinere; 2° Benedicti XIV qui, litteris diei 9 februarii 1749 ad cardinalem Ebora-

censem, ait, n. 7, loquens de lege Theodosii matrimonium inter Christianos et Judæos prohibentis, « quod » hæc lex, ut pote a laico principe condita, nullam ha» bere vim in matrimoniis debet. » Idem docet clarissimus Pontifex, de Synodo diœcesana, l. 8, cap. 12, n. 6, et l. 9, cap. 9, n. 3; 3° Pii VI citati; 4° Pii VIII, qui, in Encyclica diei 24 maii 1829, dicit matrimonium non « humana tantum ex lege, sed ex divina regi ipsum de» bere, ac non terrenis, sed sacris rebus ipsum accensen» dum esse, ideoque Ecclesiæ omnino subjici : » licet quæstionem non definiat, satis manifestat se eodem modo de hac re sentire ac Pontifices maximos prædecessores suos. Ergo 2°.

Tertio, auctoritate sacræ Pœnitentiariæ, quæ pluries consulta an matrimonia canonice contracta cum uno ex impedimentis civilibus in Gallia nunc exstantibus essent valida ratione sacramenti, constanter respondit affirmative. Ergo 3°.

Quarto, auctoritate doctorum catholicorum. S. Th. Sup. q. 57, art. 2 ad 4, agens de lege civili cognationem legalem inter impedimenta matrimonium dirimentia recensente, ait, « quod prohibitio legis humanæ non sufficeret » ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Eccle» siæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit. » Sic pariter docent omnes extranei auctores, sive theologi, sive canonistæ, et multi Gallicani vel Belgi, etiam Sanctæ Sedi non nimis faventes, ut *Van-Espen, Habert,* episcopus Vabrensis, Natalis Alexander, *Cabassut, Pontas;* sic etiam nunc plurimi episcopi et multi sacerdotes. Ergo 4°.

Quinto, praxi Ecclesiæ. Sæpius Romani pontifices et episcopi legibus a potestate sæculari circa matrimonium latis restiterunt, easque reformandas curaverunt; vel ad solos effectus civiles reducendas esse voluerunt; plurima hujus rei exempla et testimonia reperiuntur apud Benedictum XIV, de Synodo diœcesana, l. 9, cap. 11, 12 et 13; Natalis Alexander, de Matrim., loquens de legibus Romanis matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus contracta, irrita decernentibus, dicit : « Sed irrita dun-

» taxat declarare potuerunt quoad civiles effectus, non » autem quoad substantiam et quoad rationem contrac- » tus et sacramenti. » Unde regibus nostris, Henrico II, Henrico III, et Ludovico XIII, publicis edictis declarantibus matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum aut tutorum contracta fore nulla, clerus Gallicanus de sensu hujusmodi edictorum, decreto concilii Tridentini contrariorum saltem in terminis, sollicitus, eorum interpretationem quæsiit; piissimus Ludovicus XIII per commissarios suos respondere fecit, anno 1659, se prædicta filiorumfamilias matrimonia irritare voluisse tantum quoad effectus civiles, non vero quoad sacramentum. Clerus ergo non arbitrabatur regem propria auctoritate matrimonium dirimere posse quoad vinculum; episcopi enim in supplicatione sua ad regem sic loquebantur : « Le roi est très- » humblement supplié de considérer l'importance de cet » article (39 de l'ordonn. de Louis XIII, datée de Blois, » 1629), qui semble devoir être expliqué pour deux difficul- » tés qui s'y rencontrent : la première, quand on expli- » quera le mot de valablement ou non valablement con- » tracté, inséré en l'article de l'ordonnance de Blois rela- » tif au contrat civil de mariage et non au contrat spiri- » tuel du sacrement; la seconde, quand on n'obligera pas » les juges ecclésiastiques à juger les mariages conformé- » ment aux saints décrets et constitutions de l'Eglise, la » seule règle de leurs jugements; car la juridiction laïque » ne peut pas donner la loi aux juges ecclésiastiques en » matière spirituelle : en conséquence de quoi, il est né- » cessaire d'ôter de cet article, etc. » *Mémoires du Clergé,* » *t.* v, *p.* 691.

Mentem suam eodem sensu aperuit anno 1635; occasione enim matrimonii inter Gastonem, ducem Aurelianensem, et Margaretam, ducis Lotharingiæ sororem, contra regis voluntatem initi, consultus fuit an principes e sanguine regio, ii præsertim qui jus ad coronam habent, matrimonium sine consensu regis valide contrahere possint; post longam deliberationem, et petitis consiliis a sacra Facultate theologiæ Parisiensi, nec non a cunctis

ordinibus religiosis Parisiis tunc existentibus, sequentibus verbis respondit : « Nous archevêques, évêques et » autres ecclésiastiques, députés de toutes les provinces » du royaume... Vu les décisions et constitutions ecclé» siastiques, sur les pouvoirs des coutumes des lieux » en ce qui concerne la validité des mariages, avec » le commun sentiment de ceux qui ont écrit sur cette » matière ;

» Considérés aussi la coutume, pratique et usage de la » France, en ce qui est des mariages des princes du sang » et particulièrement des plus proches, et qui sont pré» somptifs héritiers de la couronne ; attendu aussi le con» sentement et approbation de l'Eglise touchant cette cou» tume, pratique et usage de la France...

» Disons, selon le véritable sentiment de nos conscien» ces d'un consentement unanime, que les coutumes des » Etats peuvent faire que les mariages soient nuls et non » valablement contractés, quand elles sont raisonnables, » anciennes, affermies par une prescription légitime, et » autorisées de l'Eglise ;

» Que la coutume de la France ne permet pas que les » princes du sang, et particulièrement les plus proches, » et qui sont présomptifs héritiers de la couronne, se ma» rient sans le consentement du roi, beaucoup moins » contre sa volonté et sa défense... Et que cette coutume » de la France est raisonnable, ancienne, affermie par » une légitime prescription, et autorisée de l'Eglise. » *Mémoires du Clergé,* t. v, p. 761.

Ergo clerus Gallicanus vim impedimenti quoad matrimonii vinculum ab auctoritate Ecclesiæ repetit. Ergo.

Sexto, rationibus theologicis. 1° Tempore Christi, variæ existebant leges civiles circa matrimonium : at Christus, agendo de matrimonio, illudque ad dignitatem sacramenti elevando, ad solam ipsius divinam institutionem attendit, non vero ad leges civiles : docet igitur eo ipso solum contractum naturalem esse materiam sacramenti et a principibus non pendere. 2° Contractus naturalis ad dignitatem sacramenti elevatus, factus est objectum sa-

crum : ergo soli potestati spirituali subjici debet. 3° Valde convenit, imo et necessarium est materiam sacramenti Matrimonii esse pro cunctis fidelibus uniformem et constantem : at si potestas sæcularis habeat vim contractum naturalem dissolvendi, materia hujus sacramenti non erit uniformis, cum omnes principes catholici, schismatici, hæretici et infideles, omnesque respublicæ suprema auctoritate civili pollentes, sua peculiaria impedimenta statuere possent; non constans, quia leges civiles innumeras subeunt mutationes. Ergo. 4° Indecens est, ne plus dicamus, judices sæculares, etiam hæreticos et infideles, jus habere de validitate sacramenti pronuntiandi : attamen in sententia nobis adversa jus istud haberent, cum materia istius sacramenti non minus ipsis quam Ecclesiæ submitteretur. 5° Perpetuæ essent conflictationes inter potestatem ecclesiasticam et varias potestates sæculares diversa sæpeque contradictoria pronuntiantes : hinc fidelium connubia manerent incerta, conscientiæ torquerentur, orirentur scandala, et fatendum est gravia inde secutura esse mala. Numquid verisimile est sapientissimum Ecclesiæ institutorem posuisse principium cujus talia prævidebat consectaria? Ergo 5°, etc.; aliunde, etc. Ergo 6°.

Rationes autem quibus altera nititur sententia admodum videntur debiles, si cum auctoritatibus et rationibus a nobis breviter allatis conferantur : etenim

1° *Dicitur* principes habere jus dirimendi matrimonia subditorum infidelium, et inde concluditur eos matrimonia fidelium pariter dirimere posse, quia jus istud per conversionem subditorum minui non debuit. Sed hoc ipsum probandum esset, et tamen simpliciter asseritur; certum est Christum non caruisse potestate sufficienti ut hanc limitationem institueret : porro illam reipsa instituisse videtur, efficiendo ut contractus mere naturalis fieret objectum sacrum. Ita docent Pontifices et doctores a nobis citati. Apud omnes constat Christum potestatem principum aliquo modo coercuisse, pluralitatem uxorum prohibendo, vinculum matrimonii indissolubile redden-

do, potestatem impedimenta dirimentia instituendi Ecclesiæ concedendo : non magis repugnat eum idem fecisse quoad facultatem contractum naturalem dirimendi. Ergo.

2° *Dicitur* bonum publicum sæpe postulare ut quædam impediantur matrimonia, et principes omni indutos esse potestate ad procurandum bonum publicum necessaria. Verum, 1° matrimonia ab Ecclesia probata, nunquam erunt bonis moribus opposita; 2° quoad pacta familiarum et statuta ad sponsos atque liberos spectantia, principes totam habent auctoritatem quam haberent in subditos infideles : « Manent ergo utrique potestati jura » sua salva et integra; neque pugnant inter se, cum » Ecclesia matrimonio ut sacramento, princeps ut con- » tractui civili conditiones apponat. Deus, qui auctor est » pacis et ordinis, utramque potestatem ipse constituit : » utraque præcipuum exinde decus hauriet et firmamen- » tum, si unaquæque intra fines suos se contineat, et » una aliam auxilio suo adjuvet, » inquit *Liebermann*, t. v.

3° *Dicitur* principes sæculares ut Theodosium et Justinianum, potestatem constituendi impedimenta matrimonii exercuisse : at Benedictus XIV, de Synodo diœcesana, l. 9, cap. 11, et cum illo caterva doctorum docent illorum leges jure canonico fuisse correctas, sicut leges circa usuram, et ad effectus civiles tantum valuisse, donec consensus Ecclesiæ eis accesserit : contrarium vero minime probatur.

4° *Objicitur* S. Thomas qui in 4 Sententiarum, dist. 34, q. 1, art. 1, ait : « Matrimonium, inquantum est in offi- » cium naturæ, statuitur jure naturæ; inquantum est » in officium communitatis, statuitur jure civili; in- » quantum est sacramentum, statuitur jure divino : » ideoque ex qualibet dictarum legum potest persona » effici ad matrimonium illegitima. » Ille autem textus, quem S. doctor in juventute sua scripserat, per alium ex Supplemento superius citatum et in matura ætate scriptum explicandus est. Præterea, illegitimitas a po-

testate civili instituta, de qua loquitur S. Th., de solis effectibus civilibus intelligi potest, et revera sic intelligenda est. Ergo.

COROLLARIUM.

Potestas ecclesiastica et potestas civilis, ex dictis, sunt a se invicem independentes. Valde optandum est tamen illas sibi concordare et mutuo præsidio sese fulcire : at si dividantur, neutra alteram vincere poterit, sicque matrimonium contra legem ecclesiasticam irritantem contractum, erit nullum quoad vinculum; si vero contra legem civilem, erit invalidum quoad omnes effectus civiles. Jura ergo utriusque potestatis conservantur integra, clare assignantur et solide defenduntur.

Sententia igitur nostra sic intellecta, principibus displicere non debet, nec eos a fide catholica avertere. De facto, licet fere ubique doceatur, non audivimus aliquod gubernium politicum conquestum esse se molestiam inde passum fuisse.

Hinc impedimenta mere ecclesiastica ad solos respiciunt Christianos : impedimenta vero civilia ad omnes spectant subditos, sive christianos, sive infideles. Si de infidelibus agatur, vinculum naturale dirimere possunt, juxta sententiam communem.

§ II. — De natura impedimentorum civilium.

Ecclesia primitus impedimenta ab imperatoribus statuta adoptaverat; deinde omnes principes christiani impedimenta canonica quodam modo fecerant sua, ea scilicet legibus suis fulciendo : sic ubique perfecta obtenta fuerat harmonia inter utramque auctoritatem circa matrimoniorum celebrationem eorumque firmitatem. A multis sæculis sola Ecclesia impedimenta dirimentia instituerat. Hinc 1° vividæ Gallorum sollicitationes in concilio Tridentino pro obtinendis nonnullis irritationibus; 2° repræsentatio cleri Gallicani exhibita regi Ludovico XIII, qui, annis 1629 et 1639, renovans edictum Henrici III, anni 1579, declaraverat matrimonia filio-

rumfamilias sine consensu parentum contracta, futura esse nulla et irrita; 3° responsio commissariorum regis, asserentium ea matrimonia *non aliter* invalida declarari, *quam per solam relationem ad contractum civilem, per laicos judices.* At præstans hæc concordia cessavit in Gallia : auctoritas civilis sua instituit impedimenta, sine respectu ad impedimenta canonica, de quibus nullam facit mentionem.

Qui docent principes sæculares contractum naturalem propria auctoritate dirimere posse, hic investigare tenentur an lex civilis ad solos effectus civiles respiciat, an vero ipsum contractum naturalem attingat et dirimat; quemadmodum in primis Tractatus hujus editionibus facere conati sumus.

In altera autem sententia, quæ est longe communior, quæstio facti non tanti est momenti : vel enim legislatores ad solos effectus civiles attenderunt, et nulla est difficultas; vel ipsum contractum naturalem irritare voluerunt, et limites suæ auctoritatis prætergredientes, solos effectus civiles reipsa attigerunt.

Quia tamen ex matrimoniis nulliter contractis, juxta leges civiles, multa nasci possint mala contra sacramenti dignitatem, bonum Ecclesiæ, familiarum pacem et tranquillitatem, sedulo præcavendæ sunt hujusmodi nullitates, ideoque necesse est ut civilia sicut et canonica noscamus impedimenta.

§ III. — De numero impedimentorum civilium matrimonium dirimentium in Gallia.

Decem numerantur, scilicet defectus consensus contrahentium aut unius contrahentis, cognatio naturalis et affinitas, cognatio legalis, crimen, vis, ligamen, defectus ætatis, defectus consensus parentum, defectus formalitatum quæ matrimonium præcedere debent, et defectus ministri competentis ac formalitatum in celebrando matrimonio requisitarum. De his paucis verbis seorsim dicturi sumus, et quædam de civiliter mortuis subjungemus.

1° *Defectus consensus contrahentium aut unius contrahentis.*

Hoc impedimentum juris naturæ exprimitur, si non de verbo ad verbum, saltem æquivalenter, in Codice, art. 146, 180, 1109 et 1110. Quilibet enim contractus defectu consensus unius partis est nullus; *a fortiori* matrimonium. Cæterum Codex nihil determinat ultra limites legis naturæ. Unde concludendum est cum *Toullier*, t. I, n. 517, aliisque jurisperitis, errorem circa qualitatem etiam ex dolo provenientem, matrimonium non irritare, nisi probetur talem fuisse machinationem ut, ea seclusa, pars altera non consensisset. Si tamen error qualitatum in personam cadat, aut consensum omnino tollat, matrimonium est nullum, ut diximus de errore quatenus est impedimentum canonicum. *Toullier*, ibid., n. 521 et seq.

Amentia, cum impediat consensum, reddit matrimonium nullum. Si quis ob amentiam, hebetudinem vel phrenesim, ex art. 489 Cod. civ. interdictus fuerit, matrimonium valide civiliter inire non poterit, etiam in intervallis luciditatis, quia jam nullius actus civilis est *legaliter* capax. *Cod. civ., art.* 502.

2° *Cognatio naturalis et affinitas.*

In memoriam revocanda sunt ea quæ jam diximus de consanguinitate et affinitate, de earum lineis et gradibus.

Utramque Codex in eisdem articulis 161 et 162 comprehendit, et declarat matrimonium prohiberi : 1° in linea recta, inter omnes ascendentes et descendentes, sive legitimos, sive naturales, et inter affines, in eadem linea. 2° In linea collaterali, inter fratrem et sororem, et affines in eodem gradu : in his casibus nulla concedebatur dispensatio. Verum lex diei 16 aprilis 1832 permittit ut rex, ob causam gravem, dispensationem concedat ab impedimento affinitatis in primo gradu, extra casum divortii. Inde D. *Barthe*, minister justitiæ et cultuum die 28 aprilis anni 1832, longam scripsit epistolam ad omnes procuratores generales, statuens eis regulas in petendis dis-

pensationibus stricte servandas, ut dispensatio nunquam haberi possit tanquam incitamentum ad res turpes inter consanguineos exercendas. Hinc negat commercium illicitum inter partes jam habitum allegari posse ut legitimum dispensationis motivum. *Il importe*, inquit, *de maintenir, dans l'exécution de la loi dont il s'agit, une sévérité de principes qui laisse au scandale sa flétrissure, conserve à la morale publique tous ses droits, et au bon ordre des familles toutes ses garanties.* 3° Declarat etiam Codex matrimonium prohiberi inter avunculum aut patruelem et neptem, materteram aut amitam et nepotem : permittitur autem ut ab eo impedimento gravi de causa Imperator dispensare valeat.

Decisio consilii Status (*conseil d'Etat*), approbata die 7 maii anni 1808, decernit quod in articulo 163 per verba gallica, *oncle et nièce*, intelligendi sint etiam *le grand-oncle et la petite-nièce*, etc.

Cum idem articulus 163 de affinibus nihil dicat, concluditur matrimonium inter affines in his gradibus non prohiberi. Sic *Toullier*, t. I, p. 538, qui hunc articulum cum duobus præcedentibus comparans, affirmat matrimonium non esse prohibitum in consanguinitate inter avunculum et neptem, materteram et nepotem naturales seu illegitimos, et hanc regulam sequuntur magistratus.

Nulla fit mentio in Codice civili de cognatione naturali *legaliter* non agnita, nec de affinitate extra matrimonium contracta. Existimat tamen *Delvincourt*, t. I, p. 375, utramque certo constantem matrimonium dirimere intra gradus in art. 161, 162, 163, expressos. Igitur si probaretur filium legitimum sorori suæ illegitimæ legaliter non agnitæ, vel concubinæ patris sui, vel matri aut filiæ, aut sorori uxoris suæ defunctæ sociatum fuisse, matrimonium ejus declararetur nullum.

3° *Cognatio legalis.*

De ea cognatione jam supra diximus, *pag.* 299. Matrimonium prohibetur 1° inter adoptantem et adoptatum et descendentes ejus; 2° inter liberos ab eadem persona

adoptatos ; 3° inter adoptatum et liberos adoptanti supervenientes ; 4° inter adoptatum et conjugem adoptantis, aut vice versa. *Cod. civ., art.* 348.

4° *Crimen.*

Apud Romanos mulier matrimonium valide inire non poterat cum suo adultero : vide *Pothier,* t. I, n. 231. Articulus 298 Codicis civilis statuit conjugem, ob adulterium ab altero per divortium separatum, matrimonium cum suo complice nunquam inire posse.

Divortium fuit quidem suppressum per legem diei 8 maii 1816 : at conjuges ante hanc legem ob divortium separati, sub prohibitione ista comprehenduntur, etiam mortua ipsorum comparte.

Similiter duo conjuges per divortium ob quamcumque causam separati, nunquam matrimonium secum de novo inire possunt ; *art.* 295. Verum cum ligamen valide contractum per divortium solvi non potuerit, certum est dictos conjuges legitime in conscientia coadunari posse.

Sed alia exsurgit quæstio, an scilicet, separatione corporum ob adulterium obtenta, matrimonium cum complice, post mortem conjugis, impediretur. Ratio pro utroque casu videtur eadem, et ideo partem affirmantem tenet *Delvincourt ;* sed negat *Toullier,* t. I, p. 466, quia defectu legis expressæ, prohibitio, inquit, ab uno casu ad alium extendi non debet.

5° *Vis et metus.*

Duo hæc verba idem fere sonant in Codice. Consensus vi vel metu gravi extortus, insufficiens est ad contrahendum in genere ; *art.* 1109 : *a fortiori* non sufficit ad matrimonium valide ineundum. Metus autem reputatur gravis, si malum notabile in bonis aut in ipsa persona probabiliter immineat contrahenti, aut ascendentibus vel descendentibus ejus. *Art.* 1112 et 1113.

Metus autem reverentialis matrimonium non irritaret ; nec metus ob finem a matrimonio diversum incussus : ita *Toullier,* t. I, p. 428 et 429. At metus a tertia per-

sona ob matrimonium incussus, etiam ignorante altero contrahente, matrimonium impediret ; *art.* 1111. Similiter et metus quem contrahens per culpam antecedentem provocavisset, v. g., si fratres stupratorem sororis suæ metu gravi ad eam ducendam compellerent, matrimonium judicaretur nullum, ait *Toullier*, p. 429 : excipiendum est tamen, nisi metus incutiatur ob rationem justam, v. g., si stuprator timeat ne ad justam compensationem damnetur.

Raptus non exhibetur in Codice civili ut inducens speciale impedimentum matrimonium dirimens. Raptus violentiæ comprehenditur sub denominatione vis et metus, cum aliquo discrimine. Raptus autem seductionis ut plurimum cadit sub necessitate consensus parentum. In Codice pœnali, art. 355 et 356, formaliter exprimitur raptus respectu puellarum quæ sexdecim annos nondum attigerunt, et duplex distinguitur, unus violentiæ, et alter seductionis. In utroque casu gravis decernitur pœna contra raptorem. Si tamen puellam duxerit, plecti non potest, nisi postulantibus iis qui ex Codice civili jus habent nullitatem matrimonii prosequendi, *Code pénal, art.* 357.

6° *Ligamen.*

Ex art. 147 et 188, nullus secundum inire potest matrimonium, priore subsistente, et qui contra hanc prohibitionem scienter ageret, ad triremes damnari posset ; *Code pénal*, *art.* 340. Quantmvis longa fuerit absentia unius sponsi, alter mortem ejus probare tenetur ut ad secundas nuptias admittatur. Si tamen, non obstante hac lege, matrimonium iniisset, solus conjux legitimus dissolutionem illius petere posset. *Art.* 139.

Matrimonium civiliter validum, sed coram Deo nullum propter defectum præsentiæ sacerdotis vel ob aliud impedimentum canonicum, nihilominus in foro civili secundum matrimonium dirimeret, *Baston*, *Concordance*, *p.* 561 ; at si matrimonium istud, stante lege divortium permittente, solutum fuisset, sponsi ad alias nuptias in utroque foro convolare possent.

Hinc cardinalis *Caprara*, rogante gubernio, cunctis Galliarum præsulibus scripsit, anno 1802, ipsis curandum esse ut benedictio nuptialis iis concederetur sponsis qui post divortium aliud inire volebant matrimonium, quoties prudenter judicaretur prius eorum matrimonium fuisse nullum. *Mémoires sur les affaires ecclésiastiques de France pendant les premières années du* XIXe *siècle, t.* I, *p.* 230.

Sapienter statutum fuit, art. 228, mulierem secundum matrimonium inire non posse nisi post decem menses completos a dissolutione prioris matrimonii numerandos, ne scilicet paternitas maneret incerta, et propter indecentiam. Quæritur an illa prohibitio sit sub pœna nullitatis : non sibi consentiunt auctores; plurimi affirmant, inter quos *Delvincourt*, t. I, p. 370 ; alii vero probabilius negant, ut videre est apud *Toullier*, t. I, p. 540. Verum quidquid sit, tale matrimonium benedicere non possumus quin tempus præfixum sit completum.

7° *Ætas.*

Leges canonicæ pro universa Ecclesia conditæ permittunt matrimonium feminis post duodecim annos et viris post quatuordecim : leges civiles apud nos, usque ad perturbationem publicam, legibus canonicis in hoc puncto erant conformes. Verum auctores Codicis civilis, æstimantes in hac tenera ætate sufficientem communiter non dari consensum, pro contrahenda obligatione tanti momenti, et ordinarie perfectam non esse pubertatem in regionibus nostris, decreverunt, *art.* 144, viros ante decimum octavum annum completum, et puellas ante decimum quintum, matrimonium inire non posse. Attamen si graves adsint causæ, Imperator ab hoc impedimento dispensare potest.

8° *Defectus consensus parentum.*

Filiifamilias possunt esse minores vel majores. Viri non sunt majores quoad matrimonium, ante vigesimum quintum annum completum, et feminæ ante vigesimum primum. Quoniam experientia constat rationem ante hoc

tempus non satis esse perfectam in plerisque juvenibus, ut prudenter sese determinent, lex eos sub potestate ascendentium vel concilii familiæ constituit. Eadem prohibitio olim existebat, sed pro effectibus civilibus duntaxat : nunc vero consensus parentum, *art.* 148, præscriptus, sub pœna nullitatis proprie dictæ exigitur, siquidem ii omnes quorum necessarius erat consensus separationem sponsorum exigere possunt. Nihilominus vinculum remanet indissolubile, juxta opinionem a nobis superius defensam.

Vir ergo ante annum vigesimum quintum, et mulier ante vigesimum primum completum, matrimonium inire non possunt, sine consensu patris et matris : iis dissentientibus, consensus patris sufficit. Si unus sit mortuus, aut in impossibilitate voluntatem suam manifestandi, v. g., ob dementiam, absentiam, etc., consensus alterius sufficit. Ex hypothesi quod uterque parens sit mortuus aut in impossibilitate voluntatem suam manifestandi positus, ascendentes in utraque linea locum eorum tenent, ac proinde consensus eorum exigitur : si dissentiant, hæc ipsa dissensio consensum importat. Si autem in una tantum linea existant, et dissentiant, consensus avi præfertur. *Art.* 150.

Minores ascendentibus orbati majoritatem sine ulla restrictione per completionem viginti et unius annorum acquirunt : igitur viri et mulieres matrimonium hac ætate inire possunt sine consensu concilii familiæ. *Art.* 160. Vide *Delvincourt*, t. I, p. 54, et *Toullier*, t. I, p. 456, etc.

Viri annis viginti et quinque majores, et feminæ viginti et uno, matrimonium inire possunt sine consensu ascendentium : sed illum, cum reverentia debita, ex art. 151, postulare tenentur tribus vicibus uno mense a se distantibus, viri usque ad trigesimum annum et feminæ usque ad vigesimum quintum. Post annos triginta aut viginti et quinque, sufficit ut actus reverentiæ semel notificetur ascendentibus quorum necessarius esset consensus.

Æstimant jurisperiti actus reverentiæ non esse præscriptos sub pœna nullitatis; nulla enim in eo casu datur facultas ascendentibus contra tale matrimonium insurgendi.

Filius naturalis a patre et a matre vel alterutro tantum legaliter recognitus, consensum eorum obtinere debet perinde ac si esset legitimus : sed mortuis eis a quibus fuit recognitus, vel constitutis in impossibilitate consensum suum exprimendi, post 21 annos completos matrimonium inire potest, absque cujuscumque consensu, etsi alios haberet ascendentes, quia avi non agnoscunt nepotes illegitimos. Vide Cod. civ. art. 158 et 159.

Qui vero non fuerunt recogniti, aut jam parentes amiserunt, matrimonium ante vigesimum primum annum inire nequeunt, absque consensu tutoris ad hoc specialiter per judicem pacis designati. *Cod. civ. art.* 160.

De matrimonio militum ac principum.

Milites cujuslibet gradus consensum ascendentium suorum obtinere, si sint minores, vel actus reverentiæ eis notificare, si sint majores, eodem modo tenentur ac alii cives.

Insuper, ex decreto diei 17 junii 1808, officiarii in activitate militiæ vel in *disponibilitate*, ut aiunt, matrimonium inire nequeunt sine consensu ministri belli. Ex altero decreto 3 augusti 1808, omnes officiarii cujuscumque gradus vulgo *de la Marine de l'Etat*, matrimonium inire non possunt absque consensu scriptis dato a ministro *de la Marine*. Qui sunt a militia penitus sejuncti, *en congé définitif ou en retraite*, a ministris non pendent quoad matrimonium.

Sub-officiarii vero et simplices milites cujusque generis obtinere debent consensum administratorum corporis militiæ ad quod pertinent : ad chiliarchum igitur (*au colonel du régiment*) scribendum est.

Omnes fatentur has conditiones sub pœna nullitatis non præscribi, ac consequenter non multum de illis nobis curandum est.

Qui expleto tempore requisito, a militia liberati fuerunt, solummodo juri communi subjiciuntur : attamen exigendæ sunt chartæ missionis (*les congés*), ut constet illos matrimonio non fuisse junctos tempore militiæ.

Juvenes qui legi conscriptionis nondum satisfecerunt, matrimonium contrahere possunt, sed a militia non ideo eximuntur : qui vero sorte designati semel inscripti sunt, matrimonium jam contrahere nequeunt sine consensu superiorum conquisitioni militum præpositorum, id est, *du maréchal de camp ou du colonel préposé au recrutement*. (*D'Origny*, p. 287.)

Sub-officiarii et milites pertinentes ad vim armatam (*la gendarmerie*) habere debent consensum centenarii a chiliarcho approbatum (*l'autorisation du commandant de la compagnie approuvée par le colonel*).

Quoniam Imperator caput est totius familiæ imperialis, recte cautum fuit in Gallia ne matrimonia principum ex sanguine imperiali ortorum valida essent sine consensu ejus. Hoc impedimentum consuetudine introductum, vim habet etiam pro foro ecclesiastico, juxta responsum cleri Gallicani ad Ludovicum XIII anno 1635, ut fuse videri potest in opere jam pluries citato, *Mémoires du Clergé*, t. v, p. 693 et seq.

9° *Defectus formalitatum quæ matrimonium præcedere debent.*

Prima formalitas requisita est proclamatio bannorum, ut supra diximus ; sed non est præscripta sub pœna nullitatis, ut legitime concluditur ex art. 192, in quo tantum decernitur mulcta pecuniaria contra officiarium publicum, contrahentes et eorum ascendentes vel cognatos sub quorum potestate erant constituti. Sic *Delvincourt*, *Toullier*, p. 477, et omnes alii.

Major est difficultas pro matrimonio Gallorum extra imperium contracto ; sic enim se habet art. 170 : *Le mariage contracté en pays étranger entre Français, et entre Français et étrangers, sera valable... pourvu qu'il ait été précédé des publications prescrites...* Verba ista *sera valable pourvu que...* nullitatem indicare videntur : ita ju-

dicat *Delvincourt*, p. 379 et 390, si Gallus domicilium adhuc retinet in imperio, atque contendit proclamationes bannorum, de quibus hic agitur, faciendas esse in loco domicilii, non vero apud extraneos. Si autem Gallus per longum tempus domicilium in extranea regione acquisiisset, et matrimonium juxta ritum ibi receptum contraxisset, sine denuntiationibus in Gallia factis, matrimonium ejus apud nos non periclitaretur, ait idem *Delvincourt*.

Toullier autem, p. 485, negat denuntiationes plus necessarias esse ad validitatem matrimonii Gallorum apud extraneos degentium quam si contraherent in imperio.

Notandum est incapacitates personales, ut sunt impedimenta, obligatio petendi consensum parentum, etc., sequi Gallos per quascumque regiones, et eos ad contrahendum reddere inhabiles : unde qui dispensationem a summo Pontifice obtinuit ut viduam fratris sui ducat, frustra in regionem extraneam transiret, ut domicilio ibi acquisito, matrimonium iniret atque in patriam rediret ; talis enim conjunctio reputaretur incestuosa et ab ipso ministerio publico dissolvenda esset. Attamen si Pontifex maximus vel episcopus diœcesanus judicaret talem conjunctionem pro foro interno esse tolerandam, nec confessarius, nec parochus eam reprobare possent : esset nulla quoad effectus civiles tantum.

At illæ incapacitates extraneos cum Gallis contrahentes non afficerent : sic Gallus ducere potest virginem duodecim annis natam, in loco ubi hac ætate virgines nubere possunt. Ita *Delvincourt* et *Toullier*.

Gallus apud extraneos conjugatus et in patriam reversus, curare debet, non tamen sub pœna nullitatis, ut actus matrimonii intra tres menses in libello actuum civilium domicilii ab ipso electi transcribatur. *Art*. 171.

Aliæ sunt formalitates præscriptæ quæ ad substantiam matrimonii non attinent, et ad solum officiarium publicum spectant : eas omittimus.

10° *Defectus ministri competentis et formalitatum in celebrando matrimonio requisitarum.*

Solus officiarius publicus cui commissa est cura actuum civilium, id est, *le maire*, est, jure communi, legitimus minister celebrationis matrimonii, adeo ut matrimonium coram alio officiario non competente celebratum, sit nullum; *art*. 191. Ex delegatione primi magistratus, *le maire*, vel ipso absente aut impedito, legitime assistit matrimonio *adjunctus*, juxta ordinem inscriptionis, et *adjunctis* deficientibus, consiliarius municipalis, primus in ordine tabellæ. *Lege* 21 *martii anni* 1831.

Nullus conficere potest actum civilem ad se proxime pertinentem : sic officiarius proprium matrimonium aut matrimonium filiorum suorum per se celebrare non potest, nec ideo publicationes facere. Ad hoc adjunctum vel unum ex adjunctis delegare tenetur. *D'Origny*, p. 16 et 304.

Nec uxor primi magistratus, vocati *le maire*, nec secretarius ejus, nec alia quælibet persona consensum sponsorum acceptare potest. Si tamen actus matrimonii falso exprimens consensum a magistratu requisito receptum esse, chirographo ejus muniatur, matrimonium, licet in celebratione sua vitiatum, est nihilominus legaliter validum, ac proinde eos qui sic conjuncti fuerunt, inquietare non debemus. At curandum foret, prudentiæ viis utendo, ut hujusmodi abusus cessaret.

Similiter arbitratur *Merlin*, t. xv, p. 456, matrimonium nihilominus fore validum, etsi actus celebrationis non statim, sed postea, vel etiam nullo modo scriberetur, et tunc applicandum esse art. 198, in quo supponitur celebrationem matrimonii per judicialem sententiam probari posse. Idem testatur *Toullier*, t. I, p. 306, citans atque explicans art. 46 Codicis civilis.

Hinc, si sponsi exhibeant testimonium officiarii publici vel scribæ ejus, declarantis eos civiliter esse conjunctos, benedictionem nuptialem tuto concedet parochus : sed prudentia exigit ut testimonia scripta semper retineat.

Pleræque aliæ formalitates, ab art. 63 Codicis usque ad 77 præscriptæ, ad substantiam contractus civilis non pertinent : sic eas interpretantur auctores ; et revera matrimonium ob illarum omissionem, v. g. quia officiarius publicus ea non legerit quæ art. 75 præscribuntur, vel non pronuntiaverit nomine legis partes esse conjunctas, etc., dissolvi non potest.

Hæc duo tamen essentialiter requiruntur, scilicet :

1° Officiarius competens, id est, loci in quo saltem unus e sponsis suum habet domicilium ; *art.* 74, 165 *et* 191. Domicilium autem per sex menses habitationis continuæ acquiritur, sine respectu ad intentionem ibi manendi, ut patet ex eodem art. 74.

Duæ circa domicilium civile relative ad matrimonium institui possunt hypotheses :

1ª Ex art. Cod. civ. 103 mutatio domicilii fit per ipsum factum habitationis realis in alio loco, cum intentione ibi fixum deinceps habendi principalem statum suum. Aliunde ex art. 74, domicilium, quoad matrimonium, per sex menses continuæ habitationis acquiritur. His positis, si homo qui principalem statum suum non mutavit nec manifestavit intentionem illum mutandi, negotiorum vel studiorum causa, per sex menses continuos in alio loco habitavit, ubi est domicilium ejus relative ad matrimonium? Omnes conveniunt illum contrahere posse in loco in quo a sex mensibus habitat. Sed reversus in domicilio reali, potestne statim ibi contrahere? Negat *Delvincourt* cum quibusdam aliis : alii vero, ut *Toullier*, t. I, p. 180; card. *Gousset*, *Cod. commenté*, *art.* 165, affirmant, dicentes legem voluisse quidem conferre jus nubendi in loco habitationis sex mensium, non tamen illud auferre quoad domicilium reale. Eo ipso quod existat dubium, putat *Duranton* matrimonium in domicilio reali celebratum irritandum non esse.

2ª. Si quis, abjecto reali domicilio, aliud nondum elegit, sed errat vagabundus et nullibi per sex menses continuos habitavit, ubi matrimonium inire potest? Plures dicunt matrimonium tunc civiliter celebrari posse in do-

micilio facti. Ita nunc fieri solet, ut arbitramur, et multo convenientius, dummodo sufficienter aliunde constet de libertate eorum qui matrimonio sic jungendi sunt.

Milites in activitate militiæ exstantes ab hac lege generali non eximuntur; et in territorio imperii matrimonium ineuntes, illud contrahere tenentur coram officiario publico loci in quo per sex menses ultimam habuerunt residentiam, vel coram officiario publico domicilii sponsæ. *Avis du conseil d'Etat cité par Toullier, p.* 481.

Verumtamen, ex decisione ministri belli, milites qui probant se a sex mensibus in eodem corpore militiæ adesse, matrimonium coram officiario publico loci in quo nunc exstant contrahere possunt. *D'Origny*, p. 327.

2° Publicitas; hanc enim conditionem non minus stricte præscribunt art. 165 et 191 quam præsentiam officiarii competentis. Quid autem publicitatem requisitam constituit? Lex non determinat, et multa in eo puncto prudentiæ judicum relinquit. Ex art. 75 quatuor adesse debent testes, cognati vel non cognati, masculini sexus et majores viginti et uno annis, juxta dispositionem art. 35. Probabilius æstimat *Toullier*, p. 535, matrimonium coram duobus tantum testibus celebratum, non irritandum fore a tribunalibus, nisi aliæ simul concurrerent circumstantiæ publicitati ejus oppositæ. Alii dicunt defectum testium non esse causam nullitatis si aliunde sufficiens existat publicitas. Ita *Corbière*, t. II, p. 41.

Gravis existit controversia circa necessitatem loci publici ad consensum utriusque sponsi valide suscipiendum. *Malleville*, *Esprit du Code*, in art. 74, et *Delvincourt*, *p.* 378, fortiter contendunt domum publicam ad conficiendos actus civiles determinatam, de stricta esse necessitate, adeo ut officiarius publicus non magis consensum sponsorum valide suscipere posset in domo privata, etiam coram testibus requisitis, quam tribunal sententiam extra palatium justitiæ ferre.

Locré vero, t. III, pag. 402, edit. in-8°, negat hanc conditionem esse de substantia contractus, contenditque officiarium publicum valide celebrare posse matrimonium

civium sibi subditorum etiam in alieno territorio, modo adsint testes aliæque circumstantiæ quæ publicitatem constituunt, sicut parochi, qui erant olim officiarii publici relative ad actus civiles, matrimonio parochianorum suorum ubique valide assistere poterant. *Toullier* hanc opinionem referendo eam approbat, aut saltem affirmat, p. 330, judices habere facultatem hujusmodi matrimonia annullandi aut confirmandi, prout publicitas sufficienter aut insufficienter probata sibi videbitur. Eamdem sententiam amplectitur ac defendit *D'Origny*, p. 330; eamque nunc publice docet Facultas Parisiensis (*Ecole de Droit*).

Juxta hanc sententiam, matrimonium in extremis valide celebrari potest apud ipsum moribundum : at in eo casu una saltem prærequiritur publicatio et alterius dispensatio.

Matrimonia secreta, quæ olim nulla erant quoad effectus civiles, nunc forent valida, dummodo servatæ fuissent formalitates præscriptæ. Verum difficile est matrimonium ita celebratum manere omnino secretum.

De civiliter mortuis (1).

Mors civilis incurritur per condemnationem ad mortem, ad perpetuas triremes, vel ad alias pœnas lege determinatas. Vide Cod. art. 22 et seq.

Certum est mortem civilem vinculum matrimonii antea contracti non dirimere, quia indossolubile est, ut supra probavimus. Omnes theologi et jurisperiti unanimiter docebant, ante novas leges, matrimonium etiam post mortem civilem contractum non esse nullum quoad vinculum, sed tantum quoad effectus civiles. Vide Coll. Parisiensem, t. II, p. 117.

Eodem sensu redactus esse videtur art. 25 Codicis civilis; dicitur enim mortuum civilem non esse capacem contrahendi matrimonium quod effectus civiles producat, et matrimonium prius contractum dissolvi *quoad omnes effec-*

(1) Mors civilis abolita est per legem diei 31 maii 1854.

tus civiles. Ergo remanet vinculum. Per hunc articulum explicandus est art. 227, in quo dicitur matrimonium dissolvi per mortem civilem; subintelligendum est, quoad effectus civiles.

Hanc sententiam solam esse admittendam demonstrarunt, adversus arrestum supremæ Curiæ, diei 16 maii 1808, DD. *Toullier, Malherbe, Corbière, Lesbeaupin, Barré* et *Vatar*, in consultatione advocatorum, pro validitate matrimoniorum ab exsulibus (*émigrés*) in extraneis plagis contractorum. *Toullier*, t. I, p. 260.

Eamdem sententiam tuetur D. *Delvincourt*, in epistola ad nos rescripta die 24 aprilis 1828.

Quinimo puella quæ ignoranter matrimonium cum civiliter mortuo iniisset, valide contraxisset, quia talis ignorantia non cadit in substantiam contractus. *Toullier*, tom. I, p. 436.

COROLLARIUM.

Patet ex dictis Jus nostrum civile a pluribus impedimentis canonicis omnino vel partim abstrahere, idque præsertim propter illimitatam conscientiarum libertatem, quam ipsius auctores unicuique concedere voluerunt.

Impedimenta penitus omissa, sunt votum, cognatio spiritualis, cultus disparitas, honestas publica; ex parte prætermissa, sunt impotentia, raptus et clandestinitas.

Lex diei 20 septembris 1792, Ordines sacros inter impedimenta matrimonium dirimentia non collocans, eo ipso matrimonium clericorum sacris Ordinibus initiatorum permisit, et impedimentum huc usque existens abrogavit quatenus civile. Nulla lex deinceps illud renovavit : ergo etiam nunc matrimonium sacerdotum rite celebratum civiliter esset validum. Sic judicavit tribunal primæ instantiæ Parisiense, die 8 junii 1806. Vide *Toullier*, t. I, p. 470.

Quoniam tamen hujusmodi matrimonia cunctis hominibus sunt odiosa, et possibilitas ea contrahendi morum pericula generaret, gubernium vetuit, per modum administrationis, ne officiarii publici celebrarent in posterum

matrimonia sacerdotum in genere (*Lettre du ministre des cultes à l'archevêque de Bordeaux, le* 14 *janvier* 1806 ; *et une autre, du* 30 *janvier* 1807), prohibitionem restringit ad sacerdotes qui semper fuerunt in communione cum suo episcopo, vel, post restitutionem rerum ecclesiasticarum, episcopo catholico adhæserunt.

Plura tribunalia primæ instantiæ judicarunt nihilominus matrimonia sacerdotum non esse *legaliter* prohibita : v. g., *de Sainte-Ménéhould,* 1827; *de Nancy,* 1828; *de Cambrai,* 7 *mai* 1828; *d'Issoudun,* 27 *sept.* 1831.

At curia regia Parisiensis, per arrestum diei 27 decembris 1828, contra *Dumonteil,* sacerdotem diœcesis Parisiensis, licentiam matrimonium civiliter contrahendi petentem, declaravit canones ecclesiasticos matrimonium clericis in sacris Ordinibus constitutis interdicentes, vim legis etiam nunc in Gallia habere.

Tandem *Dumonteil*, de novo instante, post eventus anni 1830, curia Parisiensis pronuntiavit die 14 jan. 1832, juxta postulationem D. *Persil*, procuratoris generalis, nunc sicut antea vinculum sacrorum Ordinum matrimonium dirimere; clericos sacris Ordinibus initiatos non habere facultatem eos abdicandi; neque Codicem civilem, neque legem fundamentalem, *la Charte nouvelle,* impedimentum Ordinis sacri abrogasse, et officiarios publicos talium clericorum matrimonia celebrare non posse. Curia suprema, *la cour de Cassation*, hoc arrestum confirmavit die 21 febr. 1833.

Præcipua ratio qua utraque curia nititur est quod, ex art. 6 et 26 legis 18 *germinal an* x, sacerdotes catholici sacris canonibus in Gallia receptis subjiciantur, ac proinde iis quibus matrimonium clericorum sacris Ordinibus initiatorum irritatur.

§ IV. — De consectariis impedimentorum civilium.

Quamvis impedimenta civilia matrimonium, juxta principia nostra, non dirimant quoad vinculum, ex illis tamen plurima sequuntur consectaria notatu digna et ad praxim attinentia, scilicet :

1° Benedictio nuptialis semper neganda est iis qui aliquo impedimento civili detinentur, donec ab illo purgati fuerint, vel tempore, vel dispensatione, si ex natura sua auferri possit. *Ratio patet ex dictis.*

Necesse est ergo ut cuncti sacerdotes, sacrum ministerium exercentes, apprime noscant quidquid ad hæc impedimenta spectat, ne officiarius publicus, ignorantia vel negligentia, munus suum recte non impleat, et sic validitas contractus civilis periclitetur.

2° Fideles tenentur in conscientia satisfacere præscriptionibus legis civilis et coram officiario publico se sistere: parochus matrimonium eorum benedicere non potest, priusquam contractum civilem rite inierint; 1° quia auctoritas civilis, cui semper parendum est quoties res evidenter injustas non exigit, id sub gravissimis pœnis, nempe mulctæ pecuniariæ, carceris et deportationis præscribit; *Code pén., art.* 199 *et* 200. Pœna deportationis per legem diei 1 maii 1834 mutata est in pœnam detentionis. Dici autem non potest rem esse evidenter injustam. 2° Quia timendum esset ne contractum civilem postea omitterent, sicque sacramentum externa sanctione maneret destitutum. Ergo.

3° Si quod matrimonium revera celebratum fuisset prius coram parocho, deinde coram officiario publico, nihilominus validum foret et quoad sacramentum et quoad effectus civiles, siquidem nihil essentiale tunc ipsi deesset.

4° Fieri potest ut contractus civilis in principio nullus, factus fuerit validus, quia nullitas *cooperta est*, ut aiunt, v. g., quia tempus ad petendam dissolutionem concessum lapsum est; tunc benedictio sine ulla difficultate impertiri potest: namque contractus in eo casu validus est coram lege; fit autem validus coram Ecclesia per celebrationem ante parochum. Ergo.

5° Sponsi qui benedictionem nuptialem ante contractum civilem susceperunt, matrimonialiter vivere possunt, quia contractus civilis, juxta opinionem nostram, ad validitatem sacramenti non requiritur, et hæc sen-

tentia sat probabilis judicatur Romæ et alibi, ut fideles tuto eam sequi possint in praxi. Sic tamen conjuncti urgendi sunt in conscientia ad contrahendum civiliter, tum ut satisfaciant legi non injustæ, tum ad providendum statui civili liberorum suorum, tum ad assecurandam matrimonii indissolubilitatem.

6° Unde si, aliqua de causa, matrimonium a parocho benedictum et canonice validum, civiliter contrahi non posset : v. g., Petrus ex dispensatione summi Pontificis Annam sororem uxoris suæ defunctæ coram parocho duxit, cum illa tuta conscientia vivere posset; verum liberi ex tali conjunctione provenientes, semper reputabuntur coram lege incestuosi, et ideo parentum suorum et cognatorum hæredes esse non poterunt.

7° Ex iisdem principiis facile solvuntur nonnulli casus in opinione eorum qui tenent impedimenta civilia vinculum matrimonii dirimere sat difficiles; videlicet, 1° unus civiliter contraxit cum una et religiose cum altera; 2° bis cum diversis aut civiliter aut religiose nupsit, quid agendum? Respondemus in utroque casu remanere teneri in primo matrimonio religiose contracto sine impedimento canonico, absque respectu ad contractum vel contractus civiles. Valde dolendum est sane si matrimonium ejus contractu civili muniri non possit; sed cum matrimonium in faciem Ecclesiæ rite contractum sit validum, in nulla hypothesi ab illo recedere potest.

8° Hinc patet quam religioni et moribus exitiosum sit contractum civilem a matrimonio ecclesiastico prorsus independentem esse : frequenter enim contingit puellas civiliter conjunctas a maritis obtinere non posse ut matrimonium coram Ecclesia celebretur, et cogi in commercio a religione et a conscientia reprobato remanere, sicque cum ingenti fidelium scandalo multiplicantur matrimonia pure civilia, quæ nihil aliud sunt, coram Deo et Ecclesia, quam viri concubinatus. Unde matrimonium apud omnes gentes religione consecratum, fit apud nos omnino profanum, sicut venditionis et emptionis contractus.

§ V. — De dispensatione impedimentorum civilium.

Supra diximus, p. 272, procuratorem imperialem prope tribunal primæ instantiæ dispensationem unius publicationis bannorum concedere posse.

Duo sunt tantum impedimenta dirimentia a quibus dispensatio concedatur, videlicet ætas, consanguinitas primi ad secundum gradum, id est, inter avunculum et neptem, aut vice versa; quibus, ex lege 16 april. 1832, addenda est affinitas in primo gradu lineæ collateralis.

Ad obtinendam hujusmodi dispensationem sic procedendum est : partes conjungendæ supplicationem procuratori imperiali præsentant, qui eam proprio testimonio munitam ad ministrum justitiæ transmittit: minister autem justitiæ causam ad Imperatorem defert, edictum (*ordonnance*) obtinet et illud ad procuratorem imperialem mittit; procurator imperialis curat ut, de mandato præsidis tribunalis, edictum istud in registris tribunalis transcribatur.

Exemplar edicti, cum attestatione scriptionis, ad officiarium publicum loci sponsorum a procuratore imperiali transmittitur et actui celebrationis matrimonii manet appensum. Hanc formam procedendi decisio gubernii, diei 20 *prairial an* XI, determinavit. Ordinarie summa pecuniæ trecentorum nummorum circiter exigitur (300 fr.)

Caveatur ne consanguinitas pro affinitate exprimatur; tunc enim cum sollicitudinibus et impensis obtineretur dispensatio inutilis, quod, nobis scientibus, pluries accidit.

§ VI. — De vi nullitatum quas impedimenta civilia inducunt.

Si matrimonium cum aliqua nullitate civili fuerit contractum, non ideo erit pleno jure nullum : nullitas enim a judicibus pronuntianda est ut effectum suum obtineat.

Duplicis generis distinguuntur nullitates, absolutæ scilicet et relativæ : nullitates absolutæ illæ sunt quæ motivo ordinis publici fundantur, et relativæ quæ motivo ordinis

privati. Nullitates absolutæ invocari possunt ab omnibus personis quarum interest ut matrimonium annulletur et insuper a ministerio publico, id est, a procuratore imperiali : tales sunt nullitates provenientes ex incestu, ex bigamia, ex Ordine sacro, secundum jurisprudentiam curiæ supremæ, etc. Nullitates relativæ ab iis solis invocari possunt, in quorum favorem fuerunt institutæ, ut, v. g., defectus consensus parentum.

Inter nullitates quædam sunt ex natura sua irremediabiles, ut supra memoratæ, ex incestu, ex bigamia, ex Ordine sacro; aliæ vero per mutationem circumstantiarum cessant, ut nullitas ex errore vel ex defectu ætatis proveniens, et aliæ per lapsum temporis teguntur; v. g., qui ex errore contraxit, si detecto errore, per sex menses cohabitavit cum sua comparte, nullitatem matrimonii sui invocare non potest; item pater qui matrimonio filii sui non consensit, post annum elapsum nullitatem matrimonii petere nequit, etc. Vide Cod. civ. art. 180 et seq.

Gravis hic exsurgit difficultas, quomodo scilicet matrimonium radicitus nullum, fiat validum quando nullitas tegitur. In sententia eorum qui tenent impedimenta civilia ipsum dirimere contractum quoad vinculum, difficultas est reipsa gravis et solutu valde difficilis : dicendum est, ut probabilius, matrimonium ab initio esse duntaxat conditionatum, et transire in absolutum eo instanti quo adimpletur conditio, id est nullitas legalis cessat.

In nostra vero sententia, cum impedimenta civilia ad solos respiciant effectus civiles, vel contractus est tantum conditionatus, ut modo diximus, vel ab initio est validus, sed rescindibilis, sicut alii contractus civiles; in utroque casu, evanescit difficultas.

Verum si matrimonium rite fuerit contractum in faciem Ecclesiæ, dissolvi non poterit, nisi quoad effectus civiles.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CONSENSU PARENTUM.

Filiifamilias parentibus subjiciuntur, quoad matrimonium, usque ad vigesimum quintum annum, et filiæ usque ad vigesimum primum. *Cod. civ., art.* 148.

Duplici modo dici potest necessarium esse consensum parentum pro matrimonio filiorumfamilias, nempe ad licite et ad valide contrahendum.

ARTICULUS PRIMUS.

AN CONSENSUS PARENTUM NECESSARIUS SIT FILIISFAMILIAS UT MATRIMONIUM LICITE CONTRAHANT.

Certum est filiosfamilias matrimonium licite inire non posse, inconsultis parentibus, et ordinarie teneri consensum eorum obtinere, idque probatur 1° Scriptura sacra : *Date filiis vestris uxores*, ait Deus, *et filias vestras date viris*, Jerem. XXIX, 6. In multis aliis locis supponitur parentum esse dare uxores filiis suis, et filias nuptui tradere. Unde Tobias junior petit Saram a patre ejus, qui eam tradit et conditiones matrimonii determinat. 2° Ex jure canonico, cap. *Aliter*, in Decreto, causa 30, quæst. 5 aliisque locis, et conc. Trid., sess. 24, c. 1 de Reform. Matrim. in quo legitur : « Sancta Dei Ecclesia, ex jus- » tissimis causis, illa (matrimonia sine consensu paren- » tum inita) semper detestata est atque prohibuit. » 3° Ex jure civili quod talia matrimonia semper prohibuit et nunc prohibet, ut vidimus supra, p. 366. 4° Ex ratione : certum est filiosfamilias debere parentibus honorem, reverentiam et obsequium, præsertim in eis quæ ad totam familiam spectant : porro ex matrimonio filiorumfamilias sæpissime pendent honor et pax familiarum, felicitas aut infelicitas sponsorum, tum in præsenti,

tum in futura vita, bona constitutio societatis civilis, etc. Ergo.

Hac obligatione tenentur ii omnes qui parentes aliosve ascendentes habent; plus tamen minores, quia majori periculo non convenienter nubendi sese exponunt, et eo ipso parentes magis offendunt.

Nihilominus ipsi majores graviter peccant, si matrimonium inconsultis parentibus ineant, nisi gravis ratio, v. g., longa absentia, eos excuset.

Si matre consentiente, pater consensum suum deneget, a matrimonio abstinendum est, quia pater est caput familiæ; si sola mater consentire nolit, multo melius filii et præsertim filiæ matrimonio ei displicenti renuntiant: attamen minus esset peccatum, et lex civilis in eo casu permittit matrimonium etiam minoribus. An peccatum istud esset mortale aut tantum veniale, id ex solis circumstantiis determinari potest.

Filii et filiæ naturales, juxta leges recogniti, iisdem subjiciuntur conditionibus relative ad matrimonium, respectu parentum suorum, ac filii legitimi.

Si vero recogniti non fuerint, aut patrem et matrem amiserint, aut pater et mater consensum suum manifestare non valeant, et adhuc sint 21 annis minores, matrimonium inire nequeunt absque consensu tutoris ad hoc specialiter per concilium amicorum a judice pacis designatorum nominati. Unde tutor, pro hujusmodi filiis jam constitutus, matrimonio pupillorum minorum regulariter consentire non posset, sine speciali ad hoc per concilium familiæ, aut concilium amicorum delegatione. *Code civ., art.* 159, et *Toullier*, t. 1er, p. 463.

Minores in hospitiis quovis titulo admissi, sub plena constituuntur auctoritate administratorum, qui unum ex ipsis, in casu matrimonii, designant ut munere tutoris fungatur; *Loi du* 15 *pluviôse an* XIII. Etiamsi istiusmodi infantes parentes haberent cognitos, nihilominus administratoribus hospitii in quo fuerunt recepti subjiciuntur, donec a parentibus fuerint reclamati et obtenti, et non nisi 25 annis pro maribus et 21 pro feminis fiunt

majores quoad matrimonium. *D'Origny*, *Etat civil*, *p.* 249.

Diximus *inconsultis parentibus*, quia filii tenentur quidem consensum parentum requirere, non vero semper obtinere; aliquando enim contingit ut parentes matrimonio filiorum filiarumve suarum injuste obsistant : tunc officiis reverentiæ erga eos expletis, et consensu illorum humiliter postulato, ad nuptias, ex judicio virorum prudentium convenientes, transire licet.

Notandum 1° matrimonii promissionem, contra voluntatem parentum, esse regulariter nullam, ut pote de re illicita, et non valere nisi inquantum supponitur parentes consensuros, vel non implendam nisi post eorum mortem, vel tandem in casu quo manifeste irrationabiliter obsisterent.

Notandum 2° filios et filias non teneri obedire parentibus matrimonium eis jubentibus, vel matrimonium cum tali aut tali persona; quia matrimonium est actus personalis, ad quem maxima requiritur libertas.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN FILIIFAMILIAS MATRIMONIUM VALIDE CONTRAHERE POSSINT SINE CONSENSU PARENTUM.

Lutherus, Calvinus aliique plures, quos citat *Collet*, t. XIII, docuerunt hæc matrimonia jure naturali vel jure positivo divino esse nulla, aut saltem parentes ea pluribus in casibus irritare posse.

Certum est 1° illa non esse nulla jure naturali; nam in hujusmodi matrimoniis reperitur quidquid ad substantiam contractus necessarium est, videlicet potestas naturalis in proprium corpus, voluntas hanc potestatem tradendi alteri et exterior hujus voluntatis manifestatio; ergo talis contractus est duntaxat illicitus, non vero invalidus. Neque dici potest parentes potestatem habere in corpus filiorum suorum in ordine ad matrimonium; nam tunc matrimonium eorum semper irritare possent, sive juste, sive injuste : atqui hoc manifeste repugnat, et

communi sensui hominum adversatur : ergo. Nostra hæc doctrina tenetur a S. Thoma, 2 2, q. 104, art. 5. Ergo.

2° Non minus certum est eadem matrimonia jure positivo divino non irritari ; nulla quippe citatur lex divina ea irritans, neque in Veteri neque in Novo Testamento : multa, e contra, videntur matrimonia inconsultis parentibus contracta, v. g. Esau cum Judith et Basemath, *quæ ambæ offenderant animam Isaac et Rebeccæ*, Gen. XXVI, 35 ; Jacob cum Rachele, Bala et Zelpha ; Judæ cum muliere Chananæa, Genes. XXXVIII, 2 ; junioris Tobiæ cum Sarah, etc. Unde conc. Trident. declaravit contra Lutherum et Calvinum aliosque Protestantes, sess. 24, c. 1 de Reform. Matrim. damnandos esse, et anathemate percussit eos « qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et » parentes ea rata vel irrita facere posse. »

3° *Certum est* ergo matrimonia filiorum familias inconsultis vel invitis parentibus contracta, novo jure ecclesiastico non esse nulla, sed tantum illicita : verum graviter disputant theologi an jure antiquo canonico fuerint nulla : sententia affirmans communior et probabilior esse videtur ; sed quia mere est speculativa, ab ea abstinemus.

4° In jure Romano patres, fere illimitatam habentes potestatem in filios, matrimonia illorum sine consensu suo inita annullare poterant, paucis exceptis casibus. Imperatores christiani hanc dispositionem legum confirmarunt ac renovarunt, et Ecclesia eam adoptavit. Disciplina hæc, apud Græcos semper retenta, circa duodecimum sæculum mutata est in Ecclesia Latina, et tunc matrimonia ista cœperunt haberi ut valida. In concilio Tridentino magna exstitit disceptatio : oratores Galli fortiter, nomine regis Christianissimi, petierunt « ut » redderentur irrita matrimonia contracta a filiis absque » parentum consensu, quippe plerumque noxia ac familiis indecora, et odiorum potius quam amoris fomes » inter conjuges ; » Pallavic., l. 22, cap. 1, n. 16. Decretum prius propositum varias subiit mutationes, et tan-

dem eo sensu latum est quod matrimonia forent illicita, non vero nulla, et anathema pronuntiatur contra illos qui negarent *ea esse vera ac rata.*

Plerique reges nostri, ut Henricus II, Henricus III, Henricus IV, Ludovicus XIII, Ludovicus XIV, ea matrimonia damnaverunt, prohibuerunt, atque irrita declaraverunt : « Voulons que tous les mariages contractés » contre la teneur de ladite ordonnance soient déclarés » non valablement contractés, » aiebat Ludovicus XIII, in edicto anni 1629.

Verum ostendimus supra, p. 356, hæc regum nostrorum edicta ad solos effectus civiles respexisse. Quid autem de nova lege sentiendum sit, patet ex supradictis, ubi de impedimentis civilibus, p. 353.

CAPUT OCTAVUM.

DE PRÆSENTIA PAROCHI ET TESTIUM.

Caput istud, omnium judicio maximi momenti, in septem articulos dividemus : 1us erit de clandestinitate ; 2us de decreto conc. Trid. contra clandestinitatem ; 3us de promulgatione illius decreti ; 4us de ejus obligatione ; 5us de præsentia parochi ; 6us de iis qui præsentiam parochi supplere possunt, et 7us de præsentia testium.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CLANDESTINITATE.

Clandestinum in genere idem sonat ac occultum : ideo matrimonium clandestinum illud est quod, per oppositionem ad publicitatem, clam contrahitur, aut qualitatibus ad publicitatem requisitis caret : illæ autem qualitates sunt : 1° præsentia testium ; 2° proclamatio bannorum ; 3° consensus parentum ; 4° præsentia parochi ; 5° benedictio nuptialis.

Attamen nunc passim apud auctores, matrimonium clandestinum simpliciter illud intelligitur quod præsentia parochi et testium caret.

Jam probavimus defectum proclamationum et consensus paterni reddere quidem matrimonium illicitum, non vero invalidum, juxta jus canonicum.

Certum est 1° benedictionem nuptialem semper fuisse usitatam, etiam in primis Ecclesiæ sæculis : patet ex textibus a nobis jam allatis, p. 202, et ex aliis monumentis quæ legi possunt apud Benedictum XIV, de Synodo diœces., l. 8, cap. 12, n. 3.

Certum est 2° matrimonia Christianorum occulta, sine benedictione sacerdotali celebrata, semper fuisse odiosa Ecclesiæ, ab ipsa prohibita, ac proinde graviter illicita, ut Benedictus XIV evidenter probat in loco citato, tum ex his verbis Tertulliani, l. de Pudicitia, c. 4 : « Ideo » penes nos occultæ quæque conjunctiones, id est, non » prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam et for» nicationem judicari periclitantur ; » tum ex aliis textibus Patrum, conciliorum et juris canonici, tum ex concilio Tridentino, attestante Ecclesiam hæc matrimonia semper detestatam esse et prohibuisse.

3° Longe ante concil. Trid. requirebatur præsentia parochi et testium ad celebrandas nuptias : « Prius con» veniendus est sacerdos in cujus parochia nuptiæ fieri » debent in ecclesia coram populo : » hæc verba leguntur in Capitularibus regum Francorum a Baluzio collatis, t. I.

4° An vero ista parochi et testium præsentia necessaria fuerit, ante conc. Trident., ad validitatem matrimonii, non ita constat. Gravis hac de re exorta est controversia inter Patres et theologos concilii, ut referunt Pallavic., lib. 22, cap. 4, et Benedictus XIV, de Synodo diœces., lib. 8, cap. 12, n. 4 et seq. Post allatas et libratas hinc et inde rationes, prodiit decretum de quo statim dicendum est.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DECRETO CONCILII TRIDENTINI CONTRA CLANDESTINITATEM.

Non obstante prohibitione Ecclesiæ multa fiebant matrimonia clandestina, quorum existentia probari non poterat, et inde non raro contingebat quod idem homo, relicta prima uxore, aliam duceret et cum ea in perpetuo adulterio viveret, vel, post inita matrimonia, Ordines sacros impune susciperet. Quæsitum est medium, in concilio Tridentino, tanto occurrendi malo.

Post multas disceptationes in plurimis congregationibus habitas, relicta quæstione de validitate matrimoniorum antea sine præsentia sacerdotis et testium contractorum, editum est decretum sequentibus verbis expressum, sess. 24, cap. 1 de Reform. Matrim.

« Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu irrita Ecclesia non fecit, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea rata ac vera esse negant... Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. »

Clariora sunt hujus decreti verba, ut explicatione indigeant : certum est ergo matrimonia clandestina, id est, sine parocho et testibus celebrata, vi ecclesiasticæ illius legis non tantum prohibita et illicita esse, sed irrita atque nulla ratione ipsius contractus, ac consequenter ratione sacramenti. Ne valent quidem ut sponsalia : ita docet Benedictus XIV, Inst. 46, n. 23, constanti declaratione sacræ Congregationis Concilii, et unanimi theologorum ac canonistarum consensu innixus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PROMULGATIONE DECRETI CONCILII TRIDENTINI CONTRA CLANDESTINITATEM.

Duo hic examinanda sunt, scilicet necessitas et factum promulgationis.

De necessitate promulgationis decreti concilii Tridentini contra clandestinitatem.

Cum patres, decreto concilii repugnantes, objicerent hæreticos ei non obtemperaturos, ac proinde cuncta matrimonia inter eos futura esse nulla et omnem prolem illegitimam, ad præcavendum hoc incommodum, statutum est, sub fine ipsius decreti, illud vim non habiturum, nisi post tringinta dies a die promulgationis : « Decernit insu- » per (sancta synodus) ut hujusmodi decretum in una- » quaque parochia suum robur post triginta dies habere » incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia » factæ numerandos. »

Quacumque igitur de causa omissa fuerit promulgatio, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, nullam vim habet præfatum decretum : in illis ergo locis eodem modo habenda sunt matrimonia clandestina quo habebantur ante concilium Tridentinum : porro quamvis Ecclesia ea semper detestata fuerit, moraliter tamen certum est ea fuisse valida : ergo etiam nunc valida sunt. At sedulo curandum est ut, juxta votum ac præceptum Ecclesiæ, sacerdotali benedictione sanctificentur.

Promulgatio non injungitur per regna aut provincias ecclesiasticas, neque per diœceses, sed per parochias : unde fieri potest ut illud decretum robur obtineat in una parochia et non in altera ejudem diœcesis, vel ejusdem civitatis, v. g., si hæretici habuerint eo tempore parochiam a catholicis separatam, et decretum publicatum fuerit apud catholicos, non vero apud ipsos; *Dens*, t. VII. Nec sufficeret statutum diœcesanum verbis concilii accommodatum, præsentiam parochi et testium sub pœna

nullitatis præscribens, et in cunctis ecclesiis denuntiatum, nisi auctoritate summi Pontificis muniretur, quia episcopus non habet potestatem impedimentum dirimens statuendi, et aliunde synodale statutum sic efformatum, non est ipsum concilii decretum. Eo sensu respondit S. Congr. Conc. die 2 decembris 1628, ad constitutiones synodi provincialis Ruthenæ, et Urbanus VIII eam decisionem approbavit die 20 martii an. 1629. P. *Antoine*, t. VI.

Diximus *nisi auctoritate summi Pontificis muniretur*, quia summus Pontifex vim irritandi matrimonium huic statuto annectere potest.

Nec tamen necesse est ut publicatio dicti decreti totis verbis facta fuerit; ubi lex ipsa recepta est tanquam decretum concilii et observatur, sufficienter promulgata censetur; *Dens*, et card. *Zelada* nomine Pii VI, ad episcopum Lucionensem, die 28 maii 1793, respondens.

De facto promulgationis decreti concilii Tridentini.

Certum est illud non fuisse promulgatum in regionibus, eo tempore quo latum est, hæresi dominanti subjectis, ut in Anglia, Suevia, Saxonia, Dania et pluribus Germaniæ et Helvetiæ partibus.

In plerisque autem ecclesiis catholicis tunc exstantibus paulo post fuit denuntiatum, juxta ipsius tenorem, et vim cœpit habere.

Sola difficultas ex parte Galliæ se tenet; cum enim decreta concilii Tridentini plurimis in punctis consuetudinibus nostris adversentur, nunquam reges nostri, licet sæpe ab episcopis rogati, permittere voluerunt ut ea solemniter publicarentur in regno atque vim legis pro foro externo haberent. Attamen edictum regium Blesense, an. 1579, statuit matrimonia sine parocho et quatuor testibus celebrata habenda esse ut nulla. Ludovicus XIII et Ludovicus XIV eamdem dispositionem renovaverunt ac confirmarunt. Hinc matrimonia clandestina, ubique proscripta, in Gallia habita sunt nulla.

Verum *Tabaraud* aliique ei similes contendunt nullita-

tem hujusmodi matrimoniorum non ex decreto concilii Tridentini, sed ex edictis regum repetendam esse. Hinc cum illæ antiquæ leges civiles non amplius existant, inferunt matrimonia clandestina, servatis conditionibus lege civili præscriptis, esse valida : matrimonia igitur civiliter tantum contracta, vera et legitima esse ratione contractus, ac proinde, tuta conscientia, in eis manere licere.

Hæc autem assertio prorsus erronea est; nam 1° episcopi curaverunt ut illud decretum in diœcesibus suis admitteretur; 2° de facto ubique nunc admissum est in Gallia; 3° ad instantiam principum sæcularium latum erat; incredibile est reges, qui talem irritationem sollicitaverant, illam non approbasse; 4° tota disciplina concilii Tridentini auctoritate episcoporum recepta est apud nos, in iis quæ juribus regis et consuetudinibus regni non adversantur, tum in comitiis generalibus cleri, anni 1614, 1615 et 1625, tum in conciliis provincialibus; 5° in cunctis Ritualibus decretum hujus concilii exponitur aut supponitur tanquam lex ecclesiastica plenum effectum quotidie obtinens : porro vis ejus a lege civili non pendet : ergo.

In ecclesiis recenter formatis, apud schismaticos, hæreticos aut infideles, decretum concilii Tridentini, circa matrimonia clandestina, cum aliis punctis doctrinæ christianæ et disciplinæ ecclesiasticæ simul promulgatur, et statim vim suam habet.

ARTICULUS QUARTUS.

DE OBLIGATIONE DECRETI CONCILII TRIDENTINI POST EJUS PROMULGATIONEM.

Decretum istud est lex ecclesiastica simul localis et personalis : quatenus localis, affectat territorium, et eos omnes qui in eo habent domicilium juris aut facti ad sensum infra explicandum, obligat. Unde Angli, v. g., in Gallia contrahentes, eam servare tenentur si domicilium juris aut facti acquisierint.

Quatenus vero personalis, eos obligat qui domicilium in

loco ubi promulgata est habentes, in extraneo loco ubi domicilium non habent, contrahere vellent. Hinc Galli per Angliam transeuntes, matrimonium clandestinum inire non possent. Sic habet declaratio S. Cong. Concil. ab Urbano VIII confirmata, anno 1627.

Si vero Gallus cum Angla jungendus esset, valeret matrimonium clandestine celebratum, quia Angla lege Trident. non tenetur, et privilegium suum Gallo communicat, propter individuitatem contractus. Ita Benedictus XIV, de Synodo diœcesana, lib. 6, c. 6, n. 12, et Clemens XIII, anno 1767, in responso ad archiepisc. Mechlin.

Incolæ tam masculi quam feminæ, e loco ubi lex Tridentina viget in alium ubi non viget transeuntes, eo animo ut matrimonium sine parocho et testibus contrahant, valide contrahunt, modo domicilium aut quasi-domicilium, uti mox explicabitur, ibi acquirant. Sic Bened. XIV, Inst. 33, n. 9, citans declarationem S. Cong. ab Urbano VIII, anno 1627, confirmatam.

Plures adhuc exstant difficultates circa eos qui nec ad parochum nec ad sacerdotem ab eo aut ab Ordinario delegatum recurrere possunt, et circa hæreticos : hinc duplex paragraphus.

§ I. — De obligatione decreti concilii Tridentini respectu eorum qui nec ad parochum nec ad sacerdotem ab eo vel ab Ordinario delegatum recurrere possunt.

Tam stricto sensu accipienda est lex Tridentina, ut ignorantia invincibilis aut quælibet necessitas, v. g., legitimandi prolem in articulo mortis, ab illius effectu non eximat, juxta omnes, et summi Pontifices ab illa non dispensant, quamvis ab aliis impedimentis canonicis frequenter dispensare soleant.

Attamen, cum matrimonium in societate sit necessarium, ubi recursus ad parochum vel ad sacerdotem ab eo vel ab Ordinario delegatum, moraliter impossibilis est, lex illa obligare non debet; alioquin non in bonum ordinem, sed in detrimentum privatorum et ruinam societa-

tis vergeret. Ingens quippe datur discrimen inter hanc irritationem et alia matrimonii impedimenta; qui enim impedimentis detinentur, alias personas sibi non consanguineas nec affines, etc., invenire possunt : qui autem liberum non habent recursum ad parochum, nullo modo nubere possent, si lex stricte eos obligaret. Sic pluries S. Cong. Concil. declaravit, ut refert Bened. XIV, de Synodo diœces., lib. 12, c. 5, n. 5, et Pius VI, vel potius, nomine ejus, card. *Zelada* in epistola ad episcopum Lucionensem, diei 28 maii 1793, hæc habet : « Quoniam » complures ex istis fidelibus non possunt omnino paro- » chum legitimum habere, istorum profecto conjugia, » contracta coram testibus et sine parochi præsentia, si » nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut sæpe » sæpius declaratum fuit a sacra Congregatione concilii » Tridentini interprete. »

Episcopus Lucionensis exposuerat recursum ad parochum in sua diœcesi esse impossibilem; Pontifex ad quæsitum præcise respondit.

Episcopus Genevensis notaverat recursum sæpe impossibilem vel periculosissimum ac difficillimum esse : idem Pontifex respondit in brevi diei 5 octobris 1793, matrimonia etiam in eo casu esse valida, « cum contrahentes » ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus aut » non nisi difficillime seu periculosissime recurrere pos- » sint. »

In decisione data Romæ, die 17 decembris 1793, a *Joseph Vaser*, S. Congr. Indicis consultore, affirmatur prædicta matrimonia, coram testibus tantum celebrata, esse valida, si recursus ad parochum vel ad legitime delegatum non sit tutus (*Recueil des décisions du Saint-Siége Apostolique*, t. III, p. 341.)

Cardinalis *Antonelli*, in celebri colloquio cum D. *de Cambis*, die 14 octobris 1793, Romæ habito, et in ead m collectione relato, p. 335, constanter affirmavit matrimonia, tempore perturbationis Gallicanæ, sine præsentia parochi aut sacerdotis legitime delegati contracta, præsumenda esse valida; quod enim basis illius est et ad

jus naturæ spectat, inquiebat, nempe mutuus consensus, in his matrimoniis reperitur : formalitates autem a conc. Trid. præscriptæ sunt tantum institutionis positivæ, et non semper obligant : in dubio tutius est ergo habere consensum ut validum, quam illum, propter formas non obligantes, labefactare : unde concludebat nemini licere vel unum verbum de renovando consensu proferre, nisi constaret de invaliditate matrimonii.

Hinc cuncta matrimonia eo tempore coram sacerdote schismatico nullum habente titulum ante schisma existentem vel coram magistratu civili celebrata, reputanda sunt valida, si, ex declaratione partium vel ex circumstantiis, prudenter judicetur recursum ad parochum aut ad legitime delegatum non fuisse tutum ac facilem. In dubio autem de possibilitate accessus, ad validitatem potius inclinandum est quam ad nullitatem.

Notandum episcopos, saltem in plerisque diœcesibus, delegasse omnes sacerdotes catholicos ad benedicenda quæcumque matrimonia fidelium, servatis aliunde servandis relative ad impedimenta et consensum.

Quæritur an illa matrimonia fuerint licita.

R. 1°. Coram sacerdote schismatico ea benedicente celebrata, graviter erant illicita, quia tunc fiebat participatio in divinis cum illo, quod naturalibus et ecclesiasticis legibus stricte prohibitum est.

R. 2°. Si hæc matrimonia coram magistratu et testibus duntaxat contraherentur, ad obtinendos effectus civiles, etiamsi sacerdos schismaticus functiones magistratus exercuisset, erant licita, quia tunc actus solummodo civilis perficiebatur. Ita declaraverunt S. Congr. sancti Officii, diei 20 nov. 1672, pro ministro heterodoxo, Bened. XIV, Const. 39, n. 10 (Bull. t. I), pro ministro Mahumetis, et Pius VI, in responso ad episcopum Lucionensem. *Quarto*, pro magistratu civili in Gallia, tempore schismatis. Præscribebat sanctus Pontifex ut matrimonium coram testibus catholicis prius iniretur, deinde declaratio coram *municipalitate* fieret, sine ulla intentione matrimonium contrahendi, sed actum mere civilem exercendi.

Curare debebant fideles matrimonia coram testibus ineundo, ut reverenter hunc actum tanquam religiosum et probabiliter sacramentum exercerent, juxta opinionem eorum qui sponsos habent ut sacramenti ministros.

Hæc principia applicanda sunt matrimoniis catholicorum in India, in imperio Sinensium, etc., qui ad missionarium catholicum recurrere non possunt. Coll. Paris., tom. III.

§ II. — De obligatione decreti concilii Tridentini respectu hæreticorum.

Constat, ex dictis, concilium irritare noluisse matrimonia hæreticorum eo tempore per ecclesias separatas distinctorum, et apud quos decretum non fuit promulgatum. Quæstio est igitur 1° de iis qui obtinuerunt regiones in quibus antea decretum concilii vim habuerat, vel ecclesias separatas constituerunt; 2° de iis qui inter catholicos manent dispersi.

1° Prima difficultas nata est circa matrimonia hæreticorum Hollandiæ, in qua decretum conc. Trid. jussu Philippi II promulgatum fuerat, et ubi paulo post religio Calviniana principatum obtinuit.

Gravis exorta est controversia super validitate hujusmodi matrimoniorum, et testatur Benedictus XIV, de Synodo diœces., lib. 6, cap. 6, n. 4, in tribunalibus curiæ Romanæ, ac in SS. Congregationibus cardinalium plurimum arrisisse opinionem quæ pro nullitate illorum militabat. Verum illustris Pontifex declarat se huic opinioni nunquam acquievisse, et ad cathedram B. Petri evectus, celebrem edidit declarationem, die 4 nov. 1741, in qua statuit 1° matrimonia inita vel ineunda in locis Hollandiæ et Belgii fœderatorum Ordinum dominio subjectis, inter duos conjuges hæreticos, sine catholici parochi præsentia, esse valida : 2° valida similiter esse, propter individuitatem contractus, matrimonia inter duas partes, quarum una est catholica et altera hæretica. Nihil novi statuit circa matrimonium catholicorum inter se : ea igitur coram parocho aut legitime delegato celebranda sunt,

ut ipse docet, de Synod. diœces., l. 6, cap. 6, n. 13.

Præfata declaratio haberi non potest ut legis Tridentinæ dispensatio, siquidem Pontifex decernit matrimonia jam contracta sine præsentia parochi esse valida : est ergo decisio doctrinalis, quæ supponit vel mentem concilii Tridentini non fuisse obligandi hæreticos societates completas efformantes, vel, quod fere in idem recidit, decretum, licet publicatum apud catholicos ante separationem, non esse sufficienter promulgatum relative ad societates hæreticorum postea formatas. Pontifex non exhibuit motiva quibus fuit determinatus.

Ista autem Pontificalis declaratio ad solas respicit fœderatas provincias, testibus *Collet*, *Billuart* et Pio VII, in responso ad vicarios generales Pictavienses, die 29 augusti 1818, apud D. *Pagès*, 3a edit., p. 195.

Quoad hæreticos, qui post decreti concil. Trid. promulgationem, ecclesias distinctas inter catholicos habere incœperunt, duæ sunt theologorum opiniones; alii enim dicunt illorum matrimonia esse valida, et his rationibus præcipue nituntur : 1° ubi sunt parochiæ hæreticorum apud catholicos, duæ sunt societates distinctæ : decretum conc. Trid. apud unam promulgatum est, et apud alteram non censetur promulgatum. 2° Cum prædictum concilii decretum de hæreticorum societatibus, tum existentibus, tum futuris, nihil dicat, mens ejus quærenda est : porro, teste Pallavicino, l. 22, cap. 8, n. 10, mens concilii fuit matrimonia hæreticorum non irritandi. Tot autem sunt rationes pro validitate matrimoniorum inter hæreticos recenter exortos contractorum, quot pro validitate matrimoniorum inter hæreticos tempore concilii existentes. 3° Ex duabus sententiis oppositis, ea amplectenda est quæ religioni et animarum saluti magis favet; at opinio quæ tenet matrimonia hæreticorum esse valida, etc., multo minus eos a communione catholica removet, cum doceat conjugem non esse deserendum; nec consensum coram parocho renovandum, nec prolis statum periclitaturum. 4° Hæretici ad fidem catholicam conversi non inquietantur circa matrimonia in hæresi

contracta; ita saltem multi sentiunt. 5° Rationes ob quas Benedictus XIV declaravit matrimonia hæreticorum in provinciis Hollandiæ et Belgii fœderatis esse valida, pro matrimoniis aliorum hæreticorum eamdem vim habent : ergo. Ita multi theologi Germani, et inter Gallos P. *Antoine*, t. VI, qui dicit matrimonia hæreticorum valere ex tacita Papæ dispensatione et usu Ecclesiæ.

Alii vero theologi contrariam opinionem tenent : nam, inquiunt, 1° ubi lex Tridentina fuit publicata, cunctos ex se obligat Christianos, et absurdum est hæreticos per rebellionem suam ab illa liberari, aut ab Ecclesia dispensari. 2° Communiter docetur hæreticos valide conjungi non posse cum impedimentis canonicis dirimentibus, v. g., in gradu consanguinitatis prohibito : ergo a pari, etc. 3° In nonnullis Germaniæ diœcesibus, v. g., Frisegensi, testante *Collet*, t. XIV, matrimonia hæreticorum ad fidem catholicam redeuntium iterantur. Ergo.

Quænam ex duabus his opinionibus probabilior sit, non satis liquet ut pronuntiare audeamus : ad priorem magis inclinaremur; sed quoniam limites probabilitatis non excedit, semper dicemus cum *Collet*, contra *Tournely*, t. XIV, posteriorem sequendam esse in praxi, ac proinde sponsos coram ministro hæretico conjugatos consensum renovare teneri in forma a concilio Tridentino determinata, nisi tempore matrimonii recursus ad parochum aut ad legitime delegatum non fuerit tutus et facilis; nam in eo casu matrimonia catholicorum sunt valida : ergo et matrimonia hæreticorum, quia repugnat legem eos magis obligare quam catholicos.

Si autem uno conjuge ad fidem catholicam redeunte, alter maneat in hæresi et renovationi consensus coram parocho ac testibus acquiescere nolit, arbitramur, salvo meliori judicio, catholicum non esse inquietandum, propter rationes superius, p. 392, expositas, ex colloquio card. *Antonelli* cum D. *de Cambis* depromptas : attamen in gravissimo hujusmodi casu consulendus esset episcopus.

2° Quoad hæreticos inter catholicos, ubi decretum concilii Tridentini fuit promulgatum, dispersos et ecclesias separatas non efformantes, ut nunc in Italia, in Hispania, ut in Gallia post revocationem edicti Nannetensis, videtur eorum matrimonia esse nulla si non celebrentur coram parocho aut sacerdote delegato : eo ipso enim quod societates separatas non constituant, quo principio affirmari posset eos lege Tridentina ibi generalem effectum obtinente non ligari ? Ergo.

Quæritur 1° specialiter quid sentiendum sit de matrimoniis Protestantium in Gallia.

R. Ante revocationem edicti Nannetensis, an. 1685, hæc matrimonia judicabantur valida, et Coll. Paris., t. I, asserit ea post conversionem conjugum nunquam iterata fuisse. Post revocationem edicti Nannetensis, auctoritas civilis præscripsit sub pœna nullitatis ut matrimonia hæreticorum sicut et catholicorum coram parocho et testibus celebrarentur : parochi autem ab eis exigebant abjurationem hæresis quam per ritus publicos amplius profiteri non poterant. Matrimonia igitur hoc tempore a protestantibus celebrata aliter quam præsente parocho et testibus, erant nulla in foro civili et probabilissime in foro ecclesiastico, ob rationem superius expositam ubi de matrimoniis hæreticorum inter catholicos dispersorum, et societates completas non habentes.

Verum Ludovicus XVI, per edictum diei 24 novembris 1787, statum civilem eis reddidit, atque decrevit eorum matrimonia coram parocho vel coram magistratu celebranda esse. Episcopi judicarunt parochos talibus matrimoniis assistere non posse, quia cum hæreticis participassent in divinis, et ritum sacramentalem profanassent, illum hæreticis scienter applicando; sicque hæc matrimonia facta sunt coram magistratu et coram ministro heterodoxo. Idcirco sequenda sunt principia quæ tradidimus circa matrimonia hæreticorum ecclesias separatas inter catholicos habentium. Probabilius est ergo illorum matrimonia esse valida, sed non ita certum ut partes consensum renovare non debeant, nisi forte una sit recte

disposita et altera reverti aut consentire nolit. Consulendus est episcopus.

Ex ratione a Bened. XIV data et superius relata, hæreticam partem suum communicare privilegium parti catholicæ, propter individuitatem actus, sequitur principium hic a nobis expositum applicandum esse matrimonio catholici cum hæretica ad societatem separatam pertinente, aut vice versa.

Item si hæreticus cum catholica jungendus sit, aut vice versa, ritus sequendus ab episcopo petendus est, si in Litteris Apostolicis dispensationis non exprimatur.

Quæritur 2° an matrimonia inter sectatores vulgo *de la petite église* sint valida.

R. Nullus est dubitandi locus quin sint illicita et simul invalida, sive coram eorum sacerdotibus fuerint celebrata, sive non; nulla enim est ratio hos sectatores a lege Tridentina, quam ipsi agnoscunt, eximendi : porro illam evidenter non servant : ergo.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PRÆSENTIA PAROCHI.

Investigandum est quis parochus matrimonio assistere debeat, quæ necessariæ sint ejus qualitates et qualis præsentia ipsius esse oporteat.

§ I. — Quis parochus matrimonio assistere debeat.

Concilium Tridentinum assignat, in eodem decreto, proprium contrahentium parochum ad faciendas bannorum proclamationes, et deinde nominat simpliciter parochum qui matrimonio assistere debeat : at evidens est non intelligendum esse parochum in genere, bene vero proprium parochum qui banna denuntiare debet.

Omnes autem fatentur concilium non locutum esse de parocho originis, id est, loci in quo partes ortum habuerunt, sed de parocho domicilii, quamvis id propriis verbis non exprimat. Sciendum est ergo quid et quotuplex sit domicilium in ordine ad matrimonium.

Domicilium idem sonat ac habitatio : aliud est perpetuum et aliud temporale, quod etiam dicitur quasi-domicilium.

Domicilium dicitur perpetuum, vel simpliciter *domicilium,* quando nulla est in mente intentio alium habitandi locum. Est autem temporale, seu *quasi-domicilium,* cum quis in uno loco versatur cum intentione ibi manendi, non quidem perpetuo, sed per notabile tempus, saltem per dimidiam aut majorem partem anni. Simplex habitatio a quasi-domicilio differt in eo quod quis non habet intentionem ibi per notabile tempus habitandi, ut infra explicabitur.

Sicut autem ad constituendum domicilium duæ requiruntur conditiones, scilicet intentio et factum habitationis, sic et ad tollendum domicilium.

Qui in duabus parochiis æqualem aut fere æqualem habet summam negotiorum, habitans, v. g., hieme in una, æstate in altera, duo habet domicilia.

Qui summam negotiorum habet tantum in una parochia et residet in altera cum animo manendi per notabile tempus, per dimidiam aut majorem anni partem, habet domicilium in priori parochia et quasi-domicilium in posteriori. Qui se transfert rus recreationis aut rusticationis tantum causa, nec domicilium nec quasi-domicilium ibi acquirit. Bened. XIV, Inst. 33, n. 7.

His notatis,

1° Certum est parochum domicilii simpliciter dicti, jure communi, proprium esse parochum quoad matrimonium : concilium enim Tridentinum nullum determinatum exigit tempus : ergo statim ac contrahentes sunt in uno loco cum animo manendi, pertinent ad parochum hujus loci. Proprius quippe parochus, cujus præsentia exigitur ad matrimonium, ille est qui a concilio Lateranensi vocatur proprius sacerdos, apud quem confessio annualis facienda est, a quo suscipienda est sancta Eucharistia in Paschate, qui arcere potest ab ingressu ecclesiæ et privare sepultura ecclesiastica : porro hi characteres evidenter designant parochum domicilii actualis et sim-

pliciter dicti. Ita Coll. Andeg., S. Ligorius innumeros alios citans, Benedictus XIV, etc.

2° Qui duo habet domicilia proprie dicta, duos habet proprios parochos : coram alterutro contrahere potest, ad nutum juxta multos, et, secundum alios, contrahere debet coram eo in cujus parochia tunc demoratur. Prior sententia videtur probabilior; posterior est tutior et sequenda est in praxi. Vide Bened. XIV, Inst. 33, n. 6.

3° Matrimonium potest etiam jure communi celebrari coram parocho quasi-domicilii supra expositi, ita tamen ut remaneat facultas illud contrahendi in loco ubi verum servatur domicilium. Sic expresse docet Bened. XIV, in Inst. 33, et in Const. *Paucis abhinc hebdomadis*, diei 19 maii 1748, decisiones S. Cong. Concil. citans.

Difficultas est tantummodo an quasi-domicilium censeatur sufficiens ad contrahendum matrimonium, statim ac incœpta est habitatio cum intentione ibi per majorem anni partem manendi. Non pauci volunt habitationem saltem unius mensis, et ita supponit Bened. XIV, definitiones S. Cong. Concil. referens in citata Const. Forte hoc spatium determinatur, quia secus dubium moveri posset de intentione ibi per tempus ad acquirendum quasi domicilium commorandi. Verum, supposito quod revera existat intentio ibi per majorem anni partem commorandi et hæc intentio exterius sufficienter demonstretur, non videtur cur matrimonium ibi statim celebrari non posset, sicut post unum mensem. Statim celebrari potest ubi incœptum est domicilium simpliciter dictum : quare non posset etiam statim ubi incœptum est quasi-domicilium? Ratio disparitatis nobis non apparet.

Quæ diximus de domicilio et quasi-domicilio relative ad matrimonium, applicari possunt eis qui domicilium mutant, vel quasi-domicilium serio acquirere volunt præcise ut se parocho actuali subtrahant : ubi enim aliud domicilium aut quasi-domicilium reipsa constituerunt; quocumque ducti fuerint motivo, jam novum habent proprium parochum : coram eo contrahentes, utuntur

jure suo. Sic Bened. XIV, in præfata Const. citans *Fagnan* et S. Congr. Concil. decisiones.

4° Simplex habitatio in uno loco, recreationis aut negotiorum causa, vel ob alia motiva, sine formali intentione ibi per majorem anni partem commorandi, non sufficit ut matrimonium ibi legitime contrahatur, quia tunc lex Tridentina evaderet fere vana. At si quis ibi per sex menses continuos mansisset, possetne matrimonium coram illius loci parocho celebrare? Civiliter contrahere potest coram magistratu loci, ex art. 74 Cod. civ. Potest et religiose coram parocho. S. Congr. Concil. declaravit quidem eos qui, suo retento domicilio, in alium se transferunt locum ut matrimonium ibi contrahant, et ad domicilium statim redeunt, nulliter contrahere, quia in fraudem legis sic agunt, et realiter nec domicilium, nec quasi-domicilium habent ubi contrahere attentant. Sed longe diversus est casus in quo sex elapsi sunt menses continuæ habitationis. Hoc spatium nobis videtur sufficiens ad constituendum quasi-domicilium, et arbitramur matrimonium fore validum, etsi hæc habitatio incœpta ac continuata fuisset cum intentione ibi contrahendi.

Imo, seclusa fraude, communiter docent extranei auctores matrimonium valide celebrari posse coram parocho simplicis habitationis, post unum mensem elapsum, et nituntur S. Congr. Concil. auctoritate ac Bened. XIV Constitutione *Paucis abhinc hebdomadis* supra citata.

5° In Galliis, ante edictum anni 1697, quatuor requirebantur menses ad acquirendum domicilium pro matrimonio ineundo. Post edictum, quod in Ritualibus generaliter fuit insertum, sex necessarii erant menses, si mutatio fieret intra limites ejusdem diœcesis, et annus, si transitus esset ex una diœcesi in aliam. An autem hæc dispositio, auctoritate civili inducta et ab episcopis adoptata, fuerit sub pœna nullitatis in foro interno, non liquet. Alii affirmarunt, dicentes consuetudinem inducere potuisse et revera induxisse impedimentum dirimens præter jus commune, licet episcopi hanc per se non ha-

beant potestatem : alii vero dixerunt talem dispositionem vim legis irritantis non obtinuisse, sed fuisse tantum legem prohibentem, cujus transgressio peccatum et non nullitatem constituebat. Posterior hæc sententia longe probabilior nobis videtur.

Nunc ex art. 74 Cod. civ. sex menses continuæ habitationis in omni casu requiruntur. Inter episcopos, alii jus peculiare antiquum simpliciter abrogarunt, alii illud simpliciter servarunt, alii denique dispositiones novi Codicis admiserunt.

Non est dubium quin, edictis regiis abrogatis, episcopi moderari potuerint disciplinam, quæ vim suam non habebat nisi ex consuetudine ecclesiæ Gallicanæ propria et auctoritatis sat dubiæ, ut notavimus.

Ubi episcopi jus peculiare nostrum simpliciter abrogaverunt, standum est juri communi ecclesiastico : in diœcesibus in quibus jus istud fuit simpliciter servatum, adest obligatio, sub gravi, statuta iisdem diœcesibus propria observandi, sed probabilius non sub pœna nullitatis, propter rationem superius allatam. Eadem pariter servanda est regula in diœcesibus ubi multa convenientius episcopi dispositiones novi Codicis adoptaverunt.

Episcopus impedire non potest quin proprius parochus matrimonio parochianorum suorum valide assistat, quia solus titulus sufficit ad validitatem; sed cuilibet sacerdoti conferre potest facultatem valide per totam diœcesim assistendi; nam episcopus est proprius *sacerdos* totius diœcesis, et per seipsum vel per delegatum quibusvis matrimoniis diœcesanorum suorum, etiam invitis propriis parochis, assistere valet.

6º In nostra autem diœcesi statuimus parochum domicilii facti, sive simpliciter dicti, sive quasi-domicilii supra expositi, secundum jus commune esse proprium parochum. Ubi tamen existit quasi-domicilium, domicilio principali retento, matrimonium in loco domicilii principalis convenientius celebratur, nisi quasi-domicilium per sex menses continuæ habitationis acquisitum fuerit. Imo, vix contingere potest ut matrimonium legitime celebrari possit

coram parocho quasi-domicilii vere incœpti, nisi sex elapsi fuerint menses, tum ob necessitatem præmittendi contractum civilem regulariter factum, tum ob periculum simplicem et insufficientem habitationem cum vero quasi-domicilio confundendi.

Cum dispositio novi Codicis a prædecessoribus nostris, sicut a nobis, fuerit adoptata, statim atque sex existunt menses continuæ habitationis, habemus parochum hujus loci ut proprium relative ad matrimonium, quamvis principale retentum fuerit domicilium, in quo matrimonium valide etiam contrahi posset : non vero contraheretur valide in loco domicilii abdicati, absque consensu parochi domicilii actualis, etiam per unum tantum diem acquisiti.

His prænotatis, quædam statuendæ sunt regulæ ad praxim attinentes et maximi momenti.

1° Si sponsi eamdem habeant parochiam, licet in diversis *communitatibus*, saltem abhinc sex mensibus habitent, nulla est difficultas circa parochum qui matrimonio assistere debeat.

2° Si vero domicilium in diversis parochiis habeant, alteruter parochus matrimonio valide assistere potest, etiam sine consensu alterius. Sic declaravit S. Congr. Concil. anno 1573, referente Bened. XIV, Inst. 33, n. 5. *D'Aguesseau, Pothier*, t. I, n. 366, aliique jurisperiti et theologi tenebant matrimonium coram parocho unius partis celebratum sine consensu alterius parochi et sine bannorum proclamatione in ejus ecclesia aut legitima dispensatione ab episcopo concessa, esse nullum in Gallia; verum multo communius æstimabant theologi illud esse validum etiam in Gallia. Cum prior opinio edictis regum præcipue fundaretur, posterior nunc certa nobis videtur.

Attamen parochus ad matrimonium electus illud celebrare non debet, quin sibi exhibeatur testimonium alterius parochi declarantis banna sine oppositione fuisse proclamata.

Quædam decentia postulare videtur matrimonium in

domicilio sponsæ iniri, quia, in moribus nostris viri requirere debent mulieres et non mulieres viros. Sed nihilominus liberum est sponsis quem voluerint ex duobus parochis eligere, et qui non fuit electus, nec conqueri, nec quidquam præter retributionem pro bannorum proclamatione taxatam, exigere potest. Si sponsi in extranea parochia matrimonium celebrare intendant, sufficit ut licentiam unius parochi, sive viri, sive mulieris, obtineant, et huic retributionem taxatam debent, sine imminutione retributionis extraneo matrimonium benedicenti debitæ.

3° Ex hypothesi quod neutra pars sex menses continuæ habitationis compleverit in parochia ubi celebrandum est matrimonium, tunc ante celebrationem exigenda est, saltem apud nos et in diœcesibus ubi Codicis dispositio quoad hoc recepta est, testificatio proclamationis bannorum in domicilio legali factæ. Si consensus parochi domicilii legalis necessarius sit ad validitatem matrimonii, ut dicit Coll. Paris., t. III, dicta testificatio hunc consensum importat; sed valde communius docetur consensum parochi legalis (*du domicile de droit*) necessarium non esse ad validitatem sacramenti.

4° Qui per sex menses continuæ habitationis acquisivit domicilium in uno loco quoad matrimonium, et prius tamen retinet domicilium quia intentionem habet illuc revertendi, vel ibi principalem domum conservat, in utroque loco matrimonium civile celebrare potest; nam facultas matrimonium in loco habitationis celebrandi habenda est ut exceptio regulæ generalis, et verum domicilium, ab art. 101 usque ad art. 111 Codicis descriptum, non aufert. Sic apud *Toullier*, t. I, n. 571; *Avis du conseil d'Etat, Locré et Tronchet. A fortiori* eamdem habet facultatem quoad matrimonium ecclesiasticum, ut constat ex supradictis.

Hinc 1° filiifamilias qui causa studiorum sunt absentes matrimonium contrahere possunt coram parocho loci habitationis, vel coram parocho sub cujus ditione sunt parentes. 2° Item famuli, famulæ et operarii qui, ob famula-

tum vel laborem, per sex menses in loco extraneo habitant et prius domicilium retinent. 3° Milites, viatores, negotiatores et denique ii omnes qui domicilium civile mutare non intendentes, diu tamen sunt absentes, et in eodem loco per sex menses resident. 4° Qui in carceribus detinentur, vel in hospitiis morantur, coram parocho in cujus territorio carceres vel hospitia existunt, matrimonium inire queunt post sex menses completos. Hi omnes ad verum domicilium reversi, coram parocho hujus loci contrahere valent.

Aliter autem judicandum est, ut patet, in diœcesibus in quibus statutum fuit vel jus commune ecclesiasticum simpliciter sequendum vel antiqua statuta civilia esse servanda.

5° In eos qui fixum habent domicilium in civitate, et per aliquot menses tantum in domo rurali habitant, solus parochus civitatis habet jurisdictionem in ordine ad matrimonium, quia scilicet communiter non admittitur, saltem in Gallia, parochus simplicis habitationis. Si vero ii per sex menses in domo rurali maneant, in utroque loco matrimonium solemnizare possunt.

6° Vagi, id est, qui neque domicilium, neque quasi-domicilium ullibi habent, ex sententia et praxi satis communiter recepta contrahere possunt coram parocho territorii in quo versantur, etiamsi alter e contrahentibus domicilium fixum haberet, quia iste territorii parochus, proprius est vagi parochus. Ita Bened. XIV, Institut. 33, n. 10, *Dens* et plures alii.

A fortiori si uterque sit vagus, proprius parochus ille est sub cujus ditione versantur; sed concil. Trid., cap. 7 de Reform. Matrim. prohibet ne matrimonio eorum assistat, nisi prius diligentem inquisitionem fecerit, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerit, quod tamen, juxta communem sententiam, non exigitur sub pœna nullitatis.

Hæc canonica decisio inservire posset si de benedicendo matrimonio vagorum civiliter junctorum ageretur; secus, ad nihil conducit; lex enim civilis nullam admit-

tit distinctionem in gratiam vagorum : igitur per sex menses in uno loco manere debent ut matrimonio jungi possint.

7° « Si quis parochus vel alius sacerdos alterius paro- » chiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimo- » nio conjungere ausus fuerit, ipso jure suspensionem » incurrit, » Ordinario parochi, qui matrimonio interesse debebat, reservatam. Conc. Trid. c. 1 de Reform. Matrim.

§ II. — Quæ necessariæ sint qualitates parochi matrimonio assistentis.

Præcipue hic petitur an matrimonio valide assistere possit parochus non sacerdos, excommunicatus, interdictus, intrusus, vel titulum coloratum duntaxat habens.

1° Sylvius, t. IV, et plures alii dicunt parochum debere esse sacerdotem, quia conc. Trid. dicit *vel alio sacerdote ;* concludunt ex verbo *alio,* parochum, in mente concilii, debere esse sacerdotem, alioquin non existeret similitudo expressa. Alii vero multo communius negant qualitatem sacerdotis in parocho necessariam esse ad validitatem matrimonii, saltem in ratione contractus ; concilium enim pluries nominat parochum in eodem decreto, et nullibi dicit illum debere esse sacerdotem, quod tamen certe non omisisset, si persuasum habuisset hanc qualitatem ad valorem matrimonii pertinere.

Cum nullus officium parochi nunc apud nos obtineat nisi sit presbyter, evanescunt circa hanc qualitatem difficultates.

2° Constat apud canonistas et theologos parochum interdictum, suspensum, excommunicatum, irregularem, schismaticum et hæreticum, dummodo non renuntiaverit titulo vel ab illo canonice depositus non fuerit, matrimonio parochianorum suorum valide assistere posse : nam verba concilii stricte accipienda sunt : porro solam præsentiam parochi tanquam testis authentici significant, non autem jurisdictionis, ut in collatione sacramenti pœnitentiæ. Ergo.

Hinc matrimonia, tempore perturbationis Gallicanæ, coram parocho legitimo, sed propter adhæsionem Constitutioni civili cleri schismatico, vel coram sacerdote ab eo delegato celebrata, reputanda sunt valida.

An parochus schismaticus, suspensus, excommunicatus, benedictionem nuptialem licite possit conferre, disputatur : absque dubio licite delegare potest sacerdotem catholicum censuris non ligatum ad eam conferendam.

3° Parochus cui interdictum est a summo Pontifice ne matrimonio assistat, valide ei assistere non potest, quia per hunc actum summus Pontifex matrimonium irritat. Secus vero si simpliciter prohibeat.

Sed quia episcopus non habet potestatem matrimonium irritandi, sententia interdicti contra parochum ab episcopo prolata, non impediret quin matrimoniis parochianorum suorum valide, licet graviter illicite, assistere posset. Vide decretum S. Congreg. apud Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 23.

Quod dicitur de parocho titulari, intelligendum est pariter de parocho ad nutum episcopi amovibili, donec de facto revocetur. Si vero ageretur de alio sacerdote cui episcopus concessisset facultatem assistendi matrimonio, independenter a titulo, procul dubio hæc facultas auferri posset, etiam sine ratione, quia tunc a sola voluntate delegantis pendet. Idem dicendum est de delegatione a parocho facta, quæ ab ipso parocho similiter, et absque ratione, revocari potest.

4° Qui habet titulum coloratum, et ex errore communi æstimatur parochus, matrimonio valide interest; actus quippe jurisdictionis valide exercet, juxta omnes theologos : ergo præsentia ejus matrimoniis sufficere debet. Coll. Paris., t. III.

5° Contra vero, juxta omnes, parochus intrusus, id est, qui nec realem nec coloratum habet titulum, valide matrimonio assistere non potest, etiamsi, aiunt communiter, ipsi faveret error communis. Unde matrimonia, tempore perturbationis Gallicanæ, coram intrusis, aut

coram sacerdotibus ab eis delegatis celebrata, prorsus nulla sunt, nisi recursus ad legitimum sacerdotem catholicum periculosus aut difficilis fuerit.

§ III. — Qualis necessaria sit præsentia parochi ad validitatem matrimonii.

1° Constat ex Historia Conc. Trid. Pallav., l. 22. cap. 8, n. 16 et 17, parochum adhibendum esse matrimonio ut præcipuum testem, ad certiorandam ejus validitatem : requiritur ergo ut moraliter et cum advertentia sit præsens. Unde dormiens, ebrius, amens, matrimonio assistere non posset.

2° Non tamen necesse est ut videat contrahentes, dummodo eos mutuum consensum exprimentes clare audiat; proinde cæcus matrimonio assistere potest, non vero cæcus et surdus.

3° Si linguam contrahentium non calleat, et ministerio interpretis utatur, controvertitur an matrimonium sit invalidum : Bened. XIV, utramque sententiam referens, de Synodo diœces., l. 13, c. 23, n. 9, neutram amplectitur. Communiter tamen docetur illud esse validum.

4° Quando matrimonium per procuratorem contrahitur, parochus non videt nec audit sponsum absentem; idcirco exortum est dubium circa validitatem hujus matrimonii. Verum usus in Ecclesia receptus, ante et post conc. Trid., validitatem ejus, saltem in ratione contractus, testatur, ut probat Bened. XIV, ibid. Communiter tamen exigitur ut consensus sponsorum coram parocho domicilii eorum iteretur, ad gratiam sacramenti assecurandam.

5° Quamvis conc. Trid. decernat benedicendos esse sponsos ab eo sacerdote qui matrimonio assistit, nihilominus constat, tum ex Historia concilii, tum ex consensu fere omnium auctorum, illam benedictionem ad validitatem matrimonii ratione contractus non pertinere; esset vero de essentia sacramenti, si sacerdos foret illius minister. Sub nullo igitur prætextu parochus vel ipsius delegatus eam omittere potest, nisi sic agendum Ecclesia

vel summus Pontifex præscripserit, ut quando jungendus est catholicus cum acatholica, aut vice versa.

6° Sacra Congr. Concil. declaravit, anno 1581, valere matrimonium 1° si, dum contrahitur, sacerdos invitus et compulsus per vim ei adsit; 2° si casu adsit et contrahentes videat atque audiat, modo ab eis de matrimonio ineundo admoneatur; 3° si, aliam ob causam vocatus, matrimonio reipsa adhibeatur; 4° etiamsi non viderit nec audierit, si, de matrimonio requisitus, affectaverit se non intelligere : « Neque porro æquum est, ait Benedict. XIV, » de Synodo diœces., l. 13, cap. 23, n. 10, ut ab arbitrio » factoque parochi pendeat libertatem matrimonii impe- » dire. » Debet quidem taliter contrahentes increpare, arguere, ab illo contrahendi modo pro posse suo avertere : « At nihil necesse est aures obturare, velare faciem, » aliudque hujus generis facere, quæ ad id solum valent, » ut animos contrahentium aliquando scrupulis tor- » queant. » Sunt verba ejusdem Pontificis.

Quæritur quo in loco parochus matrimonio parochianorum suorum assistere possit.

R. Ubique eis valide interesse potest; licite autem 1° in ecclesia sua parochiali; 2° in alia ecclesia parochiali, de consensu respectivi parochi; 3° in capellis vel in oratoriis privatis, sed cum licentia episcopi in cujus ditione situs est locus; 4° etiam in loco profano, si gravi de causa episcopus id permittat. Ubique proferenda sunt verba benedictionis, *Ego vos in matrimonium conjungo,* etc.

ARTICULUS SEXTUS.

DE IIS QUI PAROCHUM PRO CELEBRATIONE MATRIMONII SUPPLERE POSSUNT.

Concilium loquitur de sacerdote ab Ordinario vel ab ipso parocho specialiter delegato, cui jungendus est vicarius parochi.

De Ordinario.

Nomine Ordinarii non intelliguntur abbates et alii jurisdictione quasi episcopali gaudentes, nec metropolitanus, nisi in causa legitimæ appellationis; sed comprehenditur episcopus diœcesanus. Quidam, referente Coll. Paris., t. III, opinati sunt illum delegare posse, non vero per seipsum matrimonio assistere, quia Concilium de præsentia parochi et de sola delegatione episcopi loquitur : at 1° episcopus primus est parochus totius diœcesis suæ. 2° « Nemo potest plus juris transferre in alium quam » sibi competere dignoscatur; » Regula juris 79 in Sexto. 3° Talis est disciplina ubique recepta. 4° Doctrina opposita a clero Gallicano damnata est in comitiis anni 1665. Certum est ergo episcopum matrimonio diœcesanorum suorum ubique, per seipsum aut per quemlibet sacerdotem, etiam invito parocho, valide assistere posse ; id aliquando expedit.

Quod potest episcopus, potest similiter vicarius generalis, quia eamdem cum illo habet jurisdictionem et personam ejus repræsentat. Unde si matrimonio assisteret vel ad illud delegaret, etiamsi episcopus delegationem recusasset, valeret nihilominus matrimonium; secus vero si episcopus hanc fieri delegationem prohibuisset, quia penes ipsius voluntatem est jurisdictionem vicarii generalis revocare vel restringere.

Eamdem facultatem habent vicarii capitulares, sede vacante.

Idem vero non possunt officialis et archidiaconus, ratione sui officii aut dignitatis, nec decanus aut parochus primarius.

De specialiter delegato.

Constat ex decreto concilii episcopum et parochum aliquem pro celebrandis matrimoniis delegare posse; verum ut delegatio valeat, plures requiruntur conditiones, scilicet 1° ut delegatus sit sacerdos : sic expresse dicit concilium; cum tamen assistentia ejus ad matrimonium

requisita non sit actus jurisdictionis, sed conditio præscripta, et cum aliunde conc. Trid. qualitatem sacerdotii in delegato solummodo exigat, interdictus, suspensus, excommunicatus, irregularis, schismaticus, hæreticus, valide delegari potest;

2° Ut delegatio matrimonium præcedat : unde non sufficeret *ratihabitio* de præterito facto;

3° Ut sit positiva, et non solum tolerata, propter ignorantiam, metum aliudve incommodum;

4° Expressa, non vero tantum præsumpta; præsumptio enim sufficere potest, si agatur de licentia, qua non existente, actus illicite quidem, sed valide tamen fierent, v. g., si de Extrema-Unctione aut de sancto Viatico quæstio moveretur; nunquam vero sufficit, ex omnium confessis, ubi de validitate actus, v. g., de matrimonio ineundo, agitur;

5° Ut scripto, verbis aut aliis signis exterius sufficienter exprimatur et delegato cura delegantis intimetur, alioquin haberi posset ut merum propositum;

6° Ut acceptetur; est enim ex natura sua actus voluntarius qui consensum delegantis et delegati supponit. Hinc qui delegationem sibi oblatam recusasset, non posset deinde, sine nova delegatione, matrimonio assistere. Delegatio, e contra, semel acceptata, valet donec revocetur et revocatio sufficienter fuerit manifestata;

7° Ut in registris matrimoniorum expressa fiat mentio delegationis episcopi, vicarii generalis vel parochi; secus validitas illius matrimonii certo non constaret, quamvis tamen existeret.

Quæritur 1° an extraneus sacerdos, parochus, vicarius vicinus, habituatus, cui parochus, iter suscepturus, dicit generaliter : Tibi commendo parochiam meam; fac quidquid occurrerit, sufficienter sit delegatus ad celebranda matrimonia.

R. Solutio hujus quæstionis pendet ab intentione quam in mente habuit parochus generalem conferendo delegationem : id judicandum est ex circumstantiis. Si absentia debuerit esse longa, recte judicatur illum delegare vo-

luisse etiam ad matrimonia; secus, si absentia debuerit esse ad breve tempus. In dubio, matrimonium jam factum non est turbandum; et matrimonium futurum non est sic faciendum, inconsulto episcopo, nisi forte urgeat necessitas.

Quæritur 2° an parochus contra prohibitionem episcopi delegare possit sacerdotem qui nomine ejus matrimonio assistat.

R. Mortaliter peccaret, quia mandatum superioris in re gravi transgrederetur : attamen validum esset matrimonium; id sequitur ex dictis, et ita plurimi et graves docent auctores, cæteris tacentibus.

Quæritur 3° an delegatus alterum sacerdotem subdelegare possit.

R. Non potest, nisi specialem licentiam ad hoc obtinuerit; quia, ex regula apud canonistas recepta et ex jure civili, § *de Officio deleg.*, desumpta, *Delegatus ad causam specialem subdelegare non potest.*

Attamen cum totum a voluntate delegantis pendeat, si ex aliqua circumstantia clare videatur delegationem ad personam designatam non fuisse restrictam, delegatus potest subdelegare; v. g., parochus parochianos suos id petentes, ad extraneum parochum remittit, iste parochus sic delegatus alium committere potest sacerdotem qui matrimonio assistat. Ita Coll. Paris., t. III.

De vicario.

1° Sacerdos qui litteras vicarii pro una parochia ab episcopo accepit, eas parocho exhibuit, et, *eo consentiente*, functiones suas exercere paratus est, alia delegatione non indiget ut matrimoniis parochianorum intra limites parochiæ assistat; vices enim parochi gerit eumque legitime repræsentat.

Diximus 1° *eo consentiente;* quia licet parochus jurisdictionem vicario non conferat, certum est tamen quod illum a celebrando matrimonio removere possit, actum ejus annullando, nisi episcopus specialem ei concesserit delegationem, etiam invito parocho.

Diximus 2° *parochianorum;* non enim ita constat vicarium parochum suum supplere posse si ageretur de matrimonio externorum ad eum cum licentia proprii parochi vel Ordinarii missorum, nisi specialis adsit circumstantia, ut supra.

Diximus 3° *intra limites parochiæ;* delegatio enim vicario concessa, in sensu naturali, locum afficit; non sequitur ergo personas: unde, seclusa speciali parochi vel Ordinarii delegatione, matrimonium coram vicario in aliena parochia celebratum, saltem valde suspectum nobis videretur.

2° Vicarius potest, inconsulto parocho, delegare alium sacerdotem pro speciali matrimonio, saltem in propria parochia celebrando : nam, ex Glossa in legem supra citatam, « qui delegatus est ad universalitatem causarum, » unam alii subdelegare bene potest, » quia quasi-Ordinarius videtur. An posset delegare ad celebrandum matrimonium extra parochiam non ita certum, seclusa speciali concessione parochi. Longe probabilius tamen videtur quod possit; v. g., vir et mulier ad matrimonium parati petunt licentiam matrimonium in vicina parochiali ecclesia ineundi, et proprius parochus est absens; clare videtur vicarium licentiam petitam concedere posse, sicut parochus eam concederet.

Potest similiter testimonium proclamationis bannorum dare, et in eo ipso concedere licentiam matrimonium in domicilio alterius partis celebrandi. Qui autem a vicario commissus est, alium committere non potest.

3° Qui ecclesiis suppressis vel capellis territorium determinatum habentibus deserviunt, quasi-Ordinarii reputantur, ac proinde banna proclamant, matrimoniis assistunt et ad ea delegant. Nihilominus parochi sub quorum ditione sunt illæ capellæ, his matrimoniis pro arbitrio assistere vel ad ea delegare possunt, etiam invito deserviente, illique interdicere ne eisdem assistat, quia iste vere est parochus et alter reipsa est duntaxat vicarius, nisi episcopus aliter statuerit.

Qui autem capellis vicarialibus præsunt et completam

habent administrationem, reputantur, saltem apud nos, vere Ordinarii, sicut illi qui vulgo dicuntur *desservants.*

4° Sacerdotes in ecclesia parochiali habituati, matrimonio valide assistere nequeunt, nisi generalem aut specialem habeant delegationem : generalem aut specialem a parocho, vel specialem ab uno vicariorum.

Quæritur 1° quis matrimoniis in parochiis vacantibus assistere possit.

R. Certum est nullum parochum vicinum, nec *a fortiori* alium sacerdotem, ex jure communi, facultatem habere his matrimoniis assistendi : requiritur ergo sub pœna nullitatis delegatio episcopi aut vicarii generalis.

In hacce diœcesi D. *de Pidoll* sequentem instituit ordinem . in statutis anni 1851 confirmatum.

Si adsit vicarius in parochia, ipse solus, durante vacantia, potest banna proclamare et matrimoniis interesse vel ad ea delegare : si vero ibi non sit vicarius, parochus primarius tenetur aliquem e vicinioribus committere, qui eo ipso fit proprius parochus sub respectu bannorum matrimonii et sepulturarum, adeo ut ipse parochus primarius tales actus exercere non possit, nisi unus sit e vicinioribus et curam hujus parochiæ in se assumpserit. Si parochus designatus habeat vicarium, eo ipso vicarius ea omnia potest in parochia vacante, quæ in parochia cui est annexus.

Si autem parochia primaria fiat vacans, et vicarium non habeat, deserviens ejusdem districtus, antiquior institutione, unum e vicinioribus designare debet, qui curam ejus suscipiat et gerat. Hac ordinatione constituta, nullus alius sacerdos fideles in parochiis vacantibus domicilium habentes matrimonio valide conjungere potest, nisi legitimam delegationem obtineat.

Si parochus primarius aut antiquior institutione, ex negligentia, ignorantia aut mala fide, aliquem, ut ipsi præscriptum est, non designaret, recurrendum esset ad episcopum aut vicarium ejus generalem, et alia non suppeteret via matrimonii valorem assecurandi.

Quæritur 2° quid agendum sit in hypothesi quod, pa-

rocho absente vel in amentiam aut phrenesim lapso, occurrat matrimonium benedicendum, et gravis causa illius celebrationem urgeat.

R. Recurrendum est ad episcopum aut vicarium ejus generalem, et nulla existere potest ratio quæ a tali necessitate eximat. Si parochus subito moreretur cum matrimonium esset benedicendum, parochus primarius haberet jus, non quidem assistendi matrimonio, sed aliquem prout modo diximus, designandi, cui tota competeret facultas id gubernandi.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE PRÆSENTIA TESTIUM.

Concilium Trid. decrevit duos vel tres necessarios fore testes, præter parochum, ut matrimonium valide ineretur, idque sapienter ne parochus deciperetur vel forsan malæ esset fidei, et denique ut clandestinitas tutius tolleretur.

Edicta regia quatuor olim requirebant testes, sed communius docetur duos ad validitatem matrimonii etiam eo tempore requisitos fuisse. In novo Codice quatuor requiruntur, qui debent esse majores, masculini sexus et cives Galli; sed hæ conditiones sunt pro foro civili tantum.

Cum in decreto concilii nihil statuatur circa ætatem, sexum aliasque testium qualitates, sufficit ut adhibeantur personæ usum rationis habentes, quæ testificari valeant sponsos mutuum consensum cum debitis circumstantiis libere sibi præstitisse. Hinc consanguinei, affines, mulieres, pueri ratione præditi et proprii sponsorum liberi, testes esse possunt.

Necesse est ut testes ad matrimonium fuerint vocati, aut saltem de illo contrahendo moneantur; ut moraliter sint præsentes, non successive, sed simul cum parocho, ut advertant quid agatur, illudque, si oporteret, juridice testificari sint capaces. Unde in actu matrimonii inscribi non debent pro testibus nomina personarum quæ celebra-

tioni non adfuerint, quia validitatem hujus conjunctionis canonice testari non possent.

Non tamen necesse est ad validitatem matrimonii ut testes verba sponsorum distincte audiant; eo ipso enim quod videant illos coram sacerdote libere sistentes et totum ritum celebrandi matrimonium sequentes, testificari possunt eos canonice fuisse conjunctos. Ita *Dens*, t. VII.

CAPUT NONUM.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII NULLITER CONTRACTI.

Non raro accidit ut matrimonium nulliter contrahatur, vel propter inhabilitatem partium, vel propter defectum consensus, vel propter omissionem formæ a concilio Trid. præscriptæ. Matrimonium semel nullum diuturnitate temporis convalidari non potest, nisi suppleatur quod validitati ejus defuit. Hinc plures nascuntur quæstiones ad praxim attinentes et maximi momenti: igitur dicemus 1° de agendi ratione confessarii erga eos qui matrimonium nulliter contraxerunt; 2° de revalidatione matrimonii nullius ob inhabilitatem partium; 3° de revalidatione matrimonii nullius ob defectum consensus; 4° de revalidatione matrimonii nullius propter omissionem formæ a conc. Trid. præscriptæ; deinde quintum addemus articulum de dispensationibus *in radice*.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AGENDI RATIONE CONFESSARII ERGA EOS QUI MATRIMONIUM NULLITER CONTRAXERUNT.

Ubi matrimonium nondum est contractum, certum est confessarium teneri admonere pœnitentem de impedimento existente, et absolutionem ei denegare, si advertat eum, absque legitima dispensatione, ad matrimonium nihilominus procedere velle; alioquin nullitati contrac-

tus et profanationi sacramenti aliquo modo consentire videretur. Ita generaliter theologi contra paucos, qui a monitione temperandum esse putant, si ignorantia sit invincibilis et nulla spes boni successus affulgeat, quibus assentimus, supposito quod, omnibus perpensis, res ita sit.

Si vero matrimonium jam sit contractum, caveat confessarius ne conscientiam pœnitentis leviter circa validitatem matrimonii ejus conturbet: primum sedulo perpendat an de nullitate constet, nec ne; in incertitudine, magis inclinandum est ad validitatem quam ad nullitatem : nihil igitur dicendum est, nisi verum existat dubium, et prævideatur partes facile adducendas esse ad supplenda ea quæ defuerunt.

At si impedimentum certo existat, vel adest bona fides circa validitatem matrimonii, vel non : si non adsit bona fides, tunc monendus, increpandus, et a sacramentis repellendus est pœnitens qui matrimonium convalidare non vult, aut a comparte discedere, aut in perfecta continentia vivere. Communiter matrimonium convalidare debet, et necessaria ad hunc finem assequendum præstare tenetur. Si vero in bona fide versetur, vel ex monitione secutura prævidentur incommoda; v. g., peccatum formale ubi erat tantum materiale, impossibilitas consensum alterius obtinendi, periculum ne proles abjiciatur, ne infamia nascatur, ne fiat divortium cum fidelium scandalo et familiæ detrimento, etc., et tunc omittenda est monitio atque pœnitens relinquendus est in bona fide sua : sic communiter theologi et expresse cardinalis *Caprara*, in Instructione circa matrimonia nulliter contracta, episcopis Galliarum die 25 aprilis 1803 data, n. 3; vel nullum ex monitione obventurum est notabile incommodum, et tunc procul dubio facienda est monitio.

Quod si pœnitens exponat se de validitate matrimonii sui dubitare, requirat confessarius quo motivo dubium istud fundetur : si verum ipsi exhibeatur motivum, regulariter aperienda est veritas. Si vero falsum indicetur motivum, dicat dubium ex hac parte non esse fundatum, eumque in bona fide relinquat et cuncta matrimonii jura

ei negative permittat, in hypothesi quod ex monitione gravia sequerentur incommoda, vel nulla spes emendationis affulgeat. *Dens*, t. VII.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII OB INHABILITATEM PARTIUM NULLIUS.

Partes possunt esse inhabiles ad contrahendum vel ob impedimentum publicum, vel ob impedimentum occultum.

Impedimentum quod ex natura sua in foro externo probari potest, ut impedimenta consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis et cognationis spiritualis, semper judicatur publicum. Quod vero ex natura sua probari non potest, ut impedimentum ex copula illicita vel ex crimine proveniens, non reputatur publicum, nisi saltem quinque, sex aut pluribus personis innotescat : id sequitur ex dictis.

Si autem matrimonium sit nullum ob aliquod impedimentum publicum, perinde celebrandum est ac si nullo modo celebratum fuisset, scilicet, coram parocho et testibus, prius obtenta dispensatione impedimenti, nisi impedimentum per tempus desierit, v. g., defectus ætatis, ligamen; alioquin validitas ejus probari non posset et finis a concilio Tridentino intentus non obtineretur, ut patet. Aliquando tamen necesse est ut secreto iterum celebretur, si impedimentum sit ignotum.

Si vero matrimonium sit nullum propter impedimentum occultum, multo major est difficultas. 1° Cum validitas ejus in foro externo constet, necesse non est illud in forma concil. Trid. iterare. 2° Auferendum est impedimentum per legitimam dispensationem. Si ergo tale sit impedimentum ut ab illo non dispensetur, tunc separandi sunt sponsi saltem quoad torum, et alia ipsis non suppetit via salutis. 3° Sublato impedimento, procedendum est ad revalidationem matrimonii : vel autem impedimentum utrique contrahenti notum est, vel uni tantum : si utrique notum sit, uterque consensum secreto renovare debet, in

statu gratiæ, propter sacramentum, et tutius est inducere sacerdotem qui nuptialem conferat benedictionem.

Si impedimentum uni tantum e contrahentibus notum sit, vel alteri sine gravi incommodo manifestari potest, vel non : in priori casu manifestandum est, ut mutuus renovetur consensus : *ita omnes*. At in posteriori casu, scinduntur theologi; quidam enim dicunt necessarium non esse alteram partem de nullitate prioris matrimonii consciam reddere, et satis esse ut pars impedimenti conscia, eligens momentum, quantum fieri potest, in quo ipsa et alter conjux in statu gratiæ sint constituti, iterum in matrimonium positive consentiat, quia consensus alterius semper moraliter perseverat. Vide *Sanchez*, disp. 36, n. 2; *Dens*, etc.

Alii vero communius requirunt ut altera pars de nullitate prioris consensus moneatur, tacita nullitatis causa; nam 1° dici non potest consensum moraliter perseverare, quia, ut actus mentis, est transitorius et diu non subsistit; 2° consensus sufficienter renovari non potest, ignota nullitate, quia ex errore proveniret; 3° quia in rescriptis S. Pœnitentiariæ hæc clausula addi solet : *Muliere de nullitate prioris matrimonii certiorata* (vel *viro certiorato*), *sed ita caute, ut latoris delictum nunquam cognoscatur;* 4° quia ita sentiunt graviores theologi et canonistæ inter quos Bened. XIV, Inst. 87, n. 59 et seq., et præsertim 71.

Fatendum tamen duas primas rationes hujus sententiæ firmas non esse; in priori enim sententia, dicitur consensum semel datum semper perseverare donec retractetur, quod evidenter summi Pontifices admittunt ut verum, concedendo dispensationes *in radice*. Defensores autem posterioris sententiæ, primam et secundam rationem allegando, quæstionem probandam manifeste supponunt : unde si S. Pœnitentiaria clausulam omitteret, vel ab illa dispensaret, monitio ex gravi necessitate licite omitti posset.

Culmen difficultatis est invenire methodum alteram partem de nullitate matrimonii certiorandi, sine periculo

delictum latoris manifestandi. Bened, XIV in citata Inst., n. 71 et seq., quatuor exponit modos, scilicet :

1° Conscius impedimenti fingat se ignarum, deinde ostendat se suspicari ne, ob aliquam causam, matrimonium rite non fuerit celebratum, ideoque tutius esse mutuum consensum ultro præstare, ut in posterum ab omni sollicitudine animi liberentur.

2° Qui impedimentum cognoscit, testimonium novi amoris ab altero conjuge eliciat, et fateatur se paratissimum eodem testimonio se astringere, si adhuc in libertate versaretur : tunc novum consensum mutuo exprimant, et omnia in tuto collocantur.

3° Impedimenti conscius declaret se primum matrimonio rite non consensisse, atque ideo, judicio confessarii, oportere ut, causa internæ tranquillitatis, ambo consensum renovent ; ostendat se libenter hoc facturum : si alter eamdem voluntatem manifestet, satis erit ut novus intelligatur adesse consensus.

4° Si, ob gravissimas difficultates, nullus alius modus suppetat, tunc impedimenti conscius accedat ad conjugem inscium impedimenti, et cum eo habeat copulam affectu conjugali : conjuge impedimentum ignorante, eodem amore permoto, et se devinctum putante, eo ipso consensus utriusque realis et præsens adesse censetur.

Verum Marcus Paulus Leo, celebris canonista, apud eumdem Pontificem, ibi duos priores modos prorsus insufficientes affirmat, quia conjux impedimenti nescius in sua relinquitur ignorantia : igitur consensum vere non renovat.

Ipse Bened. XIV quartam rationem condemnat, propter insufficientiam, et quia peteretur copula vel ei assentiretur ante validitatem matrimonii, cum nullitatis conscientia, quod intrinsece malum est. Concludit modum in tertio loco positum solum esse admittendum, ut pote clausulæ a S. Pœnitentiaria appositæ unice congruentem ; in ea hypothesi, conjux ignorans de nullitate matrimonii certioratur, et tamen delictum alterius non innotescit, nec ullum admittitur mendacium.

Nihilominus notat illustris Pontifex tres modos a se rejectos plurimorum scriptorum auctoritatibus corroborari, nec condemnat confessarios qui in gravissimis difficultatibus unum ex illis adhiberi præscribunt; sed consulit dispensationem *in radice,* de qua infra, sollicitare, vel ad majorem Pœnitentiarium aut ad episcopum recurrere.

Nos vero, inter tot difficultates, arbitramur pœnitentem communiter relinquendum esse in bona fide, vel petendam esse exemptionem a clausula sacræ Pœnitentiariæ, vel dispensationem *in radice.* Attamen tertius modus nonnunquam adhiberi potest, et in casibus desperatis, ut ita dicam, obtenta dispensatione a majori Pœnitentiario, vel ab episcopo. Quartum indicamus modum ut solum possibilem, licet insufficientem in se : saltem ea ratione pœnitens in bona fide constituitur. Eum approbant Navarrus, *d'Argentré,* etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII OB DEFECTUM CONSENSUS NULLITER CONTRACTI.

Vel consensus ex utraque parte defuit, vel ex una parte tantum. Si prius, utraque pars consensum renovare tenetur. Præsentia parochi et testium minime necessaria est nisi forte defectus consensus evaserit publicus ; curandum est tamen, pro securitate sacramenti, ut adsit sacerdos qui renovationem consensus suscipiat, et benedictionem nuptialem impertiat.

Si posterius, id est, si consensus ex parte unius conjugis duntaxat defuerit, v. g., quia ille ficte, vel ex errore aut metu consensit, multi dicunt sufficere ut de novo vere et libere consentiat, altero de nullitate prioris consensus non monito; sed plures id negant, propter rationem superius expositam, videlicet, quia falsum est consensum alterius moraliter perseverare. Unde saltem tutius est utramque partem consensum renovare, atque ita respondisse Clementem VIII, in casu matrimonii ex metu contracti, refert Bened. XIV, Inst. 87, n. 69, 70 et 71.

Si autem pars altera de nullitate matrimonii, ob gravissimas causas, certiorari non posset, sufficeret, propter rationem expositam, p. 419, ut pars nullitatis conscia consensum renovaret : sed extra necessitatem sic agere non liceret, tum ne altera pars consensum retractasset, tum quia hic modus consensum renovandi a pluribus judicatur insufficiens.

ARTICULUS QUARTUS.

DE REDINTEGRATIONE MATRIMONII PROPTER OMISSIONEM FORMÆ A CONC. TRID. PRÆSCRIPTÆ NULLIUS.

Omissio hujusmodi formæ, seu defectus præsentiæ parochi aut alterius sacerdotis legitime delegati et testium, non semper reddit matrimonium nullum nec illicitum, ut constat ex dictis de matrimoniis infidelium, hæreticorum, vel catholicorum, ubi decretum conc. Trid. non fuit promulgatum, vel difficilis aut periculosus est recursus ad proprium sacerdotem catholicum.

Matrimonia infidelium ad fidem conversorum non benedicuntur : tutius est, saltem in Gallia, matrimonia hæreticorum iterare, propter rationes quas exposuimus, p. 397.

Quoad matrimonia inter catholicos, tempore perturbationis Gallicanæ, sine præsentia sacerdotis valide contracta, Pius VI statuit hortandos esse duntaxat sponsos ut, habita copia sacerdotis catholici, benedictionem nuptialem susciperent. Card. *Caprara,* legatus a latere, sic habet in Instructione anni 1803, n. 1 : « Moneantur sic » contrahentes de hujusmodi matrimonii validitate, et » tantummodo hortentur ut benedictionem nuptialem a » proprio parocho recipiant. » Eadem sequenda sunt principia ubi de matrimoniis alibi similiter contractis agitur.

At si propter omissionem præsentiæ parochi matrimonium sit nullum, ut sunt matrimonia inter nos a restitutione rerum, civiliter tantum contracta, quid agendum est ut convalidentur?

R. Si ambo sponsi recte sint dispositi, nulla est diffi-

cultas; matrimonium ante faciem Ecclesiæ, juxta morem consuetum, de novo celebrari debet. Si vero ferre nequeant banna sua proclamari et matrimonium publice celebrari, facile obtinetur ab episcopo dispensatio super bannorum proclamationibus, et licentia matrimonium valde mane vel alia hora in ecclesia aut extra ecclesiam celebrandi, modo duo adsint testes, et provideatur ut hæc celebratio ad tollendum scandalum innotescat.

Sponsi ita civiliter coadunati, a communi habitatione separari debent, saltem per aliquod tempus, ut dolendo de peccatis suis ad suscipiendum matrimonii sacramentum se accingant : verum id sæpe obtineri nequit; idcirco omnia relinquuntur prudentiæ confessarii, qui, rationibus hinc et inde perpensis, judicat quid possibile, quid suadendum et quid præcipiendum sit. Aliquando solam abstinentiam ab omnibus venereis per aliquot dies exigit, si cor sponsorum videat contritum, et separationem obtinere nequeat.

Si unus tantum recte sit dispositus, nihilominus matrimonium in ipsius gratiam celebratur, et profanatio sacramenti respectu alterius permittitur.

Imo si male dispositus in matrimonium ante faciem Ecclesiæ consentiat, ea lege ut ad confessionem sacramentalem non cogatur, etiamsi se incredulum palam ostenderet, adhuc matrimonium celebrandum esset propter alterius conjugis salutem, filiorum legitimitatem et scandali cessationem.

Ulterius cardinalis *Caprara* progreditur, in Instructione citata, n. 8 et seq., et dicit satagendum esse ut sponsus, matrimonium suum in facie Ecclesiæ convalidare renuens, « specialem procuratorem constituat, qui ejus » nomine matrimonium contrahat de more; aut sal- » tem, expresso consensu de præsenti per epistolam di- » rectam proprio parocho, vel alteri sacerdoti, Ordinarii » aut parochi licentiam habenti, matrimonium reno- » vetur. »

Hic modus matrimonium clandestinum convalidandi primo aspectu videtur singularis; est tamen doctrinæ

Ecclesiæ, circa validitatem matrimonii per procuratorem celebrati, consentaneus.

Si autem una pars ad celebrationem matrimonii per media hactenus indicata faciendam nullo modo adduci queat, ad convalidationem per dispensationem *in radice* deveniendum est, quia in illa lege concedi non solet simplex dispensatio, vi cujus sponsi consensum inter se privatim renovare possent.

ARTICULUS QUINTUS.

DE CONVALIDATIONE MATRIMONII PER DISPENSATIONEM IN RADICE.

Dispensatio *in radice*, qualem hic consideramus, quæ etiam dicitur sanatio matrimonii *in radice*, in eo consistit ut instanti quo tollitur impedimentum, matrimonium sine novo consensu fiat validum, vi dispensationis et prioris consensus perseverantis. Nam sciendum est impedimentum duplici modo matrimonium dissolvere posse, scilicet modo resolutorio et modo suspensivo. Si impedimentum modo resolutorio matrimonium dissolveret, consensus prorsus esset destructus et absque renovatione nullum haberet effectum. Si vero impedimentum modo suspensivo matrimonium solvat, ut probabilius nunc æstimatur, tunc habendum est velut obex inter consensum utriusque sponsi, ferme sicut lignum inter adamantem et ferrum : tollatur lignum, statim ferrum et adamas sibi adhærebunt. Similiter tollatur obex inter consensum utriusque sponsi existens, et sanetur consensus coram Ecclesia vitiatus, eo ipso perficitur matrimonium perinde ac si nullum non fuisset in principio. Talis dispensatio dicitur *in radice*, quia ad ipsum matrimonii initium ascendit. Non quidem efficit ut matrimonium nulliter non fuerit contractum, sed consensum ratione impedimenti prius vitiatum sanat, et effectus nullitatis de medio tollit, ait Bened. XIV, de Synodo diœces., lib. 13, c. 21, n. 7.

Hæc dispensatio duo importat, scilicet 1° impedimenti

relaxationem, et 2° prioris consensus sanationem, id est, Ecclesia quæ consensum impedimento vitiatum non acceperat, illum adhuc perseverantem et dispensatione sanatum accipit. Cum autem timendum sit ne consensus interne fuerit revocatus, vel ne sponsi aut unus sponsorum in statu peccati mortalis constituatur, dum sacramentum confertur, hinc fit non nisi in gravissimis casibus, et *urgente magna causa,* ait Bened. XIV, decreto diei 27 septembris 1755, n. 7, et *Billuart,* ad eam recurrendum esse.

Quæritur 1° an tales dispensationes concedi possint.

R. 1° Veteres auctores minime de iis loquuntur.

2° *Sanchez,* plures citans auctores, fuse loquitur, l. 8, disp. 7, de dispensationibus *in radice* ad legitimandam prolem antea susceptam : tales dispensationes de medio tollunt defectus ex impedimento provenientes, efficiuntque ut proles eodem modo habeantur ac si matrimonium ab initio fuisset validum : sed ille auctor contendit matrimonium ipsum non convalidari, nisi consensus post dispensationem renovetur.

3° Bened. XIV, de hujus generis dispensationibus tractans, quæst. canonica 174, dicit communem canonistarum sententiam esse illam legitimare prolem directe quoad effectus spirituales et indirecte quoad effectus civiles, atque etiam post mortem alterutrius ex conjugibus concedi posse : non igitur de revalidatione ipsius matrimonii agit.

4° Verum in Inst. 87, n. 80, affirmat summum Pontificem a renovando consensu dispensare posse, si velit, citatque hujusmodi dispensationem a Clemente XII anno 1705 concessam : ipse aliam similem concessit decreto jam superius citato, diei 27 septembris 1755, in quo hæc habentur : « Quæ (dispensatio) a Romanis pontifici- » bus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando » agitur de impedimento matrimonii ortum habente, non » a jure divino aut naturali, sed a jure ecclesiastico. »

5° Eamdem sententiam tuentur S. Ligorius, et plures theologi apud ipsum, l. 6, n. 1115.

6° Cardinalis *Caprara*, in Instructione jam citata, tradit, tertia parte, regulas pro convalidandis matrimoniis per dispensationem *in radice*, deinde archiepiscopis et episcopis Galliæ concedit facultatem ad annum duraturam « dispensandi *in radice* matrimonii, perinde ac si » contrahentes, qui ad matrimonium ineundum inha- » biles fuerant et consensum illegitime præstiterunt, ab » initio habiles fuissent et legitime consensum præsti- » tissent. »

Pius VII et Pontifices maximi, ejus successores, usque nunc episcopis Cenomanensibus indulserunt eamdem facultatem vel ad annum, vel pro casibus numero determinatis; constat ergo auctoritate summorum Pontificum et theologorum ac praxi Ecclesiæ matrimonia nulliter contracta, per dispensationem *in radice* convalidari posse.

Idem constat ratione. Probabilius est et ipsa agendi ratio Ecclesiæ ostendit consensum impedimento vitiatum, esse duntaxat suspensum, atque moraliter perseverare : hoc posito, si impedimentum tollatur et consensus vitiatus sanetur, matrimonium vi prioris consensus fit validum : porro certum est Ecclesiam habere potestatem ab impedimento juris ecclesiastici dispensandi et consensum impedimento vitiatum, coram seipsa sanandi eumque acceptandi. Ergo.

Quæritur 2° an episcopi dispensare possint *in radice*.

R. 1°. Qui virtute Pontificalis indulti dispensant, certe *in radice* matrimonii dispensare nequeunt, nisi indultum talem facultatem ipsis conferat; quia, cum in eo casu sint delegati, nihil ultra delegationem facere possunt.

R. 2°. Si, ratione circumstantiarum, propria auctoritate dispensent, æstimat *Baston, Concordance*, p. 229, eos etiam *in radice*, magna urgente causa, dispensare posse. Sed Bened. XIV, Const. *Etsi matrimonialis*, diei 27 sept. 1755, ait expresse solius esse Romani pontificis *non solum dispensationes* in radice *matrimonii indulgere, sed etiam conditiones statuere pro validitate gratiæ implendas.*

Quæritur 3° quænam necessariæ sint conditiones ut

ope dispensationis *in radice*, convalidetur matrimonium nulliter contractum.

R. Plurimæ conditiones necessariæ sunt : 1° species externa matrimonii, ut ait Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 21, n. 7, et card. *Caprara*, in Instr.; quod supponit priorem consensum fuisse verum et serio datum. Unde conjunctio manifeste fornicaria per dispensationem *in radice* legitimari non posset. Attamen licet matrimonium civiliter contractum sit coram Deo verus concubinatus, non reputatur conjunctio manifeste fornicaria, et per dispensationem *in radice* convalidari potest, quando contrahentes bona fide crediderunt valere in conscientia; secus, non potest. Si unus tantum fuerit malæ fidei, matrimonium absolute convalidari poterit per dispensationem *in radice*, accedente novo hujus consensu.

2° Ut impedimentum sit tantum juris ecclesiastici, siquidem Ecclesia in jure divino et naturali non dispensat, nec obices tollit effectibus civilibus obstantes.

3° Ut magna urgeat necessitas, et renovatio consensus obtineri nequeat. Attamen dispensatio hujusmodi, absque tali necessitate, data a summo Pontifice re bene cognita, nihilominus valeret; non item si daretur ab episcopo vi indulti, quia episcopus non propria, sed delegata utitur potestate.

4° «Ut per indubias duorum saltem testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exaratum, aut per ejusdem assertionem etiam ore tenus factam, sive Ordinario, sive alteri personæ specialiter deputatæ et in scriptis redigendam, constiterit non solum renuentem in consensu de præsenti permanere, sed etiam hujusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manere, ut nihil unquam ex ea deduci aut præsumi possit contra ipsius actualis consensus permanentiam.» Sunt verba Cardinalis Legati, Instruct. n. 13.

Si rescriptum particulare dispensationis vel indultum concessum episcopo ad dispensandum, hujusmodi cautiones formaliter præscribat, procul dubio servandæ sunt, et probabilius sub pœna nullitatis.

Si autem nihil specialiter fuerit præscriptum, cautiones prædictæ plus minusve erunt servandæ, habita ratione circumstantiarum. Ad validitatem dispensationis satis erit consensum olim datum perseverare : censetur vero perseverare quoties nihil demonstrat illum fuisse revocatum.

Summa hæc cautio necessaria non esset si impedimentum ab altero contrahente ignoraretur, eique manifestari non posset; sufficeret ut prudenter judicaretur illum in matrimonio putativo perseverare, et de revocando priori consensu non cogitare.

5° Si nullitas matrimonii sit occulta, ad vitanda scandala, sanatio *in radice* facienda est secreto : si vero nullitas sit publica, sanatio perficienda est notorie, aut si qua ex causa fiat occulte, divulganda est prout spiritus sapientiæ suggesserit, ut scandalum publicum vitetur : ita adhuc card. *Caprara*, ibid.

6° Qui facultatem dispensandi *in radice* obtinuit, satagere debet ut sponsi in statu gratiæ constituantur eo tempore quo dispensationem applicabit, et, si possit, benedictionem nuptialem impertiet, etiamsi unus tantum adsit, quia hoc ipsomet instanti matrimonium perficitur. Qui ignarus est impedimenti, consensum renovare tenetur. Quod si renuat, nihilominus valebit dispensatio, modo consensus in initio datus non fuerit revocatus.

Si, utroque ignorante, dispensatio *in radice* eis etiam insciis applicetur, probabile est matrimonium statim convalidari, quia obex inter duos consensus existens tollitur, et vitium consensus per sanationem aufertur.

Quoties nullitas est nota vel nosci potest in foro externo, sanatio *in radice* exprimi debet vel in registro parochiali, si prudentia permittat, vel in registro secretariatus episcopalis, vel saltem in speciali scripto, quod remittitur sponsis vel sponso qui solus nullitatem novit.

Facultas revalidandi matrimonium *in radice* a majori Pœnitentiario, in una e formis supra expositis, sollicitanda est.

Quamvis omnia matrimonia, ex impedimentis mere

ecclesiasticis nulla, sanari possint per dispensationes *in radice*, advertendum tamen facultates a Sancta Sede episcopis concessas, semper esse limitatas non solum quoad numerum, sed etiam quoad speciem casuum, v. g., pro casibus affinitatis illicitæ et occultæ. Ideo rescriptis sedulo est attendendum.

FINIS TRACTATUS DE MATRIMONIO.

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS.

Actus humani illi sunt qui ex voluntate deliberata procedunt, et regulis morum subjiciuntur. Essentialiter ergo differunt ab actibus involuntariis, vel indeliberatis, qui sunt quidem in homine vel ab homine, sed humani dici nequeunt et regulis morum non diriguntur, appellanturque *actus hominis*. De solis actibus humanis hic nobis disserendum est, et dicemus 1° de eorum principiis, 2° de eorum fine, et 3° de eorum moralitate.

CAPUT PRIMUM.

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM.

Nomine principiorum actuum humanorum ea intelliguntur quæ ad illos efformandos concurrunt, et tria communiter numerantur, scilicet intellectus, voluntas et libertas. Intellectus, relative ad actus humanos, nihil aliud est quam conscientia, de qua in speciali Tractatu infra dicemus. Restat igitur ut de voluntate et libertate, seu de voluntario et libero tractemus, quod in unico absolvemus articulo.

ARTICULUS UNICUS.

DE VOLUNTARIO ET LIBERO.

Voluntarium, a voluntate sic dictum, communiter definitur : Quod est a principio intrinseco cum cognitione

finis. Unde differt a violento, quod fit a principio extrinseco, et a motibus primo primis vel indeliberatis, qui rationis advertentiam præcedunt, et fiunt sine cognitione finis, ut sunt actus voluntatis infantium, plene amentium, ebriorum, dormientium, etc.

Multipliciter dividitur, scilicet 1° in voluntarium perfectum et voluntarium imperfectum. Voluntarium perfectum est illud quod fit cum pleno consensu et ex plena cognitione finis; imperfectum vero illud est quod ex semiplena deliberatione et ex imperfecta cognitione finis procedit. Hinc actus semidormientium, semiadvertentium sunt imperfecte voluntarii.

2° In voluntarium simpliciter, quod nullam involvit voluntatis repugnantiam; et in voluntarium secundum quid, quod fit cum aliqua voluntatis repugnantia : talis est actus mercatoris qui, timore naufragii pulsus, merces suas in mare projicit.

3° In voluntarium in se, quando res expresse intenditur; et in voluntarium in causa, quando scilicet actus in se non intenditur, sed includitur in causa quæ voluntarie ponitur.

4° In voluntarium directum seu positivum, quod idem est ac voluntarium in se, et in voluntarium indirectum seu negativum, quod in eo consistit ut agens ponat causam duos effectus habituram, unum intendens, et alterum solummodo permittens : v. g., dux exercitus urbem obsidet, hostes debellare volens, et innocentes occidit; horum mortem vult tantum indirecte, seu negative.

5° In voluntarium necessarium et in voluntarium liberum : voluntarium necessarium illud est quod fit secundum voluntatis inclinationem, sed inevitabiliter : talis est amor sanctorum erga Deum in cœlis. Voluntarium liberum requirit insuper deliberationem. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non vice versa : sic felicitatem nostram in genere voluntarie quærimus, non vero libere.

Distinguuntur etiam actus eliciti et actus imperati, actus commissionis et actus omissionis.

Actus elicitus est ipsa voluntatis determinatio quam his exprimimus verbis : *Volo, assentior*, etc. Actus imperatus ille est qui voluntatis imperio aut assensus ope alia hominis facultate exercetur, ut locutio, deambulatio. In actu commissionis, voluntas in opus peragendum fertur ; in actu vero omissionis, voluntas suas facultates retinet inertes circa opus positivum.

At, cum ex ipsamet definitione nostra ratione evidenter fundata et ab omnibus admissa, actus humani ex voluntate deliberata procedant, agemus tantum de voluntario libero et dicemus 1° de libertate ad actus humanos in homine requisita, 2° de causis voluntarium tollentibus aut minuentibus, 3° de voluntario indirecto.

§ I. — De libertate ad actus humanos in homine requisita.

Libertas in genere est immunitas a vinculo : duplex autem distinguitur vinculum, coactionis scilicet, et necessitatis. Coactio est vis externa contra voluntatis inclinationem illata, ut si quis nolens detrudatur in carcerem. Libertas a coactione est immunitas ab hujusmodi violentia.

Necessitas est ineluctabilis determinatio ad unum, juxta voluntatis inclinationem. Libertas a necessitate est immunitas ab hujusmodi determinatione, et supponit facultatem eligendi. Duplex est : una contradictionis, quæ est potestas agendi vel non agendi, v. g., Deum amandi vel non amandi ; et altera contrarietatis, quæ est facultas hoc vel illud faciendi, bonum vel malum. Libertas a qualibet necessitate dicitur etiam libertas *indifferentiæ*, libertas *electionis*, libertas *arbitrii*, aut *liberum arbitrium*.

Homines perpetua necessitate obstrictos esse docuerunt 1° Stoici, omnia ineluctabili fato subjicientes ; 2° Manichæi, absurdam duorum principiorum doctrinam tenentes ; 3° astrologi judiciarii, determinationes nostras ab influxu siderum pendere somniantes ; 4° Wicleffistæ, Lutherani, Calvinistæ aliique hæretici, docentes hominem peccando liberum arbitrium amisisse, et, seclusa gratia,

necessario peccare, ac, habita gratia, bonum necessario agere; 5° Baius, Jansenius et eorum asseclæ, contendentes libertatis essentiam duo tantum importare, videlicet, rationis advertentiam et voluntatis consensum : unde concludebant, ad merendum aut demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Eorum systema in Tractatu *de Gratia* exposuimus.

Prætermittimus physiologistas, materialistas, de quibus in *Metaphysica* diximus.

Directe nobis confutandi sunt errores Protestantium aliorumque hæreticorum, qui, fatentes nobiscum primum hominem in libertate indifferentiæ et contrarietatis fuisse conditum, volunt ejus posteros ab eo statu propter peccatum decidisse. Nobis igitur probandum est 1° libertatem indifferentiæ in statu naturæ lapsæ adhuc existere, et 2° hanc libertatem ad merendum aut demerendum necessariam esse.

PROPOSITIO PRIMA.

In statu naturæ lapsæ libertas indifferentiæ adhuc existit.

Prob. Hæc propositio est de fide, et insuper probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis et ratione.

1° *Est de fide ;* clare enim definita fuit in concilio Tridentino, sess. 6, can. 5 : « Si quis liberum hominis arbi- » trium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse » dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine » re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; » anathema sit. » Et can. 6 : « Si quis dixerit non esse in » potestate hominis vias suas malas facere... anathema » sit. » Ergo 1°.

2° *Probatur Scriptura sacra.* Eccli. xv, 14 : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præceptu sua; si volueris mandata servare, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.*

Jerem. xxi, 8 : *Hæc dicit Dominus : Ecce ego do coram*

vobis viam vitæ et viam mortis. Certe libertas a necessitate clarius exprimi non poterat. Alii textus pariter clari citari possent, ut Deuter. xxx, 19; Jos. xxiv, 15; I Cor. vii, 37, etc. Ergo 2°.

3° *SS. Patrum testimoniis.* Solus sufficit S. Aug., cujus auctoritate præcipue nituntur adversarii. Liberi arbitrii existentiam probat ex professo in libro cui titulus : *De Gratia et libero Arbitrio.* Illum incipiens, ait quosdam liberum arbitrium ita prædicare, ut gratiam Dei negent; alios vero gratiam sic defendere, ut liberum arbitrium tollant, vel tolli existiment, quando gratia defenditur : utrumque secum conciliare nititur.

Cap. 2 hæc habet : « Divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perveniret. »

Contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium, lib. 1, cap. 2, n. 5, Pelagianorum calumniam indignanter rejiciens, sic se exprimit : « Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam propter quod natura humana divina indiget gratia. » Ergo 3°.

4° *Ratione.* 1° Si homo a qualibet necessitate liber non esset, frustra ei darentur præcepta et consilia, adhiberentur hortationes, proponerentur præmia, decernerentur pœnæ, etc., *ut patet.* 2° Hominem in præsenti rerum statu esse liberum probatur in Metaphysica, sensu intimo, consensu populorum, absurdis fatalismi consectariis et argumento ad hominem. 3° Seclusa libertate a necessitate, omnes scelerati homines excusarentur, cum semper dicere possent se non fuisse liberos. Unde Jansenistæ magnam severitatem morum affectantes, principium ordinis moralis subversivum posuerunt, ut ostendit auctor anonymus libri cui titulus : *Justification de Cartouche d'après les principes de Jansénius.* Ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Ille non est liber cujus non est vias et gressus suos dirigere : atqui, ex Jer. x, 23, *Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Ergo.

R. Dist. maj. Ille non est liber cujus non est via etiam quoad electionem et propositum, *conc.;* quoad exsecutionem *nego maj.* Certum est enim humanæ libertatis essentiam solam voluntatis electionem supponere, non vero facultatem opus externum propriis viribus exsequendi; et etiam non excludere gratiam sine qua præveniente homo nihil boni in ordine supernaturali agere potest; at sensus verborum Jeremiæ non est hominem libertate carere, sed in omnibus auxilio divino indigere; in Tractatu autem *de Gratia* veram libertatem cum necessitate gratiæ admittendam esse probavimus. Ergo.

Inst. 1°. Qui facit quod non vult et non facit quod vult, suam non habet viam etiam quoad electionem : at homo, in præsenti statu, facit quod non vult, et non facit quod vult, juxta hæc B. Pauli verba, Rom. VII, 19 : *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, hoc ago.* Ergo.

R. Dist. min. Facit quod non vult, etc., quoad motus indeliberatos, *conc.;* quoad motus deliberatos, *nego min.*, et dico verba Apostoli alio sensu intelligi non posse, ut omnes fatentur interpretes : ibi agitur de concupiscentiæ motibus qui, etiam invita voluntate, in parte animali nascuntur, et non impediunt quin homo in actibus voluntatis sit liber : quod ipse B. Paulus sic explicat ib. VII, 20 : *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* id est concupiscentia in me existens, quæ peccati originalis est effectus, et ideo vocatur peccatum. Aliunde repugnat voluntatem interna necessitate determinari, et facere quod non vult. Ergo.

Inst. 2°. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* addit Apost. ibid. IX, 16 : ergo reipsa homo propria electione consentire non potest.

R. Nego conseq. Apostolus enim de altissimo et inscrutabili prædestinationis mysterio tractans, ostendere sibi proponit hominem propriis viribus derelictum, nihil posse in ordine salutis, omnia Deo tribuenda esse : verum hæc doctrina humanam libertatem non tollit, ut in Tractatu *de Gratia* probatur : ergo.

Obj. 2° S. Aug. Enchirid. cap. 30 : « Libero arbitrio » male utens homo, et se perdidit et ipsum. » Ergo.

R. Dist. textum S. Doctoris : Et se perdidit et ipsum, id est, justitiam amisit et eam propriis viribus recuperare non potest, *conc.;* penitus exstinctum est liberum arbitrium, *nego.* Hunc esse sensum verborum nobis objectorum patet, 1° ex scopo S. Augustini hic refellentis Pelagianos qui, peccati originalis existentiam negantes, contendebant hominem in statu præsenti esse integrum, et gratiam ipsi necessariam non esse ; 2° ex contextu ; probat enim S. Doctor hominem lapsum veram libertatem juste vivendi sola gratia obtinere posse. « Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus nos fingit, id est, format » et creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni » homines simus, quod nunc gratia sua facit, cap. 31 ; » 3° ex comparatione qua utitur : eodem modo periit liberum arbitrium quo et ipsi periimus atqui non periimus substantialiter : ergo nec liberum arbitrium ; 4° ex verbis ejusdem Doctoris jam citatis, p. 435, et ex aliis multis in quibus liberi arbitrii existentiam manifeste agnoscit. Ergo.

Inst. Idem S. Aug. ait, lib. de Perfectione justitiæ, cap. 4 : « Quia vero peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas. » Ergo reipsa docuit, etc.

R. Nego conseq. Nam necessitas de qua loquitur S. Augustinus est tantum moralis et peccati originalis effectus ; id est, difficile est hominem peccato vitiatum singula peccata vitare, vel omnino impossibile est eum omnia collective peccata etiam venialia vitare, quamvis nullum sit in particulari quod vitare non possit : porro talis necessitas, quam omnes catholici gementes agnoscunt, non

officit libertati quæ circa particularia versatur, non vero circa omnia collective, nec voluntatis immutabilitatem importat. Unde S. Doctor, Oper. imperf. lib. 1, cap. 106: « Non est igitur impunitatis securitas in necessitate pec- » candi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui » dicitur : *De necessitatibus meis erue me.* » Ergo.

Hic famosus objici solet textus ejusdem S. Aug. : *Quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est;* sed genuinum illius sensum in Tractatu *de Gratia* jam exposuimus. Objecta vero ex ratione petita solvuntur in *Metaphysica.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Ad merendum aut demerendum, in statu naturæ lapsæ, non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a qualibet necessitate etiam variabili, ad sensum Jansenii.

Nota. Hic dicitur *in statu naturæ lapsæ :* non quod libertas a necessitate non sit de essentia meriti in alio perfectiori statu, sed e contra, ut Jansenius præcise refellatur.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum auctoritate et ratione.

1° *Est de fide.* Tertia enim Jansenii Propositio : « Ad » merendum et demerendum, in statu naturæ lapsæ, non » requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit » libertas a coactione, » damnata est velut hæretica ab Innocentio X et Alexandro VII; contradictoria igitur est de fide : porro est nostra : ergo 1°.

2° *Probatur Scriptura sacra.* Eccli. XXXI, 1 : *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Unde sic : Id ad merendum et demerendum requiritur, ex quo meritum repetit Scriptura : at Scriptura repetit meritum ex libertate indifferentiæ : ergo 2°.

3° *SS. Patrum auctoritate.* S. Justinus. Apologia, n. 43: « Non enim remuneratione aut laude dignus foret (homo), » si ex se ipso bonum non eligeret. »

S. Aug. de libero Arbitrio, lib. 3, cap. 18 : « An tanta

» fallacia est ut caveri omnino non possit? Si ita est, » nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo quod nullo » modo caveri potest? Peccatur autem : caveri igitur po- » test. » Ergo 3°.

4° *Ratione.* Meritum et demeritum supponunt facultatem eligendi; nam, ut ait S. Th., de Veritate, q. 29, art. 6 : « Per actum proprium quis mereri non potest, » nisi sit dominus sui actus : sic enim suum actum quasi » pretium pro præmio dare potest. Est autem quis domi- » nus sui actus per liberum arbitrium. » Ergo 4°, etc.

Non tamen ad merendum essentialiter requiritur libertas contrarietatis, sufficit vero libertas contradictionis : nam 1° Christus libertatem contrarietatis non habebat, et tamen meruit; 2° B. Maria et sancti Apostoli, in gratia confirmati, nihilominus meruerunt; 3° actus qui ita ponitur, ut omitti posset, regulis morum vere subjicitur : ergo meritorius esse potest. Ergo.

Hinc 1° potestas peccandi non est de essentia libertatis, *ut patet :* pertinet tamen ad libertatem hominis viatoris; utrumque sic exprimit S. Th., de Veritate, q. 24, art. 3, ad 2 : « Posse peccare non est de natura liberi arbitrii, » sed consequitur liberum arbitrium secundum quod est » in natura creata. »

Hinc 2° ad merendum aut demerendum solum non sufficeret spontaneum, sed insuper requiritur voluntatis electio. Unde Patres et doctores, et præsertim S. Thomas, qui variis in locis solum requirere videntur voluntarium, de voluntario libero intelligendi sunt, ut constat tum ex modo dictis, tum ex aliis eorum textibus, tum ex constanti traditione.

Itaque confundi non debent libertas exsecutionis cum libero arbitrio, nec ordo naturalis cum ordine supernaturali, nec libertas ante lapsum hominis, cum libertate post lapsum hominis, nec quædam necessitas moralis, vaga, indeterminata, cum necessitate proprie dicta, specificata et præmotione physica, pro tali casu ineluctabili, nec motio Dei universalis cum auxilio peculiarem actum voluntatis determinante.

Ut facilius solvantur difficultates ex variis Patrum textibus depromptæ, advertendum est SS. Patres 1° voluntarium et spontaneum pro *libero* usurpasse, quia voluntatem non considerabant nisi cum deliberatione agentem ; 2° voluntatem et libertatem vicissim, propter eamdem rationem, sumpsisse ; 3° necessitatem cum vi et coactione aliquando confudisse ; 4° plures alias induxisse voces cum præcisione theologica nondum determinatas, quia subtilitates novatorum talem præcisionem non adhuc reddiderant necessariam.

Pro his solutionibus recurrendum est ad ea quæ in Tractatu *de Gratia* diximus.

Quæritur an æquilibrium propensionis et potentiæ ad bonum et malum sit de libertatis essentia.

R. negative ; innumeris enim Scripturæ et Patrum testimoniis, traditione, monumentis ac rationibus constat hominem peccato Adæ depravatum, in malum pronum esse illudque multo facilius operari quam bonum : hæc autem proclivitas ad malum facultatem eligendi non tollit, *ut probavimus :* ergo.

§ II. — De causis liberum tollentibus vel minuentibus.

Quatuor numerantur causæ quæ voluntarium liberum minuere, vel etiam omnino tollere possunt, scilicet coactio, metus, ignorantia et passiones : de quibus aliquid seorsim dicendum est.

Sectio prima. — De coactione.

Coactio est vis a principio extrinseco contra voluntatis inclinationem illata, et dicitur etiam violentia : unde illud coactum est, respectu nostri, quod, renitente voluntate nostra, peragitur ; violentum etiam de rebus inanimatis dicitur ; coactum vero de solis rebus animatis, sive ratione careant, sive non ; involuntarium de solo agente rationali dicitur.

Violentia est *absoluta,* vel *secundum quid :* est absoluta, quando voluntas totis viribus resistit ; dicitur secundum

quid, si voluntas resistat quidem, sed minus efficaciter quam posset.

His prœnotatis, certum est 1° violentiam absolutam liberum omnino tollere in iis actibus in quos cadit; siquidem supponitur voluntatem totis viribus resistere.

Certum est 2° e contra, violentiam secundum quid liberum plus vel minus minuere, secundum gradum resistentiæ, non vero illud tollere, nec proinde a peccato omnino excusare. *Ratio patet:* unde qui, etiam immanioribus tormentis victi, fidem negabant, semper habiti sunt ut apostatæ.

Certum est 3° actus voluntatis elicitos absolute cogi non posse; implicat enim voluntatem eligere et simul totis viribus resistere. Ergo actus eliciti essentialiter sunt liberi, et ipse Deus eos per coactionem producere non posset, quia voluntas coacta jam non eligeret. Cogi vero possunt secundum quid, quia fieri potest ut mens suppliciis determinetur ad id quod nolebat et quod repugnans tantum elegit. Tunc peccatum, si actio sit mala, minuitur, sed non tollitur.

Certum est 4° violentiam etiam absolutam in actus imperatos cadere posse: nam hujus generis actus per vim externam, contra voluntatis inclinationem, et ipsa totis viribus renitente, perfici possunt, ut patet exemplo hominis cujus manus per vim apprehensa tenet incensum coram idolo. Actus imperati, violentiæ absolutæ subjecti, ab omni peccato excusantur, non autem actus qui violentia secundum quid determinantur.

Sectio secunda. — De metu.

Metus est trepidatio mentis ob malum imminens vel futurum.

Potest esse gravis vel levis: est gravis, si malum quod timetur sit grave et probabiliter imminens; est vero levis, si malum quod timetur sit leve, aut, si grave sit, probabiliter non immineat.

Potest iterum esse gravis absolute vel respective: est absolute gravis, quando timetur malum respectu omnium

grave, ut exsilium, incarceratio, mutilatio, mors, etc., et ideo etiam in virum fortem cadere potest. Est vero respective gravis, quando malum, in se leve, grave est respectu alicujus personæ, ratione ipsius imbecillitatis vel timiditatis, vel ob quamdam aliam causam. Sic metus nonnullorum baculi ictuum quos vetus miles bellis assuefactus spernit, gravis esse potest respectu puellæ aut viri nimis meticulosi.

Ad hanc speciem referendus est metus reverentialis, qui gravis aut levis esse potest, habita ratione personæ reverendæ et personæ reverentis.

Certum est 1° metum sub omni respectu levem pro nihilo reputandum esse, ac proinde nec tollere nec minuere liberum.

Certum est 2° metum adeo gravem, ex quacumque causa proveniat, ut rationem omnino perturbet, liberum tollere ; nulla enim est libertas, ubi nulla possibilis est deliberatio : atqui nulla possibilis est deliberatio, ubi omnino perturbata est ratio : ergo.

3° Metus gravis, quo stante homo remanet sui compos, minuit, sed non tollit liberum. 1° Minuit ; ibi enim minor est libertas, ubi minus expedita est agendi vel non agendi facultas : atqui minus expedita est agendi vel non agendi facultas ubi existit metus gravis : sic multo difficilius est abstinere ab actu ad quem metu mortis inclinamur. Unde qui tali metu impulsi aliquid mali perpetrarunt, digniores venia semper judicati sunt. 2° Liberum prorsus non tollit ; ibi quippe vera est libertas, ubi vere existit potestas ab actu temperandi, vel ad actum oppositum sese determinandi : at in casu præsenti talis existit potestas, ut supponitur : ergo.

Hinc ut apostatæ semper habiti sunt Christiani qui, metu persecutionis et suppliciorum, Christum blasphemaverunt, cultum ejus deseruerunt, vel thus idolis obtulerunt, etc.

SECTIO TERTIA.— De ignorantia.

Aliud est error et aliud ignorantia. *Error* generatim est opinio veritati opposita, v. g., si quis sibi persuadeat

mendacium esse licitum : *ignorantia* vero est carentia scientiæ, v. g., si quis nullam mendacii notitiam haberet. Attamen error et ignorantia in moralibus promiscue sumuntur.

Ignorantia dividitur 1°, ratione personæ, in *vincibilem* et *invincibilem :* vincibilis ea est quæ communibus naturæ et gratiæ auxiliis vinci potest ; hæc iterum dicitur *affectata*, vel *crassa* aut *supina :* est affectata, si quis de industria ediscere nolit, v. g., ut liberius peccet, ut restituere non teneatur; est vero crassa aut supina, quando quis non affectat quidem ignorare, sed torpescens aut variis negotiis distractus nullam adhibet diligentiam ut ignorantiam depellat : tales sunt multi in ediscendis officiis suis negligentes. Ignorantia invincibilis ea est quæ communibus naturæ et gratiæ auxiliis vinci non potest. Sæpe quæ est vincibilis respectu unius personæ, invincibilis est respectu alterius. Insuper cum hic agatur de ignorantia relative ad mores, ea reputanda est invincibilis quæ, communi adhibita diligentia, vinci posset, si non sit obligatio eam devincendi : talis est ignorantia theologiæ in laico, vel medicinæ in clerico. Duplex igitur requiritur conditio ut ignorantia sit vincibilis in ordine morum, possibilitas scilicet et obligatio eam depellendi.

Dividitur 2°, ratione objecti, in ignorantiam *juris* et in ignorantiam *facti*. Ignorantia juris ea est qua nescitur lex aliquid præcipiens vel prohibens, et ignorantia facti est illa qua, lege cognita, ignoratur an tale factum legi adversetur.

Dividitur 3°, ratione voluntatis, in *antecedentem, concomitantem* et *consequentem*. Antecedens ea est quæ voluntatis actum præcedit; nullatenus est volita, et tamen est causa volendi, ut si quis occidat amicum credens esse cervum. Concomitans illa dicitur quæ operi conjuncta est, sed non est volita nec causa volendi, v. g., si quis occidens cervum, simul ignorans occidat inimicum, quem pariter occidisset si eum agnovisset. Ignorantia consequens est effectus voluntatis et simul causa volendi ea quæ ignoranter fiunt : si sit directe volita, est affec-

tata; si indirecte, est crassa vel supina et semper vincibilis.

Certum est 1° ignorantiam affectatam nullo modo liberum tollere, sed esse peccatum et insuper causam peccati, si quod fit ex illa sit malum.

Certum est 2° ignorantiam concomitantem in opus externum non influere, et nullo modo esse voluntariam; a pœnis igitur ei annexis, v. g., ab excommunicatione aut suspensione excusat, non vero a peccato interno quod admittit agens, de effectu cognito sibi complacens.

Notandum alias ignorantiæ species, ubi de moralitate actionum ignoranter factarum agitur, ad vincibilem vel invincibilem revocandas esse. Vide enim agens, ad cognitionem rei ignotæ obligatus, totam diligentiam cujus est moraliter capax non adhibuit, et tunc ignorantia est vincibilis : vel adhibuit, et ignorantia est invincibilis.

Lutherani, Calvinistæ, Baianistæ et Jansenistæ contendunt ignorantiam rerum honestarum, saltem juris naturalis, etsi quandoque invincibilem, a peccato nunquam excusare, quia peccati originalis est effectus et in Adamo fuit voluntaria.

His prænotatis, sint duæ propositiones sequentes :

PROPOSITIO PRIMA.

Ignorantia vincibilis, sive juris, sive facti, non tollit liberum, nec proinde, in iis quæ mala sunt, excusat a peccato.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Ps. XXIV, 7 : *Ignorantias meas ne memineris;* Luc. XXIII, 34 : *Non enim sciunt quid faciunt;* Joan. XVI, 2 : *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo;* Act. XXVI, 9 : *Ego quidem existimaveram me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere.* In his textibus exprimitur peccatum ignorantiæ : non sola autem exprimitur ignorantia affectata : ergo agitur de ignorantia vincibili in genere. Ergo 1°.

2° *Auctoritate omnium Ecclesiæ Doctorum,* qui unanimi voce propositionem nostram semper docuerunt.

3° *Ratione*. Qui enim vult causam, effectum velle censetur : sed quid agit ex ignorantia vincibili, quam scilicet depellere negligit, vult causam : ergo. Unde judices sæpe damnant homines ex ignorantia delinquentes, quia æstimant illorum ignorantiam esse vincibilem.

Quæ ex hujusmodi ignorantia fiunt, dicuntur voluntaria in sua causa.

Hinc 1° qui officia confessarii, advocati, medici, notarii, magistri, etc., suscepturi, scientiam tali officio competentem acquirere negligunt, graviter peccant; actus enim injusti ex eorum ignorantia procedentes, ipsis coram Deo imputabuntur.

Hinc 2° patet quid sentiendum sit de peccato philosophico, quo scilicet, ut quidam volunt, ratio offenditur et non Deus, quia agens de Deo inter operandum non cogitat; constat enim, ex probatis, necessarium non esse ad peccandum, ut inter agendum de Deo cogitemus, sed sufficit ut de illo cogitare debeamus; alioquin sceleratissimi homines qui Deum penitus obliviscuntur, privilegium non peccandi per excessus suos acquirerent.

Qui perversam hanc doctrinam fusius tractatam videre cupierit, Coll. Andeg. legat (*sur les Péchés*). Vide tractatum *de Peccatis*, cap. 1.

Fatendum tamen cum universis auctoribus ignorantiam pure consequentem, id est non affectatam, voluntarium minuere; qui enim ex tali ignorantia agit, ita affectus supponitur, ut, seclusa ignorantia, id non faceret : ergo actus ex hac ignorantia provenientes non fiunt secundum plenam voluntatis inclinationem, ac consequenter imperfecte tantum sunt voluntarii.

Peccatum autem est mortale aut veniale, juxta gradum negligentiæ in acquirenda debita scientia : gradus isti sunt numero infiniti; solius est Dei eos recte cognoscere.

Observandum est aliud esse peccatum ignorantiæ, et aliud peccatum ex ignorantia : peccatum ignorantiæ est omissio scientiæ debitæ, et peccatum ex ignorantia est illud quod ignoranter committitur. Verum nulla ignorantia rationem peccati habere potest, nisi ex negligen-

tia oriatur : unde qui de salute sua est diligens, propter ignorantiam damnari non potest; si enim in eo aliqua sit ignorantia, invincibilis habenda est. Hanc quippe regulam tradunt doctores, qua ignorantia vincibilis ab invincibili secerni possit, videlicet, quoties aliquis, ad discendum ea quæ ad proprium statum vel ad particulares operationes suas spectant, eam adhibuit diligentiam quam in similibus adhibere solent probi et prudentes viri, et nullum expertus est dubium de jure aut facto aut de circumstantia quam ignorat; aut si dubium exortum fuerit, pari diligentia illud excutere conatus fuerit, judicaveritque actionem esse licitam, et tamen erraverit, ignorantia respectu ejus fuit invincibilis proindeque inculpata. Secus, vincibili proindeque plus minusve culpabilis reputanda foret.

PROPOSITIO SECUNDA.

Quælibet ignorantia invincibilis tollit liberum et ab omni peccato excusat.

Probatur auctoritate S. Aug., S. Thomæ, concilii Tridentini, Alexandri VIII, consensu doctorum et ratione.

1° *Auctoritate S. Aug.* qui variis in locis, et præsertim de libero Arbitrio, l. 3, cap. 18, n. 40, sic habet : « Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest ? » et cap. 19, n. 43 : « Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere quod ignoras. » Ergo 1°.

2° *Auctoritate S. Th.*, qui 1 2, q. 76, art. 3, concl. in fine : « Si talis sit ignorantia quæ omnino sit involunta-» ria sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod » quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a » peccato. » Ergo 2°.

3° *Auctoritate concilii Tridentini*, sess. 6, de Justif., cap. 11, sic se habentis : *Deus impossibilia non jubet :* atqui Deus impossibilia juberet, si ignorantia invincibilis ab omni peccato non excusaret; jubet enim ut a quolibet peccato abstineamus : porro abstinere non pos-

semus a peccato quod invincibiliter ignoraremus : ergo 3°.

4° *Auctoritate Alexandri VIII* qui, anno 1690, sequentem damnavit propositionem : « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. » Ergo ignorantia invicibilis etiam juris naturæ a peccato formali excusat. Ergo 4°.

5° *Consensu doctorum* qui omnes, seclusis hæreticis, nostram docent propositionem. Ergo 5°.

6° *Ratione.* Ubi est ignorantia invincibilis, nulla est intellectus advertentia : ergo nulla voluntas, siquidem nihil est volitum nisi præcognitum. Et vero, si opus ex tali ignorantia factum, esset voluntarium, vel in se, vel in causa : atqui neutrum dici potest; non in se, *ut patet ;* non in causa, cum ignorantia imputari non possit, ex hypothesi. Ergo 6°.

Facta Scripturæ quæ objici solent, ut peccatum Abimelech Saram in uxorem accipere volentis ; actio Jonathæ mel contra patris prohibitionem degustantis, etc., de ignorantia vincibili intelligenda sunt, supposito quod sint peccaminosa. In plerisque enim agitur de ignorantia facti aut juris positivi : atqui Jansenistæ fatentur ignorantiam invicibilem facti aut juris positivi ab omni peccato excusare : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sequens Cœlestii propositio damnata est in concilio Diospolitano : « Oblivio et ignorantia non subjacent peccato, quoniam non veniunt secundum voluntatem, sed secundum necessitatem. » Ergo quæ ex necessitate seu ex ignorantia invincibili eveniunt, a peccato non excusantur.

R. Dist. ant. Citata propositio damnata est ad sensum Cœlestii, *conc.;* in se sumpta juxta sensum quem exhibere videtur, *nego ant.* Etenim Cœlestius, necessitatem gratiæ negans, habebat ut invincibilem ignorantiam quæ solis naturæ viribus vinci non potest : hoc autem est falsum et merito fuit damnatum. Præterea, catholicis

asserentibus hominem diu in præsenti vita esse non posse sine aliquo peccato saltem oblivionis aut ignorantiæ, objiciebat, per argumentum ad hominem, hæc peccato non subjacere, si necessario eveniant. Sed hoc iterum in sensu Cœlestii erat falsum : necesse quidem est ut homo, in præsenti statu, quædam admittat peccata saltem ignorantiæ et fragilitatis, et hanc voluntatis suæ inconstantiam penitus tollere non potest; sed nihilominus remanet liber circa singula. Ergo.

Multa ex S. Augustino et S. Thoma excerpta objiciunt Jansenistæ, sed omnia de ignorantia vincibili intelligi possunt, et revera sic intelligenda esse patet testimoniis eorumdem doctorum supra citatis, quæ ad sensum adversariorum detorqueri nequeunt.

Obj. 2°. *Ignorantia facti, non juris, excusat*; est regula 13 juris canonici. Ergo.

R. Nego conseq. Nam hæc regula pro foro externo statuta est, et quidem sapienter; nisi enim admitteretur, delinquentes semper se excusarent, dicentes se legem ignorasse : at in foro conscientiæ et coram Deo locum non habet.

Obj. 3°. Ignorantia juris naturalis, etiam invincibilis, volita fuit in causa sua, nempe in peccato Adami, eodem modo ac peccatum originale : ergo eodem modo imputanda est.

R. Nego conseq. et paritatem. Nam 1° in eis quæ a decretis Dei pendent et sola revelatione noscuntur, non concludendum est a pari. 2° Si ignorantia invincibilis esset peccatum quia est effectus peccati, sequeretur motus concupiscentiæ indeliberatos tot esse peccata, sunt enim et ipsi peccati Adami sequelæ : hoc autem directe contradicit definitioni concilii Tridentini, dicentis, sess. 5, can. 5 : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri » gratiam, quæ in baptismate confertur... asserit non » tolli totum id quod veram et propriam peccati ratio- » nem habet... anathema sit. » 3° Si peccatum originale consistat tantum in privatione justitiæ a Deo primis parentibus nostris concessæ et nobis destinatæ, ut commu-

nius nunc docetur, et dicemus infra, evanescit difficultas, siquidem ipsum peccatum non imputatur ad sensum objectionis, et privatio quorumdam donorum justitiæ et sanctitati primitus junctorum non impedit quin, post naturæ reparationem, simus Deo grati finemque supernaturalem attingere valeamus.

Inst. 1°. Imputatur homicidium in ebrietate commissum, quia censetur in sua causa volitum : ergo *a pari*, etc.

R. Nego iterum consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est quod propria voluntas in homicidium reipsa influat, causam libere ponendo; nullatenus vero propria voluntas causam ignorantiæ posuit : ergo non valet paritas.

Inst. 2°. Admissa hac doctrina, satius erit homini præcepta legis naturalis ignorare quam cognoscere : atqui hoc repugnat : ergo.

R. Dist. maj. Satius erit homini præcepta legis naturalis ignorare quam ea cognoscere et violare, *conc.*, quia ex duobus malis minus eligendum est; satius erit simpliciter, *nego maj.* Ex tali enim ignorantia multa sequuntur mala gloriæ Dei, bono societatis, utilitati proximi et profectui nostro spirituali opposita. Aliunde simili argumento probaretur melius esse præcepta legis naturalis vincibiliter ignorare, siquidem ignorantia vincibilis minuit peccatum, quod tamen adversarii concedere nollent. Ergo.

Quæritur an ignorantia vincibilis fieri possit diuturnitate temporis invincibilis.

R. Quidam rigidiores negant, contendentes ignorantiam in sua origine voluntariam semper imputandam esse, quantumvis fuerit oblita, et ea quæ ex tali ignorantia fiunt, si mala sint, tot esse peccata. Cæteri vero docent 1° ipsum ignorantiæ peccatum licet memoriæ non occurrat, tamdiu subsistere quamdiu directe vel indirecte coram Deo non fuerit expiatum; hoc quidem negari non potest; 2° fieri posse ut homo præteritam negligentiam suam penitus obliviscatur, et paratus sit eam reparare si adverteret : atqui repugnat Deum peccata ex tali igno-

rantia commissa imputare ; tunc enim impossibilia juberet, quod infinitæ bonitati ejus adversatur : ergo. Vide Coll. Andeg. (*sur les Actes humains*).

Valde tamen timenda est culpabilis ignorantia, propter se, et magis propter infausta ejus consectaria : ab illa igitur sedulo caveamus. Major autem adhibenda est diligentia in illa præcavenda, aut depellenda, prout ars vel professio exercenda gravioris est momenti, et juxta gradum intelligentiæ nostræ; qui enim tardioris est ingenii, acriori incumbere debet labori ut hunc vincat defectum.

Notandum est ea quæ de ignorantia diximus, de errore pariter dicenda esse, cum eo tamen discrimine quod error facilius sit voluntarius quam ignorantia ; nam falsum supponit judicium : atqui facilius est a falso judicio abstinere quam ignorantiam depellere ; ideo enim falso judicamus, quia temere pronuntiamus : ergo.

Timeamus ne errores nostros circa mores facilius arbitremur invincibiles, dum errores aliorum reputamus vincibiles ; cum enim natura erroris et ignorantiæ ex dispositionibus internis pensanda sit, solus Deus eorum gradus scrutari et secernere potest : par igitur est periculum si indulgentius nos dijudicemus, et severius alios damnemus.

Sectio quarta. — De passionibus.

Passiones, sub nomine concupiscentiæ a theologis sæpissime designatæ, sunt quædam commotiones nos ad bonum reale vel apparens excitantes, vel ab eo quod repræsentatur ut malum retrahentes. Aliæ sunt corporales et aliæ spirituales, ut diximus in *Metaphysica*.

Aliæ sunt iterum antecedentes, quæ scilicet actum voluntatis præveniunt, et aliæ consequentes, quæ voluntatis sunt effectus, ut si quis inimicum occidere vel percutere volens, iram in semetipso excitet.

1° Certum est passiones generatim non esse malas in se, imo sapienter a Deo nobis donatas fuisse. Etenim passionibus commoti, bonum conservationi nostræ necessarium requirimus, malum nobis adversum fugimus, nobiliores actus virtutum exercemus : v. g., milites, desi-

derio gloriæ excitati vel ira inflammati, fortius dimicant; oratores, zelo vel alia mentis affectione vivide accensi, auditores efficacius percellunt eisque persuadent quod sentiunt.

2° Quamvis passiones nihil mali ex se habeant, sæpe tamen, in præsenti rerum ordine, trahunt homines extra limites inter quos stat virtus, et plures in vulgari suo nomine malæ sunt, v. g., superbia, avaritia, invidia, ambitio, voluptas, etc.

3° Si adeo vehementes sint passiones ut rationem penitus conturbent, liberum omnino tollunt; non enim est liberum sine prævia intellectus cognitione : at nulla est intellectus cognitio ubi ratio omnino perturbatur : ergo. Talis esse potest gravis et inopinatus timor.

4° Hoc casu excepto, passiones liberum non tollunt; vera enim manet potestas ab actibus ad quos inclinant abstinendi, vel eos a quibus removent faciendi.

5° Passiones ad bonum sensibile nos impellentes, voluntarium augent; his enim mens illecta, majori propensione in objectum delectabile sibi oblatum fertur idque sive passiones sint antecedentes, sive sint consequentes.

6° Sed communiter liberum, sive ad bonum sive ad malum, minuunt; lumen quippe rationis obscurant, et eo ipso facultatem eligendi lædunt. Ergo.

Diximus *communiter*; nam qui passiones in se libera determinatione excitant ut in objectum quod appetunt ardentius ruant, non minus reputandi sunt liberi, *ut patet*.

Hinc qui ex prava consuetudine, quam corrigere non curant, actus prohibitos exercent, gravius peccant, quia propensius in malum feruntur, et nullam repetere possunt excusationem ex defectu libertatis. Eadem ratione, qui per bonorum operum vel actuum repetitionem, magnam facilitatem bonum volendi et faciendi contraxerunt, in singulis actibus et operibus merentur.

Discant juvenes libidines suas coercere : experientia enim constat eas in teneris annis non ægre refrenari : tunc facilis ac jucunda est perseverantia. Qui vero liberius

eis indulgent, graves sibi imponunt catenas, quas postea difficile solvent. Qui, e contra, felicem habuerunt consuetudinem ab infantia bonum faciendi, infinitos meriti thesauros quasi incogitantes quotidie sibi acquirunt.

§ III. — De voluntario indirecto.

Sub hoc nomine intelligimus quidquid positive aut directe non fuit volitum, sed præter agentis intentionem sequitur ex causa positiva vel omissione voluntaria, vel ex aliqua cooperatione ad alterius peccatum. Nulla theologiæ moralis pars frequentioris est praxis, et numerosiores generat difficultates. Juvat ergo ut, quantum poterimus, lucidas exponamus regulas quibus juniores confessarii adjuti, de effectibus vel actibus indirecte volitis sane judicent. Dicemus 1° de effectibus indirecte volitis et sine aliorum interventu sequentibus, et 2° de cooperatione ad aliorum peccata.

Sectio prima. — De effectibus indirecte volitis et sine aliorum interventu sequentibus.

Duplici modo hi effectus contingere possunt, nempe ex causa positiva libere posita, v. g., si quis se inebriat, et ex ebrietate in blasphemias incidat; vel ex aliqua omissione, ut si famulus, bonis domini sui præpositus, non vigilet, et deprædantes non avertat.

Causa positiva potest esse illicita, ut in exemplo citato; vel licita aut indifferens, ut si quis equo ascensus velociter currat, et infantem in via positum conterat.

Item omissio potest esse officii status, ut in exemplo allato, vel alicujus indebiti, ut, v. g., si quis videat alterum damnum vicino inferentem, et non prohibeat, cum illud prohibere posset.

1° Effectus causæ vel omissionis, sive licitæ, sive etiam illicitæ, non est imputabilis nisi prævisus fuerit, aut prævideri potuerit et debuerit : id patet ex dictis ubi de ignorantia invincibili. Quæ enim nullatenus sunt voluntaria, ad peccatum imputari non possunt : at effectus etiam ex causa illicita vel ex omissione culpabili proveniens,

qui non fuit prævisus, nec prævideri potuit aut debuit, nullatenus fuit voluntarius, *ut patet :* ergo.

2° Contra vero, si ex causa illicita, vel ex omissione culpabili sequatur, et prævideri potuerit ac debuerit, voluntarius in sua causa merito judicatur, et ad peccatum imputatur. Constat ex iis quæ diximus, de ignorantia vincibili tractando.

3° Si ponatur causa per se licita, duplicem habitura effectum, unum bonum, et alterum malum, et malus præcedat bonum, quantumvis recta sit intentio, a peccato non excusabitur agens ; *non enim facienda sunt mala ut eveniant bona,* Rom. III, 8 : hinc abortum ope medicinæ procurare non licet, ut vita mulieris servetur.

4° Si causa per se licita duplicem habitura sit effectum, saltem æqualiter ex ipsa sequentem, vel existit ratio eam ponendi, vel non : si nulla sit ratio eam ponendi, certe ab illa abstinendum est, alioquin effectus malus ad peccatum merito imputaretur. Item si insufficiens esset ratio causam ponendi : unde qui sola recreationis causa vel ob aliam levem rationem cum equo vel curru per viam populo frequentatam præceps curreret, et aliquem conculcans occideret, homicidii reus esset. Non requiritur ad peccatum ut agens sibi proponat directe malum, sufficit quod absque ratione sufficienti causam ejus voluntarie ponat. Si causa esset mala, duplex tunc esset malitia, una ratione causæ et altera ratione effectus.

5° Si vero sufficiens existat ratio bonum effectum obtinendi, tunc licet causam intuitu ejus ponere, malum effectum inde proventurum simpliciter permittendo : « Nihil enim prohibet, ait S. Th. 2 2, q. 64, art. 7, unius » actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in in- » tentione, alius vero sit præter intentionem. » Aliunde, nisi hoc admitteretur principium, pii homines continuis anxietatibus torquerentur, et, cum gravi societatis detrimento, multa impedirentur bona ; v. g., urbem obsidere non liceret, propter periculum occidendi innocentes, nec medicamenta mulieri gravidæ necessaria cum aliquo fœtus periculo præstare, nec quædam officia occasiones pec-

cati inducentia exercere, etsi spes affulgeret non consentiendi, etc.

Effectus autem non intentus dicitur malus, vel quia alteri nocet, vel quia in eo aliquid est materialiter malum; non vero quatenus ex actione procedit : non enim malus esse potest, quatenus ex actione procedit, nisi actio prohibeatur; verum, positis circumstantiis, non est lex actionem prohibens. Vera igitur ratio cur dictus effectus agenti non sit imputabilis non est defectus voluntarii, sed defectus legis actionem tunc prohibentis.

Ut autem talem causam ponere liceat, plures necessariæ sunt conditiones, videlicet 1° ut bonus effectus malum præcedat vel saltem uterque ex eadem causa immediate sequatur, propter rationem jam expositam; 2° ut, juxta communem judicandi modum, bonus effectus malo præstet : hoc sedulo pensare debent reges eorumque consiliarii antequam bellum indicent vel consulant; 3° major vel minor requiritur ratio excusans, prout malus effectus est gravior vel levior, magis vel minus certus, plus vel minus remote ex causa secuturus prævidetur : his moraliter attentis, cum metu, et tamen sine scrupulis, pronuntiandum est.

Quæritur quandonam malitia effectus mali in causa tantum voliti contrahatur.

R. Malitia hujusce effectus contrahitur ipsomet actu quo ponitur causa, quia voluntas merito censetur indirecte velle omnia quæ illa causa secutura prævidentur aut facile prævideri possunt et debent. Unde « Si quis, » ait S. Th. 2 2, q. 79, art. 3, ad 3, se inebriavit, et non » potest surgere ad Matutinas, omissio Matutinarum » est etiam voluntaria. » Sic etiam, quamvis hujusmodi omissio per accidens non eveniat, fuit tamen culpabilis in causa et declaranda est in confessione.

Hæc malitia æquivalet omnibus peccatis quæ prævidentur aut facile prævideri debent inde secutura, et perseverat donec causa sincere fuerit retractata : attamen peccatum externum non consummatur, et pœna ei annexa non incurritur, nisi tempore quo effectus sequitur, idque

etiamsi agens tunc sui non sit compos. Sic *Gonnet, Billuart, Collet, Dens,* etc.

Si autem causa sincere fuerit retractata, effectus ad peccatum non imputabitur, quia jam non est voluntarius; inducit tamen obligationem restituendi, si justitiam commutativam lædat : agens quippe, in eo casu, causam damni culpabiliter posuit : ergo, quantumvis de culpa doleat, tenetur vel damnum efficaciter impedire, vel illud reparare.

SECTIO SECUNDA. — De cooperatione ad aliorum peccata.

Triplici modo hæc cooperatio fieri potest, videlicet præbendo aliis occasionem peccandi, ut, v. g., si mulier formosa coram viris libidinibus deditis appareat; vel subministrando aliis materiam qua prævidentur abusuri ad peccandum, v. g., si caupo præbeat vinum hominibus se inebriaturis, vel alios inter malum operandum adjuvando, v. g., scapulas submittendo ut aliquis per fenestram ascendat ad furandum, ad luxuriandum, etc.

1° Apud omnes constat licitum non esse cum alio in ipsomet actu criminoso cooperari, illum, v. g., adjuvando ad alterum injuste occidendum aut mutilandum, ad luxuriandum, ad se jugulandum, etc., quia tunc actio cooperationis in se mala esset et nulla ratione excusari posset.

2° Certum est pariter eum qui peccato alterius consentiens cum illo ad peccandum cooperatur, sive occasionem præbendo, sive materiam subministrando, sive illum etiam per actum in se bonum adjuvando, peccati alieni, v. g., luxuriæ, gulæ, superbiæ, etc., complicem fieri, et insuper gravis peccati contra charitatem reum se constituere; vult enim ruinam spiritualem proximi, ad cujus peccatum libenter concurrit.

3° Non minus certum est illicitum esse in hoc triplici casu cum alio ad peccandum concurrere, etiam peccatum ejus detestando, nisi adsit ratio talem cooperationem honestans, id est, nisi intendatur effectus bonus et sufficiens ut malus e culpa alterius secuturus rationabiliter permitti possit; præceptum enim charitatis exigit ut ma-

lum proximi avertamus, quando sine gravi nostro vel aliorum detrimento illud avertere possumus : hoc principium ab omnibus admittitur. Ergo.

4° Contra vero, ubi sufficiens existit ratio occasionem præbendi vel materiam subministrandi, qua alter prævidetur ex malitia sua abusurus ad peccandum, vel etiam eum per actum in se bonum adjuvandi, nullum in hoc faciendo est peccatum : nisi enim principium istud admitteretur, ordo moralis evidenter turbaretur; quia, cum fere nihil sit in mundo quo quidam saltem homines non abutantur, ab omnibus abstinendum esset. Ergo.

Hinc 1° junior puella, formis speciosa, quæ, sola curiositatis, joci aut vanitatis causa, virorum moribus perditorum oculis se objicit, graviter peccat, quia prævidere debet multos in ipsius aspectu occasionem mortaliter peccandi inventuros esse; sed divinis officiis assistere et per vias publicas propter sua negotia aut propter sanitatem deambulare potest, licet quosdam ipsius occasione peccaturos esse non ignoret; sufficientem enim habet rationem hoc permittendi.

Hinc 2° ancilla in diversorio existens, carnes diebus prohibitis coram hospitibus eas sine causa excusante petentibus apponere non potest, si absque gravi detrimento hac domo exire et aliam magis sibi convenientem invenire possit; secus, carnes apponendo non peccabit. Major requireretur ratio si ageretur de vino hominibus se inebriaturis præstando.

Hinc 3° qui ob metum levem scalam sustentaret, vel scapulas præberet furi per fenestram ascendere volenti, mortaliter peccaret : si vero ad vitandam mortem probabilissime sibi imminentem, mutilationem aut aliud grave detrimentum, hoc faceret, a peccato excusaretur; qui enim damnum in hoc casu patitur, rationabiliter invitus esse non potest. Vide quæ diximus in Tractatu *de Restitutione,* sectione *de Participante,* prop. II.

His circa cooperationem principiis frequenter opus erat, tempore perturbationis Gallicanæ, ad solvendos innumeros casus qui sæpissime occurrebant, v. g., ad ju-

dicandum an liceret in exercitibus Reipublicæ contra regis defensores decertare, an arma militibus Reipublicæ vendere aut præstare, an ea conficere, an materias ad ea conficienda subministrare, an vestes militares consuere, an pannum ad eas faciendas, dare, etc., an cereos sacerdotibus schismate infectis vendere, an ornamenta pro ipsis contexere, an campanas in eorum ecclesiis pulsare liceret, etc. Iisdem principiis nunc definiendum est an liceat vestes et ornamenta ludentium in theatris conficere, aulam ludis theatricis vel saltationibus publicis destinatam parare, mundare, illuminare, et sic de multis aliis quæ passim in decursu theologiæ moralis et multo frequentius in ministerii sacri exercitio occurrunt : pro quibus recte solvendis attendendum est 1° ad gradum influxus causæ occasionalis vel cooperationis in malum effectum; 2° ad gravitatem effectus mali secuturi et ad necessitatem vel opportunitatem boni effectus qui intenditur; 3° ad probabilitatem quod alioquin malus effectus non eveniret; 4° examinandum est an malum quod adventurum prævidetur aut timetur, jura alterius læsurum sit, nec ne; major enim requiritur ratio si agatur de malo alteri contra voluntatem ejus inferendo, quam si de malo cui assentiret quæstio esset.

CAPUT SECUNDUM.

DE FINE ACTUUM HUMANORUM.

Finis generatim est id cujus gratia fit aliquid. Multiplex distinguitur : 1° alius est *operis* et alius *operantis* : finis operis ille est in quem opus ex natura sua necessario tendit, ut, in eleemosyna, sublevatio pauperis : finis operantis est ille quem agens sibi proponit, v. g., amor Dei aut vana gloria in eleemosyna.

2° Finis operantis est *intermedius*, vel *ultimus* : finis intermedius ille est quem agens ita sibi proponit, ut eum

ad ulteriorem referat, v. g., vir christianus, medicinam sumendo, sanationem ita sibi proponit, ut eam ad gloriam Dei referat; finis vero ultimus ille est qui ad alium non refertur, in quo igitur voluntas plene quiescit.

3° Duplici modo finis potest esse *ultimus*, *positive* scilicet et *negative*. Est positive ultimus, quando voluntas alium quemlibet excludit: est vero negative ultimus, quando voluntas sic in eo quiescit ut ulteriorem tamen non excludat: v. g., negotiator avarus ita lucrum sibi proponit ut ad illud faciendum paratus sit Deum offendere: negotiator vero Christianus lucrum pariter sibi proponit et in eo quiescit, sed Deum non excludit, et mallet mori quam eum propter lucrum offendere.

Certum est 1° hominem libere agentem aliquem finem semper sibi proponere; agere enim libere est aliquid eligere; aliquid eligere est aliquid sibi proponere: porro aliquid sibi proponere est agere propter finem.

Certum est 2° omnes actus humanos ad ultimum finem, vel positive, vel saltem negative referri: fieri enim non possunt, ex modo dictis, sine aliquo fine: vel autem finis ille ad ulteriorem saltem negative refertur, vel non: si prius, finis ulterior est ultimus; si posterius, ipse finis, quem intendit agens, est ultimus. Ergo.

Certum est 3° hominem libere agentem bonum reale aut apparens semper sibi proponere; repugnat enim voluntatem humanam, sese determinantem, objectum sibi ut malum sub omni respectu repræsentatum eligere: ita omnes et philosophi et theologi. Ergo. At sæpissime homines, præjudiciis occupati aut cupiditatibus ducti, sibi proponunt ut bonum quod reipsa malum est, ac inde gravissimi perniciosissimique nascuntur errores, pessimi actus, etc.

Notandum objectum beatitudinis hominum debere esse summum et in omni genere perfectum, alioquin mens in ejus possessione penitus non satiaretur; aliquid enim adhuc desiderare posset, nempe objectum perfectius.

Totum igitur præsens caput ad beatitudinem hominis reducitur: in quatuor articulos illud dividemus; agemus in 1° de beatitudine hominis in genere, in 2° de beatitu-

dine ejus animæ, in 3° de beatitudine corporis, et in 4° de obligatione qua tenetur actus suos ad Deum referre.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BEATITUDINE HOMINIS IN GENERE.

Multum insudarunt veteres philosophi ut boni et mali limites assignarent, et in quo vera hominis felicitas sita sit determinarent : diversis modis, juxta morem suum, errarunt et in tot abierunt sententias, ut S. Aug. dixerit, de Civitate Dei, lib. 19, cap. 1 : « Marcus Varro, in libro » de philosophia, tam multam dogmatum varietatem di» ligenter et subtiliter scrutatus advertit, ut ad ducentas » octoginta octo sectas, non quæ jam essent, sed quæ » esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime » perveniret. » Alii veram felicitatem reponebant in divitiis, alii in voluptatibus, alii in honoribus, alii in labore, alii in quiete, alii in fortitudine animi, etc. Contra omnes sit

PROPOSITIO.

Solus Deus est objectum veræ hominum beatitudinis.

Prob. Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Gen. xv, 1 : *Noli timere, Abram,* inquit Deus, *ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Ps. LXXII, 27 et 28 : *Ecce qui elongant se a te peribunt..... Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Deo spem meam.* I Joan. v, 20 : *Hic est verus Deus et vita æterna.* Alia bene multa citari possent. Ergo Deus assignatur in Scriptura ut solum veræ beatitudinis objectum. Ergo 1°.

2° *Ex SS. Patribus* qui hoc unanimiter docuerunt : sic tantum S. Aug. Conf. lib. 1, cap. 1 : « Fecisti nos ad te » (Domine), et inquietum est cor nostrum donec requies» cat in te. » Ergo 2°.

3° *Ratione.* Vera hominis beatitudo sita est in Deo, vel in bonis fortunæ, vel in voluptatibus corporis, vel in

dignitatibus, vel in virtute, vel in horum omnium complexione : at quinque posteriora dici nequeunt.

1° *Non sita est in bonis fortunæ :* tale quippe debet esse objectum beatitudinis nostræ, ut desideria nostra impleat : debet ergo sub omni respectu esse perfectum, stabile et permanens : atqui bona fortunæ his conditionibus sunt destituta : sunt enim limitata, ab infirmitatibus aliisque miseriis non liberant, difficile acquiruntur, anxie possidentur, et necessario amittuntur saltem per mortem : unde Psalmista, Ps. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Ergo 1°.

2° *Non in voluptatibus corporis,* quæ nec omnibus sunt possibiles, nec perpetuo duraturæ, nec ab aliis incommodis eximunt, multa vero mala, ut plurimum, generant. Hinc Apostolus, Rom. IV, 17 : *Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto*. Ergo 2°.

3° *Non in hujus sæculi dignitatibus,* quæ pendent ab hominum levitate et inconstantia, viris probis et improbis tribuuntur cum multis anxietatibus conjunctæ, multis curis ac sollicitudinibus exponunt, denique sunt labiles et ad minus cum homine eas possidente pereunt. Unde Christus, Matth. V, 11 : *Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Ergo 3°.

4° *Non in virtute*. Objectum enim veræ beatitudinis tale esse debet ut propter semetipsum exoptetur et voluntas in eo conquiescat : atqui virtus 1° non exoptatur propter semetipsam, sed colitur propter Deum; nec nos reddit beatos, sed beatitudine dignos; 2° mens in ea quiescens sine ulla relatione ad Deum, non beatificaretur; 3° a paupertate, ægritudine, mœroribus aliisque hujus vitæ miseriis non liberat, ut cunctorum retro sæculorum experientia constat. Ergo 4°.

5° *Non in complexione omnium hujusmodi bonorum.* Nemo enim ignorat hæc bona omnibus non competere, in nostra potestate non esse, sæpissime frustra desiderari,

valde caduca et innumeris malis commixta esse : quisquis ergo sapiens exclamabit cum Ecclesiaste : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, et cum eodem concludet, XII, 13 : *Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* Ergo 5°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Deus ab homine possideri non potest : ergo non est ejus summum bonum.

R. Dist. ant. Deus ab homine possideri non potest tanquam substantia in quam dominium acquiritur, *conc.;* tanquam jucundissimum cognitionis et amoris objectum, *nego.* Ad hoc enim sufficit ut mens nostra Deum cognoscere et amare, atque in hoc amore jucundissime conquiescere possit : in hoc quippe sitam esse hominis beatitudinem contendimus : atqui, etc. Ergo.

Inst. Nulla est proportio inter Deum et mentem humanam : ergo mens humana Deum nullo modo possidere potest.

R. Nego ant. Inter Deum enim et mentem nostram datur 1° proportio habitudinis, vi cujus Deus facultatibus nostris cognoscendi et amandi est proportionatus, et facultates nostræ Deum sic attingere possunt : tunc in eo cognito et amato jucundissime conquiescimus, atque sic beatificamur. 2° Datur proportio similitudinis in ente : Deus quippe est immaterialis, rationabilis, amabilis, bonorum distributor, et mens nostra est intelligens, amans, desiderans, etc.

In hac autem similitudine fundatur proportio habitudinis. Ergo.

Obj. 2°. Appetitus hominis est finitus, ut pote actus facultatis finitæ : ergo bonum finitum illum explere potest.

R. Nego conseq. Licet enim appetitus noster sit finitus, tendit ad objectum infinitum ; ineluctatibili propensione volumus beatitudinem sub omni respectu perfectam, quæ proinde sit absoluta, æterna et immutabilis : atqui talis beatitudo in summo bono, id est, in Deo tantum inveniri potest : ergo.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur alteram post præsentem exstituram esse vitam, quod in Ethica jam probatum est; constat enim, ex una parte, veram hominis beatitudinem in solo Deo sitam esse, et, ex altera parte, Deum in præsenti vita eo non possideri modo qui nos summe beatos efficiat; qui pie vivunt omnesque virtutes christianas sinceriter excolunt, multa pace interna perfruuntur et cæteris hominibus longe feliciores sunt; verum spes mercedis in altera vita promissæ est fons hujus pacis ac felicitatis : *Spe enim* (tantum) *salvi facti sumus*, inquit Apostolus, Rom. VIII, 24. Unde I Cor. XV, 19, ait : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Ergo, etc.

Investigandum est igitur quæ futura sit conditio animæ et corporis in altera vita.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE BEATITUDINE ANIMÆ IN ALTERA VITA.

Probavimus beatitudinem nostram objectivam esse in Deo : nunc ergo agitur de modo quo mens objectum istud beatificans apprehendit, seu de beatitudine formali : hac in re in varias sententias non mediocriter subtiles abeunt theologi; nos vero, sepositis quæstionibus ad rem non pertinentibus, dicemus tantum de visione intuitiva, quæ animæ ea fruenti nihil exoptandum relinquit: cum enim voluntas nulli subjiciatur imperfectioni, tantum amat objectum quantum intellectus illud attingit, sicque tota mens plene satiatur. Inquiremus igitur, 1° an in altera vita exstitura sit visio intuitiva; 2° quo tempore inceptura sit, et 3° quænam futuræ sint ipsius proprietates.

§ I. — An in altera vita exstitura sit visio intuitiva.

Visio Dei intuitiva est clara ipsius prout in se est cognitio, sicque essentialiter differt a cognitione abstrac-

tiva qua eum in præsenti vita ope creaturarum deprehendimus.

PROPOSITIO.

Animæ sanctorum Deum in altera vita intuitive videbunt.

Prob. Scriptura sacra, ex SS. Patribus et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ;* I Cor. xiii, 12 : *Videmus nunc per speciem in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ;* I Joan. iii, 2 : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Certe Deum videre simpliciter, eum videre *facie ad faciem*, eum cognoscere sicut ab illo cogniti sumus, eum denique videre *sicuti est*, est illum videre intuitive, id est in se, non vero per aliud. Ergo 1°.

2° *Ex SS. Patribus.* S. Aug., Epist. 167, n. 12, sic habet : « Scimus posse Deum videri, quoniam scriptum » est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt...* » recte itaque diximus, scimus Deum posse videri, » quamvis eum non viderimus, sed divinæ auctoritati » quæ sanctis libris continetur, crediderimus. »

S. Bernardus, Serm. 4 in Festum omnium Sanctorum, n. 3 : « In hoc erit vita æterna et perfecta, ut cognosca» mus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, et videamus » Deum sicut est, id est, non modo sicut inest nobis vide» licet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. » Multa alia testimonia omittimus. Ergo 2°.

3° *Ratione.* 1° Sancti eodem modo Deum videre debent in cœlo ac Angeli : atqui Angeli Deum intuitive vident ; *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei*, Matth. xviii, 10. 2° Beati esse non possunt nisi Deum plene possideant eique adhæreant : atqui eum possidere vere eique perfecte adhærere non possunt nisi eum intuitive videant ; secus enim aliquid ipsis desiderandum remaneret ; ergo 3°, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. B. Paulus, I Tim. VI, 16, de Deo dicit : *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ergo non admittenda est visio intuitiva.

R. Nego conseq. Nam Apostolus hic, juxta communissimam interpretum sententiam, de visione intuitiva quidem loquitur, sed relative ad præsentem vitam, et affirmat neminem adhuc mortalem Deum sic vidisse aut visurum esse. Eo sensu S. Joan. dixerat, I, 18; et I Epist. IV, 12 : *Deum nemo vidit unquam.* Porro nihil inde sequitur contra propositionem nostram. Ergo.

Inst. Jacob dicit, Gen. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem;* et Moyses, Num. XIV, 14 : *Habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem.* Hæc autem verba de visione intuitiva intelligi non debent : ergo nec alia superius citata.

R. Nego consequentiam et paritatem; ipsa enim Scriptura testatur Deum Jacob, Moysi aliisque Patriarchis in forma sensibili apparuisse, vel potius per Angelum forma sensibili indutum locutum esse : sic Jacob *in fortitudine sua directus est cum Angelo,* Osee, XII, 3, quem in Genesi vocat Deum, dicens se eum vidisse facie ad faciem; sic de Moyse pronuntiat Stephanus, Act. VII, 38 : *Hic est* (Moyses) *qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina;* et tamen legitur in Exodo, XXXIII, 11 : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum;* id est, per legatum suum sub forma hominis apparentem et loquentem. Porro textus pro visione in cœlo promissa citati eo sensu intelligi nequeunt, sed de visione Dei ut in se est. Ergo.

Objicitur S. Chrysost., qui, in hæc verba S. Joan., *Deum nemo vidit unquam,* dicit neque Prophetas, neque Angelos, neque Archangelos Deum vidisse. *Sed respondetur* 1° S. Chrysost. ibi refellere Anomæos qui assere-

bant Deum ab intellectu creato comprehendi posse, quod evidenter falsum est; 2° ibi manifeste loqui de incomprehensibili Dei natura, non vero de visione intuitiva, ut eam exposuimus; eum in pluribus locis, expressis verbis docuisse, sicut cæteri Patres et doctores, visionem intuitivam admittendam esse, v. g., Epist. 5 ad Theodorum lapsum, cap. 7, hæc verba B. Petri, *Bonum est nos hic esse*, Matth. XVII, 4, exponens, ait : « Quid dicetur » quando ipsa rerum veritas aderit? quando, apertis re» giis ædibus, ipsum Regem conspicere licebit, non ul» tra in ænigmate, neque per speculum, sed facie ad fa» ciem? » Ergo, etc.

Apud SS. Patres Deus quadruplici modo dicitur invisibilis : 1° corporeis oculis; 2° in hac vita; 3° solis naturæ viribus; 4° metaphorice, quia est incomprehensibilis.

§ II. — Quo tempore visio intuitiva sit inceptura.

Certum est 1° justos Veteris Testamenti, ante mortem Christi decessos, in cœlum statim non fuisse admissos; articulus enim quintus Symboli Apostolorum docet Christum descendisse ad inferos, et credimus eum animas sanctorum ibi detentas fecisse beatas et præparasse ut postea in cœlos ascendens, eas secum duceret, juxta hæc Apostoli verba, Eph. IV, 8 : *Ascendens in altum* (Christus) *captivam duxit captivitatem.* Huc usque nondum propalata erat sanctorum via, Hebr. IX, 8.

Certum est 2° justos, qui cum peccatis venialibus aut cum obligatione solvendi pœnam pro peccatis mortalibus remissis moriuntur, visione intuitiva privari, donec divinæ justitiæ plene satisfecerint, quia nihil coinquinatum intrabit in cœlum : *Non intrabit in eam* (civitatem cœlestem) *aliquid coinquinatum*, Apoc. XXI, 27.

Quæstio est igitur an animæ justæ, ab omnibus peccatis et pœnis peccatorum liberatæ, statim post mortem in beatitudinem cœlestem admittantur.

In primo Ecclesiæ sæculo, plures Christiani ex Judæis conversi, et adhuc semijudæi, magnifica Prophetarum promissa de futura Judæorum felicitate in nova Jurusa-

lem percipienda sensu carnali intelligentes, finxerunt 1° post Antichristi adventum et omnium nationum destructionem, primam faciendam esse mortuorum resurrectionem, sed pro justis tantum ; 2° omnes tunc viventes servandos esse, bonos ad serviendum justis resuscitatis tanquam principibus suis, et malos ut per justos vincerentur; 3° Christum e cœlo in gloria sua descensurum ; 4° urbem Jerusalem et templum ejus iterum ædificanda esse : loca et mensuram eorum assignabant. Urbi et templo sic de novo ædificatis applicabant caput XXI Apocalypsis aliaque mirabilia a Prophetis prædicata, quæ de solo cœlesti regno intelligi debent.

Dicebant Christum gloria fulgentem ibi cum sanctis suis per mille annos regnaturum, eos centuplo in Evangelio promisso et omni gaudio per hoc temporis spatium repleturum, postea secundam adventuram esse resurrectionem, id est, resurrectionem perversorum, deinde judicium universale, et tandem æternam bonorum et malorum separationem.

Multi hisce fabulis adhæserunt et a fictitio mille annorum regno vocati sunt *Millenarii*. In duas classes dividuntur : alii, post Cerinthum, primum illius erroris auctorem, referente Eusebio, Hist. l. 3, cap. 28, volebant tempus mille annorum in splendidioribus epulis et in aliis corporis voluptatibus traducendum esse : alii vero, cum Papia, episcopo Hierapolitano et S. Polycarpi amico, non nisi puras in hoc regno degustandas esse delicias æstimabant ; Euseb., l. 3, cap. 39. Præcipue nitebantur his Apocalypsis verbis, XX, 6 : *Et regnabunt cum illo mille annis*. Cum autem Papias familiaris esset S. Polycarpi discipuli B. Joannis, facile præsumebatur eum genuinum dictorum verborum sensum ab ipso Joanne didicisse : hinc multi viri docti et pii huic sententiæ adhæserunt, inter quos S. Justinus, S. Irenæus, Tertullianus, Lactantius, S. Sulpitius Severus, etc., qui tamen non existimabant beatitudinem animabus justorum ante hoc tempus denegari. Non fuerunt hæretici, quia Ecclesia nihil adhuc circa hoc punctum definierat. Hunc errorem amplexi

sunt Montanistæ, Marcionitæ et præsertim Apollinaristæ.

Contra Millenarios, qui ultra quintum sæculum non exstiterunt, scripserunt Origenes, S. Dionysius Alexandrinus, S. Ephrem, S. Greg. Naz., S. Basilius, S. Hieronymus, S. Aug., etc.

Alii autem, fictitium regnum mille annorum rejicientes, putaverunt tamen animas sanctorum non nisi post resurrectionem corporum, visione Dei intuitiva donandas esse : sic Novatianus, Vigilantius et nonnulli Græci, ut patet ex concil. Florent. *Labbe,* t. XIII.

Hanc sententiam docuisse Joannem XXII multi contendunt : alii vero dicunt eum illi tantum favisse, vel rationes duntaxat pro utraque sententia exposuisse. Lutherus, Calvinus, Socinius, *Burnet* sententiæ isti adhæserunt. *Priesthley,* longius procedens, existimavit animas corporibus non superesse, sed cum eis vitam recuperaturas esse.

PROPOSITIO.

Animæ justorum, quibus nihil expiandum superest, visione Dei intuitiva statim post mortem fruuntur.

Prob. Illa propositio admittenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus et ratione : atqui talis est popositio nostra.

1° *Est de fide;* definita enim fuit in concilio Lugdunensi II, anno 1274, his verbis, *Labbe,* t. XI, part. 1 : « Credimus illorum animas, qui post sacrum baptisma » susceptum, nullam omnino peccati maculam incurre- » runt; illas etiam quæ post contractam peccati macu- » lam, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exu- » tæ, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi. » Et concil. Florent. cui Græci et Latini aderant, sicut concil. Lugd. præfatam definitionem approbavit, addens, « intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est. » *Labbe,* t. XIII. Ergo 1°.

2° *Probatur Scriptura sacra.* II Cor. v, 6 : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus et non per speciem); audemus tamen, et bonam volun-*

tatem habemus magis peregninari a corpore et præsentes esse ad Dominum. Unde sic : Qui exuuntur corpore, Deum amplius non vident per fidem, sed per speciem, et sic præsentes sunt ad Dominum, supposito quod nihil in ipsis remaneat luendum : atqui hoc est Deum videre intuitive : ergo 2°.

Eodem sensu dixit Apostolus, Philip. I, 23 : *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo ;* si persuasum habuisset animas justorum visione intuitiva non statim potituras esse, non ita locutus fuisset. Ergo 2°.

3° *SS. Patribus.* S. Cypr., Epist. ad Fortunatum, c. 12 : « Quanta est dignitas et quanta securitas... claudere in momento oculos quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus ! »

S. Greg. Magnus, l. 35 Moralium, cap. 14 : « Ante resurrectionem sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur ; in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt. »

Innumeri alii citari possent textus, ut videre est apud magnos auctores. Patres etiam antiquissimi, ut Tertull. et S. Cyprian., inducebant fideles ad persecutiones fortiter sustinendas spe gloriæ in altero mundo statim obtinendæ; eam statuebant differentiam inter sanctos ante et post Christum, quod priores beatitudinem exspectabant, non posteriores. Si quandoque locuti sunt de gloria post ultimum judicium distribuenda, id intelligendum est de gloria accidentali, ex resurrectione corporis, ex manifestatione retributionis proveniente. Ergo 3°, etc.

4° *Ratione.* 1° In orationibus Ecclesiæ sæpe supponitur justos quorum festa celebrantur, visione intuitiva Dei jam gaudere ; 2° sic omnes fideles credunt, sicque pastores docent ; 3° qui cum peccatis decedunt, statim in infernum vel in purgatorium conjiciuntur ; cur sancti ab omnibus peccatorum reliquiis purgati a beatitudine cœlesti per aliquod tempus excluderentur ? Ergo 4°, etc., aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. In suprema die judicii Christus dicet justis, Matth. xxv, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi :* ergo ante hunc diem in regnum cœlorum nondum erunt ingressi.

R. Nego conseq. Nam ibi agitur de solemni sententia coram cunctis hominibus resuscitatis pronuntiata : porro hæc sententia non excludit priorem in singulari judicio latam per quam animæ justæ ad visionem intuitivam statim admittuntur. Reprobi statim post mortem damnantur, et tamen in ultimo judicio ipsis publice dicetur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Ergo.

Inst. Dæmones nondum sunt in abysso, ex his verbis apud Lucam relatis, viii, 31 : *Rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent* : ergo nec damnati, ac proinde nec justi in cœlo.

Nego ant. Nam *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos,* II Petr. ii, 4. Si autem per varias regiones divagare, per aera volitare adhuc possunt dæmones, propria secum deferunt tormenta : attamen minus cruciari videntur quam in abysso, et ideo diem judicii reformidantes dicebant Christo : *Venisti ante tempus torquere nos ?* Matth. viii, 29 : ergo dici non potest reprobos, etc.

Obj. 2°. B. Paulus dicit, II Tim. iv, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex :* ergo hanc coronam ante diem supremi judicii non erat suscepturus.

R. Nego conseq. Dies enim, de quo hic loquitur Apostolus, non est dies ultimi judicii, sed dies judicii particularis statim post mortem exstituri, quem instare arbitrabatur, ut ipse ait eodem capite, v. 6, dicens : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat :* porro in hac interpretatione, quæ genuina est, nihil est quod Millenariorum opinionem juvet.

Obj. 3°. B. Joannes, in Apocalypsi, xx, 6, ait : *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima ; in his*

secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis : at illa verba opinionem Millenariorum evidenter continent. Ergo.

R. Nego min. Nam in initio hujus capitis legitur Angelum Dei Satanam apprehendisse, eum in abyssum misisse, clausisse et signasse, donec consummentur mille anni, et post hoc illum modico tempore solvendum esse, quod explicant interpretes de potestate diaboli per adventum Christi coercita usque ad regnum Antichristi : totum hoc spatium, videlicet a Christo usque ad regnum Antichristi, per mille annos exprimitur; numerus mille pro multis annis ponitur, ut in his, I Paralip. XVI, 15, verbis : *Recordamini in sempiternum pacti ejus, sermonis quem præcepit in mille generationes;* quod sic advertit S. Aug. de Civitate Dei, lib. 20, cap. 7, n. 2 : « Aut certe » mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut » perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. » Porro præfatus textus sic intellectus Millenariis adversatur, nedum ipsis faveat : ergo.

Obj. 4°. Summus Pontifex Joannes XXII expresse docuit animas Sanctorum Deum non esse visuras ante resurrectionem generalem. Ergo.

R. 1°. Negari potest antecedens : plures enim contendunt Joannem XXII huic opinioni tantum favisse, vel ejus rationes exposuisse, uti diximus.

R. 2°. *Dist. ant.* Docuit ut privatus doctor, *conc.;* ut caput Ecclesiæ, *nego ant. :* videtur enim illum Pontificem hanc opinionem in sermone publico et in nonnullis collocutionibus privatis emisisse eique pluries favisse : sed nihil unquam in illa definiit ut Pontifex; imo morti proximus eam solemniter revocavit, ut videre est apud *Fleury*, l. 94, n. 34. Ergo.

Cæterum, observare juvat justos felicitate sub omni respectu perfecta non potituros esse ante resurrectionem, quia eo tempore tantum erunt beati in corpore et in anima. Eo sensu intelligenda sunt plurima SS. Patrum testimonia quæ objici solent.

§ III. — Quæ sunt proprietates visionis intuitivæ.

Plures quæstiones nullius utilitatis et valde subtiles hic olim agitabant scholastici : nos vero quædam tantum breviter exponemus.

1° Talis est illa visio ut oculis corporis communicari non possit ; Deus enim est invisibilis ; eum *nullus hominum vidit, nec videre potest*, id est, sub sensibus cadere nequit : hæc veritas a nemine negatur. Si autem Job dixerit se in carne sua Deum visurum esse, id intelligendum est de visione Christi simul Dei et hominis, quod indicant verba præcedentia, *Scio quod Redemptor meus vivit*, XIX, 25 ; vel de visione qua mens carni post resurrectionem unita Deum conspectura est.

2° Conveniunt theologi mentem humanam aliquo indigere Dei auxilio speciali eam elevante et visionis intuitivæ capacem reddente : auxilium istud vocant lumen gloriæ, juxta hæc Ps. XXXV, 9, verba : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos ; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*. De natura autem luminis hujus incassum disputant theologi. Juxta Thomistas est qualitas creata per modum habitus animæ beatæ inhærens. Secundum Scotistas, est ipsa charitas in qua justi decedunt et cujus ope fiunt divinæ naturæ consortes. P. *Thomassin* vult esse Spiritus sancti hypostasim mentes beatorum illustrantem. P. *Petau* contendit esse Deum mentibus beatorum immediate conjunctum, quod fere in idem recidere videtur. Item notat meritos veteres potius de re ipsa visioni objecta quam de potentia visionis efficiente locutos fuisse.

3° Beati in cœlo vident essentiam divinam cum suis attributis absolutis et relativis, alioquin non verificarentur hæc B. Joannis verba, *videbimus eum secuti est*, vel alia concilii Florentini definientis, *Deum unum et trinum a beatis videri sicuti est*. Non tamen divinam essentiam adæquate comprehendunt, quia sola facultas infinita eam comprehendere potest ; nec pariter, propter eamdem rationem, cuncta possibilia secundum omnes habitudi-

nes eorum et modos intelligere possunt : at non dubitandum quin multa possibilia, et forsitan omnia creata simul videant cum Deo, licet modum quo hæc apprehendant exponere non valeamus : dicemus tantum cum S. Gregorio Magno, Dial. lib. 4, cap. 33 : « Quid est quod » ibi nesciant, ubi omnia scientem sciunt ? »

4° Non cognoscunt futura libera ; nam ex Marc. XIII, 32, diem judicii non cognoscunt : *De die autem vel hora* (judicii) *nemo scit, neque Angelus in cœlo*, etc.; ergo *a fortiori* neque sancti. Unde probabile est eos non cognoscere ab initio preces ad se fundendas, sed solum eo tempore quo reipsa funduntur.

5° Lucida hæc visio Dei esse non potest sine amore ei proportionato, qui a theologis vocatur fruitivus, quia mens amplius non desiderat, sed plene fruitur objecto amato, et sine ulla formidine illud per quamcumque causam amittendi. Hinc perfecta quies et torrens voluptatis nascitur, ut ait Propheta.

An beatitudo formaliter spectata consistat in visione intuitiva, ab amore et fruitione Dei præcisa, an vero hæc omnia conjunctim sumpta beatitudinem formalem constituant, subtiliter disputant theologi. Vide in hanc disputationem *Billuart*.

6° Non tamen pro omnibus æqualis est summa hæc beatitudo, sed varia est in infinitum et singulorum meritis proportionata ; nam Christus dicit, Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt :* huic doctrinæ tota universalis Ecclesiæ concinit traditio. Nihilominus omnes eamdem, quoad substantiam, suscipiunt mercedem significatam per denarium quod parterfamilias æqualiter dat omnibus in vinea sua inæqualiter laborantibus, scilicet, vitam æternam quæ innumeros gloriæ et beatitudinis gradus habere potest : qui minus glorificatur, nulla percellitur invidia erga eos qui in excellentiori gradu constituuntur. Omnes Deum vident et quidem totum, sed non totaliter ; cum in eo infinitæ sint perfectiones, eas plus minusve, juxta merita et donum Dei, contemplantur. Comperiunt omnes se juxta propria merita ac-

cepisse ; satiantur et æterna quiete fruuntur. Unde S. Aug. de Civitate Dei, l. 22, cap. 30 : « Ipse finis erit desiderorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio » amabitur, sine fatigatione laudabitur. » Sæpe ergo tantam felicitatem nobis destinatam considerantes, dicamus Deo cum Psalmista, Ps. XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

7° Beati in cœlo sunt impeccabiles ; nam 1° ita docent omnes SS. Patres omnesque doctores ; 2° peccare non possent nisi a Deo viso et eos beatificante divertendo : atqui nulla ipsis occurrere potest ratio, sive realis, sive apparens, ut se a Deo sic avertant : non realis, *ut patet ;* non apparens, quia in pleno lumine quo perfruuntur, nulla est obscuritas, nulla falsitas, nulla illusio : ergo.

Hæc autem impeccabilitas oritur ab intrinseco, juxta Thomistas, id est, ab ipsa visione intuitiva quæ omnem intellectus ignorantiam et voluntatis deordinationem excludit : vel ab extrinseco tantum, juxta Scotistas, scilicet, speciali bonitatis Dei assistentia, ita ut, ea seclusa, sancti absolute peccare possent, non obstante visione beatifica.

ARTICULUS TERTIUS.

DE BEATITUDINE CORPORIS.

Quæ sit conditio corporis in præsenti vita non ambigitur. Certum est illud, in punitionem peccati, multis repletum esse miseriis, et, post vices diversas, dissolvi ac in pulverem redigi, juxta sententiam a Deo in Adamum et posteros ejus sic latam, Gen. III, 19 : *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Petitur an e terra sit aliquando surrecturum et gloria sibi propria donandum. Negarunt olim Sadducæi apud Judæos ; ut patet ex Actibus Apostolorum, XXIII, 8 ; *Marcion, Basilides* et quidam veteres hæretici, apud Christianos, et etiam nunc negant quotquot sunt impii et athei. Nobis dicendum est 1° de resurrectione generali, et 2° de qualitatibus corporum resurrectorum.

§ I. — De resurrectione generali.

PROPOSITIO.

Corpora mortuorum aliquando resurrectura sunt.

Prob. Hæc propositio admittenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, traditione et ratione : atqui talis est propositio nostra.

1° *Est de fide*, clare enim in Symbolis fidei nostræ exprimitur, nempe in Symbolo Apostolorum : *Credo carnis resurrectionem;* in Symbolo Constantinopolitano : *Et exspecto resurrectionem mortuorum;* et Symbolo S. Athanasii : *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra.* Job. XIX, 25 : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* Plures rationalistæ germani contenderunt hunc textum intelligendum esse de restitutione Job in primum statum a quo exciderat. Verum ipse *Rosenmuller* invincibiliter eos confutat ex naturali sensu verborum et ex toto contextu.

Isai. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere.*

Daniel, XII, 2 : *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.* Vox *multi* sumitur pro omnibus qui sunt multi, ut Rom. V, 19 : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi,* id est omnes, qui, præ numero, sunt multi : vox ista plus dicit quam omnes, quia omnes non semper efficiunt multos, v. g., omnes filii patris hæreditatem ejus per portiones æquales divident : possunt non esse multi.

Matth. XXII, 29 : *Respondens Jesus, ait illis : Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei : in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis?... Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob,*

I Cor. xv, 12 : *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Totum legatur caput. Cum hæc veritas creditu sit difficilis, clarissime Deus eam revelare voluit. Nullatenus igitur admitti potest, cum *Weischeider, de Wette* aliisque rationalistis, omnes textus resurrectionem carnis exprimentes, sensu metaphorico intelligendos esse; alioquin tota subverteretur Scriptura. Ergo 2°.

3° *Ex SS. Patribus.* S. Polycarpus, apud Euseb., Hist. lib. 2, cap. 15, Deum ante martyrium suum orans, ait : « Benedico te, qui me in hunc diem et ad horam hanc » perducere dignatus es, ut partem caperem in consortium » martyrum et in calice Christi tui, in resurrectionem » vitæ æternæ, animæ et simul corporis incorruptione » Spiritus sancti. »

S. Just., Apol. n. 17 : « Eodem modo, quia nondum » vidistis mortuum ad vitam revocatum, increduli estis : » sed quemadmodum nunquam credidissetis tales vos... » fieri posse, et tamen factos videtis, eodem modo fieri » posse existimate, ut dissoluta hominum corpora, et » instar seminum in terram resoluta, Dei jussu, certo » tempore resurgant et incorruptionem induant. »

Athenagoras et Tertull. ex professo futuram esse corporum resurrectionem in specialibus libris probant.

S. Aug., Serm. 241, n. 1 : « Propria fides est Christia» norum resurrectio mortuorum. » Sic omnes alii Patres. Ergo.

4° *Ratione.* 1° Totus homo debet esse beatus vel reprobus, non vero pars hominis : atqui totus homo non esset, etc., si corpora non resurgerent. 2° Nihil facit anima in terra sine carne; corpus est consors et instrumentum meriti aut demeriti : ergo mercedis vel opprobrii debet esse particeps. « Ita caro dum ministra et famula animæ » deputatur, consors et cohæres invenitur, si tempora-

» lium, cur non æternorum? » inquit *Tertull.*, l. de Resurrectione carnis, c. 8. 3° Ideo increduli resurrectionem negant, quia reputant eam impossibilem; sed, « utique » idoneus est reficere qui fecit; quanto plus est fecisse » quam refecisse, initium dedisse quam reddidisse : ita » restitutionem carnis faciliorem credas institutione; » *Tertull.*, ibid. Ubi Deus intervenit, serio objici non potest resurrectionis impossibilitas. Moleculæ enim materiales, ex quibus corpora humana coalescunt, dividuntur, sed non pereunt. Etsi quædam in elementa aliorum corporum transeant, cum corpora pluribus annis viventia identidem mutatione insensibili renoventur, Deus semper habebit unde ea reconstituat completa, quoquo modo id faciat. Varia quæ excogitata fuerunt systemata ad modum futuræ resurrectionis explicandum, non referemus, et multo minus defendere conabimur. Ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

SCHOLIUM.

Non solum justi, sed impii resurgent. Nam 1° textus sive Scripturæ, sive Symbolorum, sive Patrum, allati, sunt generales, et supponunt omnes defunctos esse surrecturos. 2° Hoc expresse dicit Christus, Joan. v, 25 : *Venit hora et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent,.. Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

Sic pariter B. Paulus, I Cor. xv, 51 : *Ecce mysterium vobis dico : omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

Unde, si in aliis quibusdam Scripturæ textibus aliqua videatur obscuritas, per clarissima hujusmodi testimonia tollenda est. Hinc 1° hæc Ps. I, 5, verba, *non resurgent impii in judicio,* significant impios non eodem modo ac justos esse resurrecturos, et ideo addit Psalmista, *neque peccatores in concilio justorum,* et in textu hebraico habetur, juxta interpretes, *impii non stabunt in judicio,* id est,

causam suam sustinere non poterunt. 2° Hæc alia Psalmi CXIII, 17, verba, *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum,* eo sensu intelligenda sunt, quod mortui Deum in cœtibus viventium non sint laudaturi, sacrificium laudis ipsi offerentes in terra. 3° Si Ecclesiastes dixerit, III, 19, *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio : sicut moritur homo, sic et illa moriuntur,* hoc solum exprimere voluit, scilicet, æqualem esse hominis et jumenti conditionem quoad vitam præsentem et corporis dissolutionem.

§ II. — De qualitatibus corporum resurrectorum.

Quædam qualitates erunt communes beatis et reprobis : aliæ speciales beatis, et aliæ reprobis.

Qualitates corporibus beatorum et reproborum communes.

Omnes resurgent incorrupti, in eadem carne, in eodem sexu, et probabiliter in perfecta ætate ac statura. .

1° *Incorrupti,* ut expresse dicit Apostolus, I Corinth. XV, 52 : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* Unde leges quibus regitur materia omnino erunt mutatæ, saltem respectu corporum nostrorum.

2° *Resurgent in eadem carne.* Nam 1° Christus, prototypus omnium resurgentium, eamdem assumpsit carnem, cicatrices suorum vulnerum secum reducens, ut ipse dixit Thomæ, Joan. XX, 27 : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus.* 2° In Symbolo Apostolorum dicitur : Credo *carnis resurrectionem ;* si autem mortui eamdem non habituri essent carnem, hæc verba non essent accurata, *ut patet.* 3° Idem non reficeretur homo, sed alius formaretur, siquidem ex anima et corpore coalescit : ergo ipsa vox *resurrectio* eamdem futuram esse carnem supponit.

Cum humanum corpus partes amittat et novas quotidie acquirat, ita ut insensibiliter et tamen realiter sæpe renovetur in longa vita, non omnes quæ sibi propriæ fuerunt partes in resurrectione habebit, alioquin foret mons-

truosum, sed tantum eas quæ ipsi ad justam proportionem necessariæ erunt, et probabiliter eas quibus tempore mortis constituebatur.

Moventur tamen difficultates ab incredulis circa eos qui perierunt in mari, combusti sunt in terra, devorati sunt a bestiis vel ab anthropophagis in quorum transierunt corpora, etc. Verum ad hæc sic respondet S. Aug., de Civitate Dei, lib. 22, cap. 20 : « Absit ut ad resuscitanda corpora vitæque reddenda non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quæ vel bestiæ, vel ignis assumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum : absit ut sinus ullus secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. » Ergo.

3° *Resurgent in eodem sexu*, idque affirmatur contra nonnullos, qui his ad Eph. IV, 13, verbis fulti, *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum*, arbitrati sunt mulieres non resuscitandas esse in proprio sexu, sed in viros vertendas; nam 1° mortui resurgent in eodem corpore : at mulieres non resurgerent in eodem corpore, si talem subirent mutationem. 2° Sic docuerunt Tertull. lib. de Resurrect., cap. 60; S. Hieron., Epist. 86 ad Eustochium; S. Aug., de Civit. Dei, l. 22, c. 17 : « Sed mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa : nam priusquam peccassent nudi erant, et non confundebantur vir et femina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur. »

In textu autem Epistolæ ad Eph. Apostolus non loquitur de resurrectione mortuorum, sed de renovatione spirituali quæ per fidem et charitatem fit in hac vita, ita ut non simus infantes fluctuantes, sed viri perfecti in fide et charitate stantes. Ergo.

Cætera pariter habebimus membra, in statu perfecto constituta, potestatem et non necessitatem officia propria

exercendi habitura, ut stomachum, viscera, etc. Sic, ex professo, docet Tertullianus in loco citato.

4° *Probabile est mortuos suscitandos esse in ætate et statura perfecta*, videlicet circa ætatem triginta annorum et in statura communi, quæ simul a nimia exiguitate et a monstruosa magnitudine recedat : sola ratio est quia primi parentes nostri, ex narratione Genesis, in ea ætate creati fuisse videntur, sicut arbores creatæ sunt cum fructibus; præsumitur autem Deum corpora ad dissolutionem propter peccatum damnata reformantem, ea in primo statu restituturum. Ita passim docent SS. Patres, et in primis S. Aug., de Civitate Dei, lib. 22, cap. 14 : « Quid ergo de » infantibus dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrec- » turi sunt corporis exiguitate qua mortui, sed quod eis » tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere » miro atque celerrimo recepturi. »

Non inferendum est tamen omnia corpora futura omnino similia : poterunt inter se eodem modo differre, quo viri, inter triginta et quadraginta annos nati, bene constituti, a se invicem discrepant.

Cæterum, cum revelatio divina in hoc puncto sileat, nihil definire possumus, sed tantum præsumere.

Quæritur an homines qui tempore ultimi adventus Christi reperientur vivi, sint morituri, deinde resurrecturi.

R. affirmative; quia 1° *statutum est hominibus semel mori*, Hebr. IX, 27; 2° mors est pœna peccati originalis omnibus qui peccaverunt in Adamo inflicta : ergo nullus ab illa eximendus est. Sed quoniam qui tunc vivent per breve tempus erunt mortui, dicitur de Christo : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.*

Omnes, *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba* resurgent, non vero alii ante alios; et si Apostolus dicat, I Thess. IV, 15, *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus,* intervallum temporis significare non vult, sed dicere tunc viventes pariter resurrecturos, sicut prius mortuos, et ideo addit : *Omnes simul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Christo in aera, et*

sic semper cum Domino erimus. Unde videtur eum de solis electis hic loqui.

Qualitates corporibus beatorum propriæ.

Quatuor numerari solent, scilicet impassibilitas, claritas, agilitas et subtilitas, quæ ex B. Paulo, I Cor. xv, 42 et seq. eruuntur; hæc sunt verba Apostoli: *Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione; surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

1° *Impassibilitas,* quæ his verbis exprimitur : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; oportet enim,* inquit idem Apostolus, ibid. 53, *corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Corpus autem incorruptibile et immortale, omnis incommodi, doloris, dissolutionis vel cujusque alterationis expers esse debet. Unde B. Joannes, in Apocalypsi, xxi, 4: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Ergo 1°.

2° *Claritas,* his verbis expressa: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria;* præiverat Sap. iii, 7: *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent;* et Daniel, xii, 3: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti.* Idem habet Christus, Matth. xiii, 43. Hinc Apostolus, I Cor. xv, 41 : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum.* Ergo corpora beatorum erunt gloriosa, sicut corpus Christi fulgens apparuit in transfiguratione, et inæqualiter fulgebunt juxta merita, sicut animæ inæqualiter Deum vident; ex anima enim in corpus gloriam redundare docent theologi. Ergo 2°.

3° *Agilitas,* sic a B. Paulo enuntiata : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute,* in eo consistit, ut corpus ab uno loco in alium facile transire possit, nec gravitate aut pondere carnis impediatur; non tamen sic transire potest

sine medio, ut quidam scholastici somniarunt. Quo intervallo corpus glorificatum ab uno loco in alium, vel per alium transmeare possit, quo in loco ponendum sit, nescimus, nec ullo modo in præsenti vita cognoscere valemus. Hanc vero dotem habitura esse beatorum corpora colligitur ex verbis Apostoli citatis, et ex his aliis, I Thess. IV, 16: *Simul rapiemur,* etc. Ergo 3°.

4° *Subtilitas,* quæ ex his verbis repetitur : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale;* id est corpus quod in hac vita est durum, crassum et impenetrabile, potu, cibo, somno indigens, fit aliquo modo per resurrectionem ut spiritus, neque esuriens, neque sitiens, neque somnians, et tantæ tenuitatis ut alia corpora possit penetrare, sicut lumen trajicit vitrum, et melius, sicut Christus, januis clausis, in medio discipulorum subito stabat. Ergo 4°.

Qualitates corporibus reproborum speciales.

Corpora reproborum erunt incorrupta et immortalia, sed quatuor beatorum dotibus destituta : non erunt igitur 1° impassibilia, cum immensis et æternis devovenda sint cruciatibus: *Ibi erit fletus et stridor dentium,* Luc. XIII, 28; 2° non gloriosa; projici debent, e contra, *in tenebras exteriores;* 3° non agilia, *ligatis* enim *manibus et pedibus,* mittendi sunt reprobi *in tenebras exteriores;* 4° non subtilia, siquidem in carcere tenebroso ligari et detineri debent; deformia, crassa et omnibus miseriis repleta existent. Dicamus ergo cum B. Paulo : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

ARTICULUS QUARTUS.

DE RELATIONE ACTUUM NOSTRORUM AD DEUM.

Constat, ex dictis, 1° actus humanos ob finem ultimum necessario fieri; 2° Deum solum esse finem nostrum ultimum : unde sequitur actus nostros deliberatos ad Deum saltem aliquo modo referendos esse, *ut jam in Philosophia morali probavimus.*

Quadruplici modo autem actus nostri referri possunt ad Deum, scilicet, *actualiter, virtualiter, directe et indirecte.*

Referuntur actualiter, quando operamur ex positiva intentione Deum honorandi; referuntur virtualiter, cum vi præcedentis intentionis adhuc moraliter perseverantis, fiunt propter Deum, quamvis inter agendum de illo non cogitemus.

Referuntur directe, quando sive actualiter, sive virtualiter, fiunt immediate propter Deum; referuntur vero indirecte, si non fiant immediate propter Deum, sed propter alium finem bonum et honestum, qui ex natura sua ad Deum tendat. Relatio directa dicitur etiam relatio operantis, et relatio indirecta vocatur relatio operis, quia opus ex se honestum proprio pondere, ut aiunt theologi, refertur ad Deum.

Certum est 1° omnes actus nostros referendos esse ad Deum saltem relatione operis; in hoc quippe relatio ista consistit quod opus sit bonum in se et ob finem honestum fiat : at dubitari non potest quin omne opus deliberatum tale esse debeat : ergo.

Certum est 2° omnes actus nostros sic ad Deum referre non sufficere; constat enim nos teneri saltem aliquando Deum positive honorare per actus fidei, spei, charitatis, religionis, etc.

Opus autem referri potest ad Deum vel ex aliquo motivo supernaturali, id est, per fidem cognito, vel ex motivo naturali.

Certum est 3° opus præmium æternum non mereri nisi fiat saltem virtualiter ex motivo supernaturali, ut ostendimus in Tractatu *de Gratia.*

Ad hoc autem requiritur ut intentio, ex motivo supernaturali formata, non fuerit retractata sive per propositum contrarium, sive per aliam actionem incompatibilem, sive per operis interruptionem, sive per solam cessationem. Unde propositum frequenter et saltem quotidie renovari debet, ut intentio virtualiter perseverare censeatur.

Certum est 4° non dari obligationem cuncta opera nostra ad Deum referendi actualiter, sive ex motivo supernatu-

rali, sive ex motivo naturali, quia tantæ attentionis homo non est capax.

Restat igitur examinandum ex quo motivo actus nostri referendi sint ad Deum ut non sint peccaminosi.

Joannes *Hus*, et post eum Lutherus et Baius docuerunt hominem in peccato mortali constitutum, agere non posse sine peccato, ac proinde omnes actus ejus tot esse peccata, ex quocumque motivo fierent.

Jansenistæ et Quesnellistæ volunt omnes actus qui non referuntur ad Deum propter se dilectum, seu non fiunt ex motivo charitatis perfectæ vel imperfectæ, saltem inchoatæ et supernaturalis, necessario esse peccaminosos.

Lovanienses, qui a Jansenistis non satis aliquando dissensisse videntur, dixerunt defectu relationis ex charitate saltem initiali procedentis, non opus quidem, sed agentem vitiari, propter negligentiam et omissionem, hocque, sed christianis solum, esse peccatum.

Notandum essentiale dari discrimen inter hæc duo, actus nostros referre ad Deum propter se dilectum, et eosdem ad Deum referre tanquam ad finem ultimum; qui enim spe tendit ad Deum, eum requirit tanquam finem ultimum, non vero propter se dilectum.

PROPOSITIO PRIMA.

Non necesse est actus nostros referri ad Deum ex motivo charitatis etiam initialis, proprie dictæ, ut non sint peccaminosi.

Prob. concilio Trid., auctoritate pontificum Romanorum, Facultatis Parisiensis, et ratione.

1° *Concilium Trid.*, sess. 14, cap. 4, docet attritionem, ex consideratione turpitudinis peccati vel ex metu gehennæ conceptam, esse donum Spiritus sancti hominemque ad obtinendam justificationem præparare : atqui talis attritio non elicitur ex charitate etiam imperfecta, nec tamen est peccatum, *ut patet*. Idem concilium definit contra Lutherum, sess. 6, can. 8, metum gehennæ non esse peccatum. Ergo 1°.

2° *Auctoritate Romanorum pontificum,* nempe Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, qui hanc Baii propositionem, n. 27, damnaverunt : « Liberum arbitrium sine » gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet ; » et hanc alteram, n. 16 : « Non est vera obedientia quæ fit » sine charitate. » Item Alexandri VII, qui sequentem pariter damnavit propositionem : « Omne quod non est ex » fide christiana supernaturali, peccatum est. » Certe quod fit sine fide et sine gratia, non fit ex charitate. Ergo 2°.

3° *Auctoritate Facultatis Parisiensis* quæ, anno 1560, sequentem propositionem notavit ut hæreticam : « Libe- » rum arbitrium ex se non potest nisi peccare, et omne » opus liberi arbitrii sibi dimissi, est peccatum mortale » vel veniale. » Ergo *a fortiori* omne opus sine charitate factum non est peccatum. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Si opus sine charitate factum necessario vitiosum esset, inde sequeretur 1° actus fidei, spei, religionis, justitiæ, ex proprio illarum virtutum motivo elicitos, tot esse peccata ; 2° unicam in stricto sensu esse virtutem, cum virtutes ex motivo specificentur ; 3° amorem honesti in se spectati, v. g., castitatis, esse vitiosum ; 4° cuncta infidelium opera esse peccata : atqui hæc omnia sunt absurda : ergo. *Vide quæ diximus in Tractatu de Gratia,* probando opus bonum morale sine charitate et sine fide fieri posse.

Dices : Qui non implet maximum Dei mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc., Luc. x, 27, peccat : at qui omnes actus suos non refert ad Deum ex charitate saltem imperfecta, maximum hoc Dei mandatum non implet, cum, ex S. Thoma, 1 2, q. 100, art. 10, ad 2, ad præceptum charitatis pertineat *ut omnia referantur ad Deum.* Ergo, etc.

R. 1°. Maximum Dei mandatum non impletur nisi per charitatem perfectam : ergo si vi illius mandati omnes actus humani ad Deum referendi essent, omnes ex charitate perfecta referri deberent, quod tamen non admittunt Jansenistæ. Nimis igitur probat ista objectio, ac proinde nihil probat.

R. 2°. *Dist. min.* Qui omnes actus suos, etc., mandatum Dei non implet, si mandatum urgeat, *conc.*; si mandatum non urgeat, *nego min.* Etenim mandatum diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, etc., est affirmativum; at præceptum affirmativum obligat quidem semper, eo sensu quod nullum sit tempus in quo non existat; sed non obligat pro semper, ita ut actus præscriptos singulis momentis exercere teneamur. Unde aliquando tenemur omnes actus nostros ad Deum ex præcepto charitatis referre, sed non pro semper. Ergo.

Ipse S. Thomas, ab adversariis objectus, addit in loco citato, loquens de præcepto charitatis et de præcepto honorandi parentes : « Cum ista sint duo præcepta affirma» tiva, non obligantia ad semper, possunt pro diversis » temporibus non obligare. » Ergo.

Non tamen concludatur, ex dictis, nos Deum perfecte diligere non semper teneri ; tenemur enim in gratia sanctificante permanere : gratia autem sanctificans charitatem perfectam habitualem includit : ergo tenemur Deum charitate perfecta habituali semper diligere, licet ex illa semper agere non teneamur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Neque necesse est actus nostros referre ad Deum ex aliquo motivo supernaturali ad hoc ut non sint peccaminosi, sed sufficit agere ex motivo bono naturali, nisi præceptum supernaturale hic et nunc urgeat.

Prob. Hæc propositio, jam enuntiata *in Philosophia*, fusius probatur in Tractatu *de Gratia*, ex Scriptura sacra, auctoritate summorum Pontificum, testimonio S. Aug. et ratione : ad hæc argumenta et ad solutionem objectorum ibi propositorum remittimus.

CAPUT TERTIUM.

DE MORALITATE ACTIONUM HUMANARUM.

Certum est essentiale dari discrimen inter bonum et malum morale, *ut probavimus in tertia parte Philosophiæ*.

Duplex est species moralitatis actionum humanarum, bonitas scilicet et malitia. Bonitas est earum conformitas cum principiis legis æternæ, malitia vero est earumdem difformitas cum dictis principiis. Sic apprehendunt omnes.

Omnis actio quæ in aliquo puncto deficit a principiis in lege æterna fundatis, mala est. Hinc duo prodierunt axiomata in scientia morali notissima: *Bonum ex integra causa; malum ex quocumque defectu.*

Docent philosophi et theologi bonitatem actuum humanorum esse quid positivum, quo mens perficitur; verum subtilissime olim disputatum est in scholis circa naturam malitiæ moralis formaliter sumptæ, ut dicemus in Tractatu *de Peccatis*, cap. 1.

Duo hic nobis inquirenda sunt, videlicet 1° an omnis actus humanus ita sit bonus vel malus, ut nullus sit indifferens, et 2° undenam bonitas vel malitia actuum humanorum repetenda sit.

ARTICULUS PRIMUS.

AN OMNIS ACTUS HUMANIS ITA SIT BONUS VEL MALUS, UT NULLUS SIT INDIFFERENS.

Duplici modo considerari possunt actiones humanæ, scilicet in specie et in individuo: in specie, quando a fine et circumstantiis abstrahitur, solumque spectatur objectum, v. g., locutio, risus, ambulatio, etc.; in individuo autem, si actus specialis cum fine et cunctis circumstantiis suis spectetur.

Certum est 1° dari actus indifferentes in specie, v. g.,

deambulationem, quæ bona vel mala esse potest, juxta circumstantias et finem.

Certum est 2° multos existere actus indifferentes in individuo relative ad præmia et supplicia alterius vitæ : soli enim actus supernaturales cœlestibus præmiis digni erunt, et sola peccata pœnis a justitia Dei inflictis subjacebunt : inter hos et illa remanent actus naturaliter boni, qui nec præmia, nec supplicia merentur. Ergo.

Quæstio est igitur an dari possit actus in individuo spectatus, qui nec bonus sit naturaliter, nec malus, sed indifferens ; affirmant Scotistæ, negant Thomistæ.

PROPOSITIO.

Non datur actus humanus indifferens in individuo.

Prob. 1° auctoritate S. Aug., de Peccatorum meritis et remiss., lib. 2, cap. 18, n. 30 : « Quanquam voluntas » mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut » nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, » et bona est ; et si magis diligimus, magis bona ; si mi- » nus, minus bona est ; aut si omnino non diligimus, non » bona est. » Actio procedit a voluntate : ergo sicut voluntas in individuo non est indifferens, ita nec actio indifferens esse potest. Idem S. Doctor asserit, Epist. 82, n. 13, non dari medium inter *recte factum et peccatum.* Ergo 1°.

2° *Ratione.* 1° Vel quælibet actio fœditate commaculatur, vel non : si prius, mala est : si posterius, saltem naturaliter bona est. 2° Homo necessario agit propter finem ultimum, *ut diximus ;* omnis igitur actus in individuo ad finem ultimum refertur. Atqui talis actus indifferens esse non potest ; duplex enim tantum assignari potest finis ultimus, scilicet Deus et creatura : si actus saltem relatione operis referatur ad Deum tanquam finem ultimum, erit bonus ; si ad creaturam, erit malus. Ergo.

Dices 1° : Concilium Const. sequentem damnavit propositionem Joannis *Hus :* « Nulla sunt opera indifferen- » tia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum » quod sint virtuosa, vel vitiosa. » Ergo.

R. Nego conseq. Concilium prædictam damnavit propositionem in sensu Joannis *Hus* : atqui Joannes *Hus* eam docebat eo sensu, quod vitiose vitiosus semper agat, et virtuosus semper virtuose : hoc autem evidenter falsum est et merito fuit damnatum, sed ad propositionem nostram non attinet. Ergo.

Dices 2o : Ambulare in horto, flores conspicere vel olfactare, sputa ejicere, naturam sublevare, etc., non sunt actus mali in se : attamen non referuntur ad Deum. Ergo sunt indifferentes.

R. Nego min. Vel enim illi actus fiunt juxta dictamen rationis, modo naturæ nostræ congruenti, et proprio pondere ad divinum naturæ auctorem referuntur : in ea hypothesi naturaliter sunt boni. Vel ex fine inhonesto aut ex aliqua mala circumstantia vitiantur, et tunc mali sunt. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

UNDENAM MORALITAS ACTUUM HUMANORUM DESUMENDA SIT.

In omni actu humano tria distingui possunt, nempe objectum, finis et circumstantiæ.

Objectum est res ipsa circa quam voluntas versatur, v. g., pecunia in furto, vel alia substantia quæ aufertur. Duplici modo considerari potest objectum, scilicet physice et moraliter : consideratur physice quando spectatur quoad suas partes constitutivas ; consideratur vero moraliter, si attendatur quatenus regulis morum est subjectum, id est, præceptum, prohibitum vel simpliciter permissum. Evidens est nullam hic moveri posse quæstionem de objecto physice, sed tantum moraliter spectato.

Objectum autem sic consideratum, potest esse essentialiter bonum, ut amor Dei, seu Deus amatus ; vel essentialiter malum, ut mendacium ; vel indifferens in se, ut deambulatio.

Quid et quotuplex sit finis supra diximus, pag. 457.

Circumstantiæ quædam sunt adjuncta sine quibus actio substantialiter existere potest, licet aliquod ex illis

necessario habeat: v. g., furtum, substantialiter sumptum, est rei alienæ injusta ablati oet detentio : verum hæc ablatio est vel rei sacræ vel rei profanæ, fit in loco sacro vel in loco communi, in tali vel in tali quantitate aut valore, ad hunc vel ad illum finem, talibus mediis vel instrumentis, etc. Porro cuncta hæc adjuncta dicuntur circumstantiæ, quia aliquo modo circa principalem actum stant, et ad substantiam ejus non pertinent.

Certum est totam actuum moralitatem, id est bonitatem aut malitiam, in voluntate sitam esse; sed quæstio est unde hæc moralitas desumatur, seu unde actus humani habeant quod sint boni vel mali.

His notatis, sit

PROPOSITIO.

Moralitas actuum humanorum ex objecto, fine et circumstantiis, necessario desumenda est.

Prob. 1° *ex objecto.* Ex eo moralitas actuum humanorum repetenda est, unde habent ut sint boni vel mali, meliores vel pejores : atqui sæpe actus humani habent ex objecto ut sint boni vel mali, meliores vel pejores; multa enim sunt objecta moraliter spectata quæ ex natura sua sunt bona, et alia quæ ex natura sunt mala : porro actus humani, juxta omnes, præsertim ab objecto specificantur : ergo. Unde fornicatio differt ab adulterio, homicidium a parricidio, etc., quia diversa sunt objecta, nec alia ratio discriminis afferri potest : sic pariter humilitas et fortitudo, pietas et misericordia diversæ sunt virtutes, quia diversa specie habent objecta.

Et vero si actus nihil haberent boni aut mali ab objecto, furtum mille nummorum et furtum centum francorum in iisdem circumstantiis et eodem fine facta, essent actus prorsus æquales : hoc autem dici non potest : ergo 1°.

Advertendum autem hanc specificationem aliquando materialem esse tantum; v. g., actus ex objecto malus, ob bonum finem et in bona fide elicitus, est formaliter

bonus, et materialiter tantum malus. Requiritur etiam ut bonitas objecti sit cognita et aliquo modo intenta, ut actus ipse sit bonus.

2° *Ex fine.* Idem de fine ac de objecto institui potest argumentum; sæpe enim ex fine habent actus humani ut sint boni vel mali, meliores vel pejores : sic eleemosyna ob vanam gloriam præstita, ex bona fit mala; mendacium ad seducendam puellam directum, ex malo fit pejus ; actus charitatis ad convertendum inimicum exercitus, ex bono fit melior, etc. Ergo 2°.

Intentio est mala et peccaminosa quando fertur in objectum ratione sui vel circumstantiarum malum, dum malitia ejus noscitur vel nosci potest; nec requiritur ut malitia ipsa intendatur : est e contra bona, quando fertur in objectum bonum vel invincibiliter habitum ut bonum, licet in se malum.

3° *Ex circumstantiis.* Moralitas actuum humanorum ex circumstantiis repetenda est, si ex solis circumstantiis actiones humanæ frequenter sint malæ, pejores, vel meliores : atqui res ita se habet. Sic negotiatio, ex se bona, facta in loco sacro, est mala; opem ferre amico indigenti, optima est actio; sed eadem misericordiæ opera præstare homini ignoto, ingrato, derelicto, vulneribus scaturienti, a quo nulla speranda est consolatio, multo excellentior est actus : furari pecuniæ summam apud divitem, malum est opus; sed multo pejus foret si eadem summa apud miseram viduam subriperetur. Ergo 3°.

Ut ergo de moralitate alicujus actionis certo pronuntietur, sedulo pensandum est quid sit objectum, quis finis et quæ circumstantiæ : si ex aliqua parte vel minimus reperiatur defectus, erit saltem leviter mala; si vero nullum exhibeat vitium, forte non ideo erit virtus, sed cujuscumque mali moralis erit expers, ac proinde saltem naturaliter bona; quia, sicut jam notavimus, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

Quæritur 1° an intentio vel circumstantia venialiter mala, totum corrumpat actum, efficiatque ut sit simpliciter malus.

R. Intentio vel circumstantia venialiter mala, duplici modo actui ex se bono adjungi potest, scilicet *antecedenter* et *concomitanter* : jungitur antecedenter, si in actum tanquam causa influat; v. g., si quis studeat et discat tantum ut videatur doctus : jungitur vero concomitanter, si accedat operi ex se bono, ex fine bono et in bonis circumstantiis incepto ; v. g., aliquis ex zelo gloriæ Dei et in debitis circumstantiis verbum Dei annuntiat, sed ipsi concionanti occurrit cogitatio vanæ gloriæ cui assentit.

In priori casu, totus actus est vitiosus; mala enim intentio vel circumstantia in illius substantiam influit; studium quippe ad vanam gloriam ordinatum, ut in exemplo allato, simpliciter est malum, *ut patet.* Ergo.

In posteriori vero casu, actus non est vitiatus, quia circumstantia venialiter mala illius substantiam non afficit, sed est quid accessorium ; v. g., culpa concionatoris, qui in cogitatione vanæ gloriæ inter concionandum voluntarie se delectat, non impedit quin concio substantialiter sit bona. *Ita omnes theologi.*

Quœritur 2° an idem actus plures bonitatis vel malitiæ species simul habere possit, v. g., unam ex objecto, aliam ex fine, etc.

R. affirmative : nam idem actus pluribus modis cum regulis morum consentire vel ab eis dissentire potest : v. g., qui dat eleemosynam ut peccata sua redimat, duplicem colit virtutem, misericordiam scilicet et pœnitentiam; qui furatur ut vino se inebriet, duplex admittit peccatum, unum contra justitiam et alterum contra temperantiam. Ergo.

Quœritur 3° an actus exterior bonitatem aut malitiam actus interni augeat.

R. 1°. Actus externus bonitatem aut malitiam actus interni per se non auget; nam 1° Scriptura sacra reputat intentionem pro facto, ut videre est in exemplo Abrahami, Gen. XXII, 66 : *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi;* et in his verbis Christi, Matth. V, 28 : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* 2° Idem

docet S. Aug., de Civitate Dei, lib. 16, c. 4 : « Merito ma» lus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. » 3° Sic pariter habent omnes doctores. 4° Hæc sententia sensu communi nititur; omnes quippe dicere solent voluntatem pro facto coram Deo reputari.

Hinc animæ ferventes actus internos sublimiorum virtutum sæpe iterantes, v. g., actus fidei, spei, charitatis, misericordiæ erga pauperes, zeli animarum vel gloriæ Dei, desiderii martyrium subeundi, etc., immensa quotidie acquirunt merita, licet nihil aut parum exterius faciant, quia occasiones ipsis desunt. Contra vero qui pravis cordis sui desideriis indulgent, peccata sua ultra modum multiplicant, etiamsi recte vivere appareant.

R. 2°. Actus externus bonitatem aut malitiam actus interni sæpe auget per accidens; frequenter enim efficit ut actus internus pluries iteretur, vel diutius perseveret, vel ardentior evadat, ob delectationem ex illo provenientem. Unde grates rependere debemus Deo quod occasionem nobis dederit bonum faciendi et occasionem ad actus externos malos perveniendi nobis sustulerit.

Hinc sequitur peccatores actus externos semper declarare in confessione teneri; 1° quia gradum malitiæ internæ melius ostendunt; 2° quia alioquin totus non manifestaretur actus; 3° quia actus externus generat scandalum, proximum lædit, obligationem restituendi, famam aut honorem reparandi inducit, in censuram, irregularitatem aut reservationem conjicit, etc.

Nec obstat quod actus externi, furtum scilicet et mœchia, præceptis sexto et septimo Decalogi, et iidem actus interni præceptis nono et decimo prohiberi videantur, id enim ea intentione non factum est ut ostendatur actum externum malitiam actus interni augere, et illos actus esse speciei diversæ, sed ut perfectio legis divinæ magis elucescat, et ne homines ad sensus nimis proclives sibi persuaderent se præcepta non mœchandi et non furandi sufficienter impleturos, si ab actibus externis abstinerent.

FINIS TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS

DE CONSCIENTIA.

Conscientia est cordis scientia, ait S. Bernardus, Tract. de Interiori domo : idem sonat ac sui scientia, et definitur : *Judicium practicum, dictans quid nobis in particulari sit agendum vel omittendum, aut quid agi vel omitti debuisset.* Differt ergo ab intellectu morali quo judicatur quid in speculatione sit bonum vel malum et vocatur *Synderesis,* S. Th. 1ª part., q. 70, art. 12.

Conscientia præcipue dividitur 1° in veram et falsam; 2° in certam et dubiam; 3° in latam et scrupulosam; 4° in probabilem et improbabilem. De his in quatuor capitibus dicturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

DE CONSCIENTIA VERA ET FALSA.

Conscientia vera ea est quæ dictat aliquid in particulari esse licitum vel illicitum quod revera tale est in se. Si regulis prudentiæ sit innixa, est simul recta; secus, vera esse posset, et non recta, ut, v. g., si quis leviter pronuntiet hanc vel illam actionem esse licitam quæ reipsa talis est, vere judicat, sed non recte. Conscientia vero falsa seu erronea est quæ dictat aliquid in particulari esse licitum vel illicitum, quod tale in se non est. Duplici modo erronea esse potest, vincibiliter scilicet et

invincibiliter. Vincibiliter erronea est, quando communibus naturæ et gratiæ auxiliis deponi potest; est vero invincibiliter erronea, quando iisdem auxiliis deponi non potest.

Utraque potest esse præcipiens, vel consulens, vel permittens : est præcipiens, quando dictat aliquid esse de præcepto faciendum vel omittendum ; est vero consulens, si dictet aliquid ut magis perfectum esse faciendum vel omittendum, sed tantum de consilio, v. g., amplecti paupertatem, vovere castitatem, etc.; denique est permittens, quando dictat aliquid non esse de præcepto, neque de consilio, sed indifferens in se. Hoc ultimum judicium non est regula morum nec proprie conscientia.

Certum est licere agere contra conscientiam rectam consulentem, cum, ex definitione, nulla sit obligatio eam sequendi, nisi forsan indirecte, ob quasdam personales circumstantias. Unde, quamvis optimum sit consilia Evangelica sequi, nullum tamen est peccatum ea omittere. Illa autem contemnere esset peccatum de genere suo mortale.

Duo tantum hic quæri possunt, scilicet 1° an aliquando contra conscientiam agere liceat, et 2° an conscientiam erroneam tuto sequi possimus : quibus quæsitis per sequentes satisfaciemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Nunquam licet agere contra conscientiam, sive rectam, sive falsam, sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam.

Prob. Scriptura sacra, testimonio S. Aug., et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Rom. XIV, 23 : *Omne... quod non est ex fide, peccatum est.* Unde sic : Vox *fides* hic sumitur pro conscientia seu persuasione : 1° quia sic intelligunt Scripturæ sacræ interpretes, ut videre est in primis apud Estium in hunc locum ; 2° quia alio sensu rationabiliter explicari non potest; ibi enim agitur de Judæis ad fidem conversis, qui adhuc cibos juxta legem Mosaicam secernebant, judicantes alios esse licitos et alios illicitos :

D. Paulus expresse dicit, ibid. 14, *nihil* esse *commune*, id est pollutum vel immundum *per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse.* Unde in fine capitis concludit : *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide : omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Nonne patet evidenter ibi sermonem esse de interna persuasione? Ergo 1°.

2° *Testimonio S. Aug.* qui, de Moribus Manich., lib. 2, cap. 14, n. 35, præfatum B. Pauli textum explicans, ait : « Prorsus credo vos istis epulis inquinari, eo ipso quod » immunda esse arbitramini. » Ergo 2°.

3° *Ratione.* Qui habet voluntatem peccandi, eo ipso peccat : porro qui contra conscientiam etiam erroneam agit habet voluntatem peccandi; eodem modo enim intus affectus est ac homo qui sciens et volens, quod præceptum est omittit, vel quod prohibitum est facit : ergo.

Nota. Peccatum quod agens contra conscientiam admittit, ejus est speciei ac gravitatis quam actioni suæ inesse falso arbitratur; totum enim se tenet ex parte voluntatis, voluntas autem consentit objecto sibi ab intellectu vel ab imaginatione præsentato. Ergo. Unde qui falso credit tali die esse jejunium, et non jejunat, mortaliter peccat; item qui putat se teneri apud divites furari ut miseris subveniat et non furatur; qui nullo fundamento innixus arbitratur se excommunicatum esse et tamen celebrat vel ad sacra accedit, etc.

Non tamen censuram, irregularitatem aut reservationem incurrit, quia illæ pœnæ vel illa jurisdictionis limitatio transgressoribus veræ legis, non vero legis putatitiæ, infliguntur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non solum licet, sed necesse est conscientiam invincibiliter erroneam sequi, quando adest necessitas agendi.

Prob. Qui habet conscientiam invincibiliter erroneam, debet, si adsit necessitas agendi, vel eam sequi, vel eam deponere, vel contra illam agere : atqui eam deponere non potest, cum sit invincibilis, nec contra eam agere,

ut constat ex propositione præcedenti ; ergo eam sequi tenetur.

Opus autem malum in se, ex ignorantia invincibiliter erronea factum, non est peccatum formale, propter ignorantiam, sed materialiter est malum, ac proinde nullum meretur præmium. Ita generatim theologi post S. Th. Verum intentio agentis potest esse optima et magnam mereri remunerationem : v. g., si quis invincibiliter credat se ad mentiendum teneri ut vitam innocentis servet, et ea intentione mentiatur, mendacium ejus est in se malum et nulla mercede dignum ; sed intentio quam habet vitam innocentis servandi, est virtuosa et ideo remunerabitur : mortaliter e contra peccasset non mentiendo, quia in sua persuasione charitatem graviter læsisset.

PROPOSITIO TERTIA.

Non licet sequi conscientiam vincibiliter erroneam in iis quæ mala sunt.

Prob. Probavimus supra ignorantiam vincibilem a peccato non excusare ; at conscientia vincibiliter erronea nihil aliud est quam ignorantia vincibilis : ergo.

Cum aliunde constet non licere contra illam conscientiam agere, sequitur eam esse deponendam. Ut autem in ea reformanda omnis vitetur temeritas aut negligentia, hæc adhibenda sunt media, scilicet : 1° recta intentio, ab omni inordinata affectione munda ; 2° frequens et fervens oratio ; 3° exacta totius rei discussio ; 4° assidua librorum qui de hac materia tractant lectio ; 5° petitio consilii a viris doctis et præsertim a pastoribus aliisque superioribus ecclesiasticis qui ad docendum specialiter constituti sunt.

Si, adhibitis his mediis, error adhuc perseveret, censetur moraliter invincibilis et a peccato excusat. Juxta conscientiam erroneam agere tunc licitum est.

Si vero quis in casu difficili constituatur, in quo statim agendum sit, et tempus non habeat meditandi, legendi, consulendi, tunc ferventer orare, rem in mente sua per-

pendere, de culpa quæ ignorantiæ fuit causa dolere, et quod minus malum sibi videbitur eligere debet: sic agendo non peccabit. Si quod tamen ex priori ipsius culpa sequatur damnum, illud reparare tenebitur; retractatio enim causæ injustæ ab obligatione reparandi damnum ex illa secutum non excusat.

Hinc videbitur quid agere debeat homo qui conscientiam habet perplexam et ad duo contradictoria se teneri arbitratur, v. g., non omittere sacrum die dominica, et tamen non deserere infirmum quem custodit; debet enim, mediis indicatis utendo, dubium pro posse suo excutere : deinde quod minus malum sibi videbitur eligere, et tunc non peccabit, quia facultatem ab actione temperandi non habet, ut supponitur, et, ex hypothesi quod agat, sapientius agere non potest. Ergo.

Quæritur 1° an qui contra conscientiam vincibiliter erroneam agit, gravius peccet quam qui eam sequitur.

R. Neuter absolute gravius aut levius peccabit, sed modo hic, modo ille, secundum circumstantias, ut sola expositione factorum evidenter patebit : v. g., qui vincibiliter credit se ad mentiendum teneri, ut vitam innocentis servet, peccat mortaliter si, conscientia erronea perseverante, non mentiatur; et venialiter tantum, si mentiatur, quia mendacium officiosum est duntaxat peccatum veniale. Contra vero, qui persuasum habet se sub peccato veniali teneri ad furandum diviti ut subveniat pauperi, venialiter peccabit non furando, et mortaliter, si notabilem summam subripiat. Ergo.

Quæritur 2° an conscientia plus obliget quam præceptum superioris.

R. Vel conscientia est vera et certa, ad quam invincibiliter erronea revocanda est, vel est vincibiliter erronea, vel est dubia. 1° Si vera sit et certa aut invincibiliter errans, plus obligat quam superioris præceptum, quia est vox Dei seu legis Dei manifestatio, et potius obediendum est Deo quam hominibus. Hinc non obediendum est superiori aliquid contra fidem christianam aut contra legem naturalem non dubiam præcipienti.

2° Si conscientia sit vincibiliter errans, deponi debet per media superius exposita, et semper obediendum est superiori, qui ob talem errorem legitima jurisdictione sua privari non potest. Unde qui, tempore Jansenianorum, judicio Sanctæ Sedis dogmatico, a majori episcoporum parte acceptato, acquiescere nolebant, sub prætextu quod illud decretum suæ conscientiæ esset contrarium, prorsus inexcusabiles erant. Sic pariter sibi illudunt vel illudere volunt qui, suam allegantes conscientiam, Concordatum anni 1801 rejiciunt.

3° Si conscientia sit dubia, generatim obediendum est superiori, ex hypothesi quod dubium deponi nequeat; ordo enim manifeste exigit ut superior certa quam habet potestate jubendi non exspolietur propter dubium : qui ergo in tali dubio versatur, conscientiam suam reddet practice certam, dicendo : In dubio, superiori meo certe jubenti obedire teneor : atqui dubito; ergo, etc. Sic S. Antoninus, S. Bonaventura, Cajetanus, *Soto, Cabassut, Collet,* S. Ligorius, l. 1, n. 31, etc. Multi excipiunt casum in quo res præscripta difficilior esset, nempe si subditus obediendo se vel alterum exponeret periculo grave subeundi damnum temporale vel spirituale.

Diximus *generatim;* inferior enim qui justas habet rationes judicandi superiorem non timere Deum, aut ignarum esse, aut parum sollicitum intra potestatis suæ limites sistere, et in casu particulari hos limites excessisse, obedire non debet quin prius, utendo mediis supra expositis, dubium excusserit: si adhibitis mediis istis, dubium perseveret, pars tutior est eligenda : idcirco obediendum est.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA.

Conscientia certa ea est qua quis prudenter seu absque probabili errandi formidine judicat aliquid in particulari

esse bonum vel malum : unde patet conscientiam certam non esse necessario veram; talis est conscientia invincibiliter errans.

Conscientia dubia est suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam alicujus actus in particulari, propter rationes hinc et inde oppositas. Si rationes sint æquales aut fere æquales, dubium dicitur positivum : si nulla sit ratio gravis assentiendi potius quam dissentiendi, dubium vocatur negativum, et melius diceretur nescientia.

Dubium potest esse speculativum, speculative practicum vel practice practicum. Speculativum est quando dubitatur de aliqua re ad mores non pertinente, v. g., an sidera inter se sint æqualia, an fluxus maris a luna oriatur : dicitur speculative practicum, quando dubitatur de principio generali morum, vel de bonitate actionis in se sumptæ, a præsentibus circumstantiis abstrahendo, v. g., an pingere die festo sit opus servile, an tale bellum sit justum vel injustum, etc. Dubium autem est practice practicum, quando dubitatur an actio singularis cum circumstantiis suis et in ordine ad finem agentis, sit licita vel illicita, v. g., an eleemosynam tali pauperi dare tenear, an jejunium hodie infringere possim, ob infirmitatem qua detineor, ob iter faciendum, etc.

Dubium speculativum non est conscientia, cum ad mores non pertineat, neque etiam dubium speculative practicum, quod verum habet pro objecto, non vero licitum aut illicitum, et ideo ad dubium speculativum reducitur; conscientia enim est regula morum in particulari et non in abstracto. De solo igitur dubio practice practico aut simpliciter practico agitur.

PROPOSITIO.

Stante dubio practice practico de honestate alicujus actionis, agere non licet, aut, si agatur, pars tutior est eligenda.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Eccli. III, 27 : *Qui amat periculum, in illo peribit;* sed qui agit in dubio et partem tutiorem non amplectitur, periculo peccandi seu faciendi

quod a Deo prohibetur evidenter se exponit : ergo. Rom. XIV, 23 : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; ostendimus supra per fidem hic intelligendum esse conscientiam, seu animæ persuasionem : unde quod non fit ex intima persuasione illud esse bonum, peccatum est : at homo de honestate alicujus actionis vere dubitans, eam facere non potest ex intima persuasione se non peccaturum : ergo vel ab actione ista abstinere, vel partem tutiorem amplecti debet. Ergo 1°.

Prob. 2° *ratione*. Nam 1° qui prudenter judicare non potest talem actionem esse bonam, eam illicite faceret; ita clamat recta ratio omnibus communis, et revera ita dispositus esset ad malum amplectendum, si actio esset mala : porro qui in vero constituitur dubio, prudenter judicare non potest suam actionem nihil habituram esse mali, nisi partem tutiorem amplectatur, *ut patet* : ergo. 2° Homo vere dubitans an cibus sibi appositus sit venenosus aut salutaris, imprudenter, juxta omnes, de illo ederet : ergo *a fortiori* qui de honestate alicujus actionis dubitans, partem minus tutam amplecteretur, imprudenter ageret. Ergo. *Ita omnes theologi etiam probabilistæ.*

Hinc qui dubitat an mortaliter peccaverit, a Missa celebranda vel a Communione abstinere debet, nisi prius reconciliatus fuerit.

Peccatum autem quod admittit homo cum conscientia dubia agens, ejusdem est speciei et gravitatis ac peccatum circa quod movetur dubium; ita enim affectus est ut peccatum illud saltem indirecte velit. Unde qui dubitat an talis actio sit peccatum mortale et sacrilegium, peccat mortaliter et sacrilegii fit reus eam faciendo, licet forte bona et sancta sit in se : in eo casu tamen pœnam ecclesiasticam non incurreret.

Diximus in propositione, *stante dubio practice practico;* quia si dubius, ope principii certi et reflexi, dubium deponere et conscientiam practice certam sibi efformare possit, sive per se, sive alios consulendo, partem minus tutam prudenter amplecti poterit; in moralibus enim ea sufficit certitudo qua prudens initur judicium, alioquin

omnia turbarentur : *sic iterum omnes, exceptis nonnullis Jansenistis.*

Ignari, rustici et communiter simplices fideles conscientiam practice certam sibi efformabunt consulendo parochum, confessarium vel alium virum pium, gravem et doctum; juxta consilium ejus tuto agere poterunt. Idem facere possunt et debent scrupulosi etiam docti. Qui, omnibus ponderatis, vident sua dubia esse tantum negativa, vel inania, sine alia reflexione vel consilii petitione, statim agere possunt, et partem minus tutam eligentes, non peccabunt, quia habent conscientiam practice certam. Idem, et propter easdem rationes, dicendum est de iis qui habent conscientiam perplexam inter affirmandum et negandum hæsitantem.

Patet, ex dictis, licitum esse cum conscientia speculative dubia agere et partem minus tutam eligere; sufficit enim ut prudenter judicemus nos inter agendum non peccaturos : porro tale judicium cum dubio speculativo non est incompatibile; qui enim per principium reflexum, vel auctoritate parochi, confessarii alteriusve viri docti de honestate suæ actionis pronuntiat, non ideo de veritate rei in se judicat : licet ergo practice sit certus, speculativum dubium tamen non deponit. Ergo.

CAPUT TERTIUM.

DE CONSCIENTIA LATA ET SCRUPULOSA.

Conscientia lata ea est qua quis, levibus fundamentis innixus, judicat aliquid non esse prohibitum, aut leve tantum esse peccatum. Scrupulosa, ex adverso, ea est qua quis, levibus etiam fundamentis innixus, timet ne aliquid sit mali in actione bona vel indifferenti, vel malum reale sibi exaggerat et torquetur. Sic dicitur, per metaphoram, a scrupis vel lapillis qui pedes offendunt et gressum difficiliorem reddunt.

Triplicis generis distinguuntur scrupuli, ratione fontis ex quo proveniunt; alii enim oriuntur a Deo ita permittente, ut animæ fideles probentur, et aliquas virtutes magis sibi necessarias, v. g., humilitatem, fervorem in oratione, etc., acquirant; alii vero a dæmone, eos ex fine perverso excitante, v. g., ad turbandas animas easque in desperationem conjiciendas; alii denique a nobismetipsis ortum habent, scilicet, vel ab imaginatione inordinata, vel a subtilitate ingenii quod semper invenit rationes dubitandi, vel a quadam idearum confusione, unde fit ut scrupulosus nihil perfecte distinguat, vel etiam aliquando a vitiosa corporis dispositione.

Sequentibus signis cognoscetur pœnitentem esse scrupulosum, nempe 1° si, cum salutis suæ sit sollicitus, sæpe tamen dubitet in uno vel in pluribus punctis, confessarium anxie interroget, et alios jam interrogaverit; 2° si non nisi cum timore et anxietate consilia et decisiones viri in quo dicit se fiduciam habere, sequatur ; 3° si confessiones præteritas ex sincero conversionis desiderio factas semper iterare velit; 4° si dubitet an aliquid sibi licitum sit quod aliis licitum esse judicat; 5° si alii viri pii et docti dubia ejus jam habuerint ut scrupulos. Non requiruntur hæc signa collective sumpta ut quis judicetur scrupulosus, sed sufficiunt separatim.

Quæritur 1° an scrupulosus contra suos scrupulos tuto agere possit.

R. Vel advertit sua dubia meros esse scrupulos, vel non : si prius, non solum potest, sed debet agere contra scrupulos. 1° Potest ; licet enim agere contra conscientiam improbabilem, cujus vana judicantur motiva, alioquin fere nihil licitum esset in mundo : at conscientia scrupulis innixa est improbabilis, ipsiusque motiva sunt vana : ergo. 2° Debet ; sola quippe hac via multa vitabit incommoda quæ ex scrupulis non ita spretis ordinarie sequuntur, ut perturbatio mentis, destructio libertatis, impotentia bona opera faciendi, et sæpe officia proprii status adimplendi. Ergo.

Si autem firmam haberet persuasionem sua dubia esse

vera et bene fundata, partem minus tutam amplecti non posset, propter rationes superius expositas, quin prius dubium deposuisset. Sed ordinarie scrupulosi talem non habent conscientiam : solummodo timent, hæsitant, vident et non vident, volunt et nolunt : tunc contra scrupulos audacter agant, et nullum in actione sua reformident peccatum.

Quæritur 2° quibus regulis scrupulosus judicare possit sua dubia meros esse scrupulos, contra quos agere debeat.

R. 1°. Prudenter judicabit sua dubia esse inania et contemnenda, 1° si confessarius aut alter vir prudens id ipsi expresse dicat; 2° si jam fuerit in hujusmodi dubiis quæ a viro prudente velut inanes scrupuli habita fuerint; 3° si dubitet an tentationi præsertim internæ consenserit; communiter enim dubitatio quæ in aliis rationabilis esset, in scrupulosis pro nihilo reputanda est. Dicimus *communiter,* quia nonnunquam inveniuntur homines valde scrupulosi sub uno respectu, qui in aliis latissimam habent conscientiam : hi autem regulis pro veris scrupulosis statutis uti non debent, nisi in quibus vere scrupulosi sunt.

R. 2°. Scrupulosus advertens sua dubia non esse fundata, conscientiam practice certam sequentibus motivis sibi efformabit : 1° persuasum habeat sibi non solum licere, sed valde expedire ut contra scrupulos suos agat; 2° pro certo teneat se consilium viri prudentis, præsertim confessarii, sequendo, nunquam peccaturum, etiamsi vir ille erraret, quia prudenter agit, ac proinde ex hypothesi quod ipsius actio non sit bona in se, ab omni peccato erit tamen immunis ; 3° ad idem se non teneri examen ad quod tenentur non scrupulosi, quia illius non est capax.

Quæritur 3° quænam sint opportuna remedia contra scrupulos.

R. Alia spectant ad ipsum scrupulosum, et alia ad ejus confessarium.

Quæ ad ipsum scrupulosum pertinent, sunt 1° et principaliter, ut habeat virum prudentem cui confidat et cæca obedientia semper obsequatur, sine examine et anxietate, quem facile non mutet, nec alios eadem de re

passim interroget; 2° ut bonitatem Dei et immensitatem misericordiæ ejus sæpe meditetur, actus spei et charitatis eliciat, eum ut patrem tenerrimum semper habeat : non raro enim scrupulosi Deum offendunt, eum sibi exhibendo ut dominum durum, austerum, cui difficile est placere; 3° ut scrupulos sibi cognitos contemnat eosque pro deliramentis et phantasmatibus habeat; 4° ut scrupulos suos in imaginatione non revolvat, sed ad alia objecta mentem convertat, otium fugiat, et continuis laboribus incumbat; 5° conversationem aliorum scrupulosorum et lectionem librorum nimiæ severitati faventium timeat; 6° consilia confessarii retineat; ad eum pluries pro eadem causa non recurrere, sed dubia sua per seipsum deponere assuescat.

Remedia autem quæ ad confessarium spectant, sunt 1° ut benevolentiam pœnitentis sibi conciliare omnibus modis conetur, alioquin frustra daret illi consilia : eum igitur benigne excipiat, primis vicibus patienter audiat, a fastidiosis narrationibus et repetitionibus non avertat; rationibus claris dubia ejus dilucidet; 2° declaratione pro libitu pœnitentis facta, ostendat se illum recte intellexisse et conscientiam ejus optime cognoscere; 4° benevolentia ejus obtenta, inculcet illi necessitatem obediendi et proprium judicium deponendi; 4° illum frequenter Deo commendet; 5° si advertat scrupulos venire a Deo permittente vel a dæmone eos excitante, pœnitentem ita laborantem sustineat, consoletur atque exhortetur ad forte prælium, ipsi proposita mercede quam Deus promisit iis qui perseveraverint usque in finem; 6° si vero agnoscat scrupulos a superbia oriri, eum salutari auctoritate tractet, ut obedire et in sensu suo non sic abundare discat.

Utiliter legere possunt confessarii, hac in materia, *les Conférences d'Angers, la Conduite des confesseurs, le Directeur dans les voies du Salut, le Traité des scrupules, de Duguet*. Pœnitentibus consuli possunt, *la Paix intérieure, par le P. Lombez, la Confiance en Dieu, par M. l'Archevêque de Sens*, etc.

Vide quæ diximus, t. III, in Tractatu *de Pœnitentia,* de agendi ratione confessarii erga scrupulosos.

CAPUT QUARTUM.

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBABILI.

Conscientia probabilis ea est qua quis, gravi quidem, sed fallibili, innixus fundamento, judicat aliquam actionem esse bonam vel malam : improbabilis vero ea est quæ sufficienti non nititur fundamento, ut quis prudenter judicare possit aliquam actionem esse bonam vel malam. Conscientia igitur probabilis reducitur ad opinionem.

Opinio generatim est apprehensio unius e duobus contradictoriis, cum formidine alterius.

Probabile, secundum vim nominis, est illud quod probari seu admitti potest : secundum definitionem rei, illud est quod gravi quidem, sed fallibili, nititur fundamento. Versari potest in materia moribus extranea, v. g., in rebus physicis, vel in materia morali. Nunc de his tantum quæ ad mores pertinent tractamus.

Opinio probabilis, in materia morum, est actus intellectus quo quis gravi, sed fallibili fundamento innixus, judicat aliquid esse licitum vel illicitum in se. Unde opinio probabilis eodem modo a conscientia practica differt, quo conscientia speculativa a conscientia practica discrepat.

Opinio potest esse probabilis ab intrinseco, vel ab extrinseco. Est probabilis ab intrinseco, si gravibus nitatur momentis ex ipsa rei natura petitis; est vero probabilis ab extrinseco, si nitatur motivis ex auctoritate petitis, v. g., numero doctorum eam admittentium. Non tamen est probabilis nisi inquantum præsumitur illos graves habuisse rationes eam amplectendi : unde non tam numeranda sunt eorum testimonia quam ponderanda.

Opinio respective ad aliam considerata, potest esse

probabilior, minus probabilis, vel æque probabilis; communis, communior, vel minus communis; tutior vel minus tuta.

Opinio probabilior ea est quæ gravioribus quam opposita nititur fundamentis : minus probabilis, levioribus nititur fundamentis quam opposita. Est autem æque probabilis, quando rationes hinc et inde, ad affirmandum et ad negandum, sunt æquales.

Opinio communis ea est quæ multos pro se habet doctores, non quoscumque, sed graves : dicitur autem communior, si majorem habeat numerum : et communissima si ab omnibus moraliter teneatur : minus communis vocatur, si a minori numero doceatur.

Opinio tutior ea est quæ tenet pro lege, seu affirmat legem existere hoc a lege esse præceptum vel prohibitum : sic dicitur, quia magis removet a peccato. Opinio minus tuta est illa quæ tenet pro libertate, id est, quæ affirmat legem non existere, hoc vel illud non præcipi, aut non prohiberi, quæ proinde minus removet a peccato.

His notatis, examinabimus 1° quid intelligendum sit per *probabilismum;* 2° quid agendum sit in concursu duarum opinionum, quarum una est probabilior, sed minus tuta, et altera minus probabilis, sed tutior; 3° quid in concursu duarum opinionum æque probabilium; 4° quid in concursu duarum opinionum quarum una est minus tuta et simul minus probabilis; 5° quid agere debeat confessarius erga pœnitentem doctrinam *Probabilistarum* in praxi sequentem.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID INTELLIGENDUM EST PER PROBABILISMUM.

Nomine *Probabilismi* in genere intelligitur doctrina vi cujus in concursu duarum opinionum probabilium, licet sequi minus tutam, id est, libertati faventem.

Defensores hujus sententiæ generalis sic præcipue ratiocinabantur : juxta omnes, agere licet cum dubio speculativo, si, ope principiorum reflexorum, conscientia

fiat practice certa de honestate actionis faciendæ : at, qui in concursu duarum opinionum probabilium sequitur opinionem minus tutam, dubium speculativum deponere et conscientiam practice certam sibi efformare potest, sequentibus innixus principiis reflexis : 1° Qui prudenter agit, non peccat : at qui probabiliter agit, prudenter agit, siquidem opinio probabilis ea est quæ gravibus innititur motivis. 2° Lex dubia non potest generare obligationem certam, quia effectus non potest esse major causa. Aliunde lex non sufficienter promulgata non obligat : porro lex dubia non est sufficienter promulgata. 3° *In dubio melior est conditio possidentis*, est axioma in utroque jure receptum; verum in concursu duarum opinionum probabilium, dubium est an lex existat, et certa est possessio libertatis; ergo, etc.

Primus hujus doctrinæ patronus, saltem juxta multos, fuit Bartholomæus *Medina*, Hispanus, ordinis Prædicatorum, anno 1577, cui subscripsit *Bannez*, alter dominicanus, sanctæ Theresiæ confessor, in libro anno 1584 in lucem edito. Falsum est ergo Patres societatis Jesu fuisse *probabilismi* inventores. P. *Vasquez*, qui primus e Societate ei suffragatus est, scribebat anno 1598. Tunc illa opinio jam erat communis in Hispania. Primi ejus impugnatores fuerunt Jesuitæ; videlicet Ribellus, Comitolus, Andreas, Blancus sub nomine Candidi Philalethi, *Elizade, Etriz, Gonzalez* præpositus generalis, *Reginald*, Bellarminus, etc.

Ab anno 1577 ad 1610, nova hæc doctrina non multum adhuc invaluerat, et pauca numerabat opera in sui gratiam impressa. Sed a 1610 ad 1665 evasit fere ubique communis, tamen ut opinio, cui perplures et clarissimi viri contradicebant. A 1665 numerosiores et validiores habuit impugnatores, ubique decrevit, et in Galliis, præsertim post comitia generalia anni 1700, fere evanuit. Nunc quodammodo resurgere videtur : non tamen est communis, maxime apud nos. *Probabilistæ* nonnulli, suis principiis inhærentes et de consequentia ad consequentiam euntes, pervenerunt ad defendendas ut probabiles

et tuto sequendas opiniones singulares, absurdas, scandalosam laxitatem inducentes, et principia morum subvertentes : v. g., sequentes : « Licitum est filio gaudere » de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. » — « Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne » puella, deprehensa gravida, occidatur aut infametur. » — « Regulariter occidere possum furem pro conserva- » tione unius aurei. » — « Tam clarum videtur fornica- » tionem secundum se nullam involvere malitiam, et » solum esse malam quia interdicta, ut contrarium om- » nino rationi dissonum videatur. » Quæ propositiones ab Innocentio XI fuerunt damnatæ decreto 2 martii 1679.

Alii huc usque devenerunt ut affirmare non erubuerint propositionem suffragio unius doctoris gaudentem eo ipso probabilem fieri, atque licitum esse eam sequi in concursu alterius tutioris et longe probabilioris. Quibusdam reclamantibus et exigentibus pro sufficienti probabilitate ab extrinseco suffragium sexdecim doctorum, sexdecim inventi sunt doctores qui affirmarunt opinionem suffragio unius doctoris innixam probabilem esse, sicque suffragium sexdecim doctorum requirentes ex propriis verbis convicti sunt.

Hinc innumeræ in libris et in scholis defensæ sunt perniciosæ et scandalosæ propositiones. Centum viginti septem numerantur apud *Bossuet*, t. VII, p. 363 et seq., quæ a Clero Gallicano anno 1700 variis censuris fuerunt affectæ. Non omnes tamen solum per nimiam laxitatem peccabant.

Quidam ex odio laxissimi probabilismi, in oppositam abierunt extremitatem, dixeruntque non licere sequi opinionem probabiliorem, nec probabilissimam, sed minus tutam, in concursu minus probabilis, sed tutioris : vocati sunt *Tutioristæ*. Eorum sententia damnata est ab Alexandro VIII, anno 1690, et a Clero Gallicano, anno 1700, ut ostendemus infra.

Alii, cum doctoribus Lovaniensibus, paulo minus rigidi, docebant licitum esse sequi opinionem minus tutam, modo esset probabilissima; alii concedebant eam sequi

adhuc licitum esse, si, omnibus perpensis, judicaretur probabilior; alii denique tenent in concursu duarum opinionum æque probabilium, licitum esse sequi minus tutam, nonnullis tantum exceptionibus admissis.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUID AGENDUM EST IN CONCURSU DUARUM OPINIONUM QUARUM UNA EST PROBABILIOR, SED MINUS TUTA, ET ALTERA MINUS PROBABILIS, SED TUTIOR.

Jansenii asseclæ, magnum affectantes zelum pro tuenda moralis evangelicæ puritate, dicteriis insequebantur sibi adversantes ut laxitatis patronos. Antiquam Pharisæorum rigiditatem superbæ renovantes, asserebant partem tutiorem semper amplectendam esse; sicque merebantur ut ipsis fieret applicatio sequentium verborum Christi, Luc. XI, 46 : *Et vobis legisperitis væ : quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt.* Ecclesia sapientissima non magis probavit horum desperantem duritiam quam nimiam aliorum indulgentiam.

PROPOSITIO.

In concursu duarum opinionum, licet sequi probabiliorem, quamvis minus tutam, relicta tutiori, sed minus probabili.

Prob. auctoritate Alexandri VIII, cleri Gallicani, S. Thomæ, et ratione.

1° *Auctoritate Alexandri VIII,* qui decreto diei 7 decembris 1690, inter alias 30, sequentem damnavit propositionem : « Non licet sequi opinionem inter probabiles proba- » bilissimam. »

2° *Auctoritate cleri Gallicani,* qui, in comitiis anni 1700, sic se habet apud *Bossuet*, t. VII, p. 400 : « Absit vero ut » probemus eorum errorem qui negant licere sequi opi- » nionem vel inter probabiles probabilissimam. » Quamvis propositio condemnata contineat vocem *probabilissimam*, non dubium est sensum a Pontifice et a clero Gallicano intentum, ad majorem probabilitatem referendum esse, ita ut nimia Jansenistarum rigiditas reproba-

retur. Unde *Bossuet, Dissertatiuncula* Iª *de dubio in negotio salutis, quæstiuncula* IIª (t. xxx, ad calcem), ex professo probat regulam vincendi dubii ratione probabili esse *ut sit probabilior,* illudque ostendit ex concilio generali Viennensi, et ex regula juris 45 sic se habente : « Inspicimus » in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque » fieri consuevit ; latente vero, quærendum esse quod » probabilius ac verisimilius. » Ergo, etc. Eodem modo » argumentatur Coll. Andeg. t. I, p. 392 et seq.

3° *Auctoritate S. Thomæ,* qui, in 2 2, q. 70, art. 2, ait : « Certitudo non est quærenda in omni materia ; in » actibus enim humanis super quibus constituuntur ju» dicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certi» tudo demonstrativa, eo quod sint contingentia et varia» bilia, et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in » pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veri» tate deficiat. » Non omnimoda igitur, secundum Doctorem angelicum, requiritur certitudo. Ergo major probabilitas sufficit.

4° *Ratione.* Qui prudenter agit non peccat ; ita omnes : at, qui ex majori probabilitate, omnibus sedulo perpensis, sese determinat, prudenter agit, etiam amplectendo opinionem minus tutam, tum quia rationes sententiæ oppositæ ipsi videntur inferiores, tum quia omnes alii moraliter sic judicant, tum quia aliunde nihil ferme licitum foret, cum in moralibus absoluta certitudo raro habeatur. Ergo 4°, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Dices : Major probabilitas periculum peccandi minuit quidem, sed non excludit : ergo non licet sequi, etc.

R. Dist. ant. Major probabilitas non excludit periculum peccandi materialiter, *conc.;* formaliter, *nego ant.* Etenim si actio quæ probabilius judicatur honesta, reipsa sit mala, erit peccatum materiale ; sed peccatum illud non imputabitur, nec proinde erit formale. Quod enim fit secundum regulas prudentiæ, etsi malum sit in se, non imputatur ad peccatum : porro qui in actionibus suis probabiliorem sequitur opinionem, licet minus tutam, secundum regulas prudentiæ agit, et sapientiores homines

in majoribus negotiis aliter non solent agere, nullus siquidem prætendit se absoluta donari certitudine in plerisque actibus vitæ suæ. Ergo, etc.

Certum est bonum esse, perfectionis aut securitatis causa, tutiorem semper amplecti opinionem, etiam in conflictu cum probabiliori, sed minus tuta. Hic autem non examinamus quid in agendi ratione humana sit perfectius aut tutius, sed quid licitum vel illicitum.

Nota. Probabiliorem nec probabilissimam licet sequi opinionem, relicta tutiori, quando agitur de procurando fine, ad quem major aut maxima probabilitas non ducit; v. g., si agitur de iis quæ ad salutem necessaria sunt necessitate medii, aut de requisitis ad validitatem sacramenti. Unde Innocentius XI, decreto 2 martii 1679, sequentem damnavit propositionem : « Non est illicitum in » sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem » de valore sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, » conventio, aut periculum gravis damni incurrendi : » hinc sententia probabili tantum utendum non est in » collatione Baptismi, Ordinis sacramentalis aut episco» palis. » Quantumvis enim probabile sit talem materiam aut talem formam sufficere, si de facto Christus aliam determinaverit, validum non erit sacramentum. Licitum est tamen uti materia dubia, in casu necessitatis, juxta quod docetur ubi de unoquoque sacramento; quia sacramenta sunt propter homines et non homines propter sacramenta. 2° Si de sanitate alterius procuranda, de damno ejus vitando agatur, vel si quis ad tutius obligetur ex conventione, ex voto, ex superioris mandato, non licebit sequi opinionem probabiliorem, nec probabilissimam, relicta tutiori. Res per se patet. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

QUID AGENDUM EST IN CONCURSU DUARUM OPINIONUM ÆQUÆ PROBABILIUM, QUARUM UNA EST TUTA ET ALTERA MINUS TUTA.

Ab illa quæstione pendet solutio innumerabilium aliarum quæstionum in toto theologiæ moralis decursu oc-

currentium : circa eam tamen valde scinduntur theologi. Alii volunt partem tutiorem necessario eligendam esse, et vocantur *Tutioristæ*, sub quo nomine generaliori comprehenduntur *Tutioristæ* rigidi a nobis modo impugnati, et *Probabilioristæ*, ii scilicet qui, in concursu duarum opinionum probabilium, minus tutam sequi tantum esse licitum contendunt quando est probabilior. Alii volunt partem minus tutam eligi posse, et vocantur *Probabilistæ.*

Cum autem Tutioristæ rigidi pauciores sint et solide refellantur, lis præcipue movetur inter Probabilistas et Probabilioristas, quos in præsenti articulo sub nomine Tutioristarum intelligimus.

Utramque sententiam ejusque motiva hic breviter exponere juvat.

Sententia Tutioristarum.

Innumeri theologi, præsertim apud nos et in ultimo sæculo, fortiter contenderunt in concursu duarum opinionum æque probabilium, tutiorem semper amplectendam esse, sequentibus innixi rationibus.

1° *Testimonio S. Aug.*, de Bapt., l. 1, cap. 3, sic se habente : « Quanquam etiam si dubium haberet, non illic » recte accipi (Baptismum apud Donatistas), quod in ca- » tholica recte accipi certum haberet, *graviter peccaret,* » in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo » quod certis incerta præponeret. » Et cap. 5, n. 6 : « Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse » peccatum : quis dubitet certum esse peccatum, non ibi » potius accipere, ubi certum est non esse peccatum ? » Adverte S. Aug. non loqui de validitate Baptismi, sed de peccato : ergo arbitratur in dubio partem tutiorem esse amplectendam : porro in concursu duarum opinionum æque probabilium, verum existit dubium : ergo 1°.

2° *Auctoritate S. Th.* qui, Quodlib. 8, art. 13, hæc habet : « Si ille qui possidet plures præbendas, in quamdam » dubitationem inducitur, ex contrarietate opinionum, » et, manente tali dubitatione, plures præbendas habeat,

» periculo se committit, et sic procul dubio peccat, ut pote
» magis amans beneficium temporale quam propriam sa-
» lutem. » Ergo in dubio pars tutior est eligenda. Ergo 2°.

3° *Auctoritate cleri Gallicani* qui, anno 1700, hanc Probabilistarum propositionem inter damnandas numeravit : « *In dubiis tutius eligendum*, perfectionis est, non obliga-
» tionis, seu consilii, non præcepti. » Et sequentem statuit regulam in usu opinionum probabilium adhibendam, his verbis, *Bossuet*, t. VII, p. 400 : « Sed ad rectum usum
» probabilium opinionum has regulas a jure præscriptas
» agnoscimus : primum, ut in dubiis de salutis negotio,
» ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum
» momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est eo
» in casu unice tutum : neque id consilii, sed loco præ-
» cepti habeamus, dicente Scriptura : *Qui amat pericu-*
» *lum, in illo peribit.* » Ergo 3°.

4° *Ratione.* Ubi concurrunt duæ opiniones æque probabiles, mens fluctuans pronuntiare non potest unam esse veram potius quam alteram : ergo vere dubitat et quidem practice : porro in eo dubio practico tenetur partem tutiorem eligere, ut supra ostendimus et omnes fatentur : ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Revera, licet mens dubium speculativum ope principii reflexi aliquando deponere possit, ut probatum est in propositione præcedenti, id facere non potest in casu de quo agitur : nam principia reflexa quæ præcipue ab adversariis exhibentur, sunt sequentia : 1° lex dubia non est sufficienter promulgata; 2° in dubio de existentia legis possidetur libertas, et *in dubio melior est conditio possidentis*, ut fert axioma in utroque jure notissimum et regula 65 juris canonici fundatum,

Verum responderi potest, 1° legem dubiam parere non posse obligationem certam ratione sui præcise, sed naturalem existere legem clare dictantem quid in hoc casu agendum sit, scilicet, partem tutiorem eligendam esse ad vitandum periculum peccandi; 2° legem dubiam non esse sufficienter promulgatam ut obliget ratione sui, sed obligare ratione legis naturalis dictantis partem tutiorem in

dubio eligendam esse; 3° in tali dubio affirmari non posse nos libertatem possidere, cum præcise de illius possessione dubitetur : ad excutiendum hujusmodi dubium, adhibendum foret principium certum quo inniteremur : atqui nullum datur principium certum quo innixi dubium excutiamus : ergo pars tutior est eligenda. Sic, præter auctores Gallicos, qui sunt unanimes, multi extranei, inter quos longissime *Concina,* pluribus de probabilismod issertationibus.

Alterum principium quidam probabilistæ admiserunt, scilicet eum prudenter agere qui probabiliter agit. Sed S. Ligorius, cum multis, illud rejicit tanquam aliis principiis fulciendum vel probandum supponens.

Nec valde se urgeri putant Tutioristæ comparatione instituta inter revelationem dubiam quæ, similiter, juxta plures, obligare nequit. Dicunt enim in priori casu, fidem nec Deum honorare, cum ipsius objectum falsum esse posset, imo nec possibilem esse; in posteriori vero, obligationem partem tutiorem amplectendi solido niti fundamento, et eam voluntatis subjectionem Deum honorare, cum ipsius legi, cujus transgressio timetur, faveat.

Sententia Probabilistarum.

Per Probabilistas hic duntaxat intelligimus eos qui, rigorismum animas desperantem et laxitatem puritati Evangelicæ nocentem simul detestantes, arbitrantur usum moderatum opinionum probabilium admitti posse.

1° Rejiciunt ut vere probabiles eas opiniones quæ cum aliis opinionibus probabilioribus et tutioribus concurrunt, negantque illas licite admitti posse in praxi.

2° Consentiunt opinionem probabilem et etiam probabilissimam eligi non posse, relicta tutiori, quando agitur de validitate sacramenti, excepto tamen, pro quibusdam, casu necessitatis, uti supra ostendimus et omnes docent; quia major probabilitas defectui materiæ, formæ, aut intentionis ministri non suppleret : unde judicio Innocentii XI superius relato libenter subscribunt. Item ubi agitur de sententia judiciali ferenda, de remediis infirmo

applicandis, de contractu conficiendo vel exsequendo, et generatim de actione quæ proximo nocere potest, quia proximus habet jus strictum ut judex, medicus, notarius, advocatus, etc., partem sibi tutiorem amplectatur.

Hinc Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, decreto diei 2 martii 1679 : « Probabiliter existimo » judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus » probabilem. »

3° Omnes similiter fatentur in dubio practico de bonitate vel malitia alicujus actus, aut non agendum, aut partem tutiorem eligendam esse, propter rationes a nobis expositas ubi de conscientia dubia; omnes enim concedunt hanc regulam, *In dubio pars tutior est eligenda,* in dubiis practicis admittendam esse.

4° Moderati Probabilistæ contendunt hominem, inter duas opiniones æque probabiles versantem, dubium speculativum deponere et conscientiam practice certam sibi efformare posse, quod licitum sit sequi opinionem minus tutam, relicta tutiori, sicque ratiocinantur : Qui inter duas opiniones æque probabiles versatur, dubitat an existat lex suam libertatem cohibens : porro lex dubia non obligat, quia non censetur sufficienter promulgata, et aliunde *in dubio melior est conditio possidentis* : ergo practice merito judicat se illa lege non teneri. Ex hypothesi quod lex de facto existat, transgressio ejus erit tantum materialis et sic agenti non imputabitur.

5° Rationes adversariorum elidere tentant, dicentes 1° S. Augustini testimonium intelligendum esse de validitate Baptismi, pro quo major probabilitas non sufficit; 2° S. Th. textum applicandum esse dubio practico, in quo pars tutior certo est eligenda, et multos esse alios ejusdem S. Doctoris textus qui probabilismo recte intellecto evidenter favent, ut videre est apud S. Ligorium; 3° regulam a clero Gallicano traditam, optimam esse in dubio practico, non vero in dubio tantum speculativo, de quo nulla fit mentio; 4° argumentum rationis petitionem principii involvere, id est, supponere quod præcise est probandum, videlicet hominum inter opiniones con-

tradictorias et æque probabiles constitutum, practice necessario dubitare, seu dubium speculativum deponere non posse.

Palmare principium quo Probabilistæ innituntur ad deponendum dubium speculativum et efformandam conscientiam practice certam, est quod *lex dubia non obliget*; ideo veritatem illius demonstrare conantur sequentibus præsertim rationibus. 1° Omnes fatentur legem non obligare nisi fuerit sufficienter promulgata; quia cum sit regula et mensura actuum, debet innotescere, alioquin actus regulare non posset : atqui lex quæ, post maturum examen, remanet dubia, non est sufficienter promulgata; dici enim non potest legem existere, sed tantum quæstionem de illius existentia moveri : ergo tuto pronuntiatur eam non obligare in praxi. Id verum esse de lege divina, sive positiva, sive naturali, sicut de lege humana, contendit S. Ligorius, quia lex divina, etiam naturalis, non magis obligat in actu secundo, seu quoad praxim, quam lex humana, nisi cognoscatur, aut saltem moraliter cognosci possit : at ubi, maturo adhibito examine, dubium perseverat, lex non cognoscitur ut lex, sed duntaxat habetur dubium vel quæstio de lege. 2° Repugnat legem dubiam parere obligationem certam : at si, in dubio perseverante, partem tutiorem eligere teneremur, dicendum foret legem dubiam parere obligationem certam, *ut patet* : ergo. 3° Axioma, *In dubio melior est conditio possidentis*, ab omnibus admittitur, in utroque jure, pro foro externo. Admittendum est pariter pro foro interno; nulla quippe est ratio cur regula morum in foro externo vera, in foro interno esset falsa. Porro, quando serio dubitamus an existat lex quæ hunc aut illum comprehendat casum, libertatem nostram possidemus; nam libertas restringi non potest nisi per legem : verum existentia legis non astruitur. *Illud* autem *dicitur licitum quod nulla lege prohibetur*, inquit S. Th., in 4 Sent. dist. 12, q. 2, art. 4, et ita expresse *Ferraris*, v° *Conscientia*, n. 52, dicens hanc sententiam jam esse communiorem et receptam. Si, e contra, lex certo existeret et dubitaretur tantum de

illius impletione, facienda aut præstanda esset res præscripta, vel dividenda pro ratione dubii, si divisibilis esset, quia lex possidet. 4° Non sufficit factum allegare, sed onus illud probandi incumbit alleganti : porro existentia legis est factum ; ergo non sufficit allegare, sed necesse est probare illud existere. Ergo.

Ex his momentis concludunt Probabilistæ clarum esse legem dubiam conscientiam non ligare in actu secundo, id est quoad praxim. Unde in concursu duarum opinionum æque probabilium, suam conscientiam sic efformant practice tutam : Vere dubito et dubium excutere non valeo : at prudenter judicare possum legem dubiam obligationem non parere : ergo partem tutiorem eligere non teneor. Ita Sylvius et multi alii extranei, ac recentius S. Ligorius, qui, in Tractatu de Conscientia, cap. 2, n. 25 et seq., doctrinam probabilismi moderati fortiter ac longissime defendit, argumenta congerit, et conatur solvere objecta adversariorum qui acriter contra ejus doctrinam scripserunt etiam in Italia; additque, versus finem sui moralis Systematis, ad calcem Tractatus de Conscientia exstantis :

« Cum nostra hac tempestate viderim ita acriter adversus mitiorem sententiam reclamari, multoties hoc punctum ad trutinam diligenter revocavi, legens ac relegens auctores omnes quotquot ad manus potui habere modernos, qui pro rigida sententia certabant, promptus a mea sententia desciscere statim ac non amplius certa mihi appareret ; prout enim plures opiniones quas aliquando tanquam probabiles habui, postea non erubui eas reprobare, ita, imo tanto magis non erubuissem hanc sententiam, quæ majoris est momenti, retractare. Sed quo diligentius rationes nostræ sententiæ perpendere sategi, eo magis certæ mihi visæ sunt. »

Post mortem S. Ligorii, anno 1787, conflictus inter Tutioristas et Probabilistas utrinque moderatos non cessavit in Italia. Apud nos erat inauditus. Non nisi post finem imperii Napoleonis cœpit innotescere. Prima fronte læsit animos. Præsules, sacerdotes muneribus sacri ministerii

incumbentes et seminariorum directores, ad illum suscipiendum imparati communiter judicarunt duas opiniones contradictorias æqualiter probabiles, animam constituere in vero dubio, et pronuntiarunt, juxta antiquam regulam ubique receptam, partem tutiorem eligendam esse. Ut probata non habebant argumenta in venerabili antiquitate inaudita, versus finem decimi sexti sæculi tantum excogitata, deinde toties repetita, quibus Probabilistæ conantur demonstrare dubium speculativum deponi et conscientiam practice certam efformari posse.

Ab eo tempore plures visi sunt parati ad defendendum systema probabilismi moderati quale S. Ligorius defendebat, et multi illud de facto adoptarunt in praxi, tanquam moribus præsentis sæculi magis accommodatum et saluti animarum favorabilius.

Vetus regula, *In dubio pars tutior est eligenda,* simpliciter accepta, ut per tot sæcula ab omnibus accepta est, multo verior et dignior nobis videtur saltem quoad doctrinam Evangelii puram et sanctam speculative sumptam. Quid autem in praxi faciendum suadeat prudentia, dicemus infra.

ARTICULUS QUARTUS.

QUID AGENDUM EST IN CONCURSU DUARUM OPINIONUM, QUARUM UNA EST MINUS TUTA ET MINUS PROBABILIS, ALTERA VERO SIMUL TUTIOR ET PROBABILIOR.

Multi contendunt, systemate probabilismi moderati semel admisso, necessario ulterius progrediendum esse et admittendum probabilismum in cunctis gradibus suis : nam, inquiunt, eædem rationes, sive extrinsecæ, ex numero et auctoritate doctorum petitæ, sive intrinsecæ, ex principiis reflexis supra expositis deductæ, valebunt pro benigniori probabilismo sicut pro rigidiori, quamdiu opinio minus tuta remanebit vere et solide probabilis. Si attendantur doctores probabilistæ, fere omnes dicunt cum Sylvio, t. II, p. 168 : « Quando sunt duæ opiniones vere » probabiles, licitum est, relicta tutiori, sequi minus

» probabilem, sive hæc, quæ minus probabilis est, sit » tutior, sive non. »

Si, in concursu duarum opinionum æque probabilium, dubium speculativum deponi possit ope principiorum reflexorum, quare dubium, ope eorumdem principiorum, deponi non posset cum una opinio est minus probabilis, modo vere et solide probabilis remaneat? Etenim principia invocata, sunt : 1° Qui agit probabiliter, agit prudenter, et qui agit prudenter non peccat. 2° Lex dubia non parit obligationem certam, seu non obligat. 3° In dubio melior est conditio possidentis. Porro, qui sequitur opinionem minus probabilem, sed vere probabilem, agit probabiliter; ergo et prudenter, ac proinde non peccat. Cum videt opinionem sibi oppositam tantum probabiliorem, de existentia legis libertatem suam coercentis dubitat; suam libertatem possidet; ergo melior est ipsius conditio, ac consequenter licite sequi potest opinionem minus tutam et simul minus probabilem.

PROPOSITIO.

In concursu duarum opinionum non licet sequi minus tutam et minus probabilem, relicta tutiori et probabiliori.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Cleri Gallicani et rationibus theologicis.

1° *Scriptura sacra.* Eccli. III, 27 : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Nonne qui sequitur opinionem minus tutam et minus probabilem, in concursu tutioris et probabilioris, periculo rem prohibitam faciendi se exponit?

Matth. VII, 14 : *Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Ibid. XI, 12: *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* Si autem liceret sequi opinionem minus tutam et simul minus probabilem, lata esset pôrta et via quæ ducit ad vitam, et sine magna violentia regnum cœlorum obtineri posset : fere enim nullum est vitium quod a nonnullis Probabilistis non fuerit excusatum; ergo, etc.

Rom. XIV, 23 : *Omne quod non est ex fide, peccatum est;*

Idem Apostolus, I Thess. v, 21 et 22 : *Omnia probate : quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.* Qui autem sequitur opinionem minus tutam et minus probabilem, non potest agere ex intima persuasione suam actionem esse bonam ; dici non potest eum ab omni specie mala abstinere. Ergo 1°, etc.

2° *Auctoritate Cleri Gallicani* qui, in comitiis generalibus anni 1700, multas damnavit propositiones habitas ut probabiles, inter quas præcedens invenitur, sub numero 122, notata ut falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam novumque prudentiæ genus statuens, etc. In declaratione sic habetur apud *Bossuet,* t. VII, p. 401, et in opere *les Mémoires du Clergé*, t. I, p. 742 : « Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, » quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, » hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum, et ab iisdem » pro regula morum positum, repugnat huic effato a Patribus celebrato : *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus ;* nec habere potest regulæ christianæ securitatem. » Ergo multo magis reprobat ut novam et inauditam regulam juxta quam liceret sequi opinionem minus tutam et minus probabilem. Ergo 2°.

3° *Rationibus theologicis.* 1° Licite non agimus nisi prudenter judicemus honestam futuram esse actionem : at qui sequitur opinionem minus tutam et minus probabilem, prudenter judicare non potest suam actionem futuram esse honestam, cum graviores habeat rationes judicandi illam, e contra, futuram esse malam. 2° Opinio gravioribus impugnata rationibus, jam non est, respectu viri prudentis, vere probabilis, id est approbanda et in praxi sapienter sequenda. 3° In negotiis temporalibus alicujus momenti, ille certe non haberetur ut prudens qui, relicta parte tutiori ac probabiliori, partem minus tutam et minus probabilem eligeret ; ergo *a fortiori* qui sic agit in negotio salutis. 4° Admissa sententia quæ tenet licitum esse sequi opinionem minus tutam et minus probabilem, modo judicetur vere probabilis, lugendæ inde

profluent conclusiones : nam permultæ absurdæ et scandalosæ propositiones habitæ sunt ut vere ac solide probabiles; v. g., hominem non teneri actum perfectæ charitatis per totam vitam semel elicere, nisi in articulo mortis; licitum esse absolute desiderare mortem patris ob hæreditatem ejus proventuram; filium gaudere posse de parricidio a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde secutas; virum equestrem, ad duellum provocatum, illud acceptare posse, ne timiditatis notam apud alios incurrat; concubinarium non teneri ejicere concubinam si, ea deficiente, nimis ægre vitam ageret, etc. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Objiciunt quidem Probabilistæ, 1° Christum dixisse : *Jugum meum suave est et onus meum leve*, Matth. XI, 30, et nos illud aggravare velle; 2° opinionem vere probabilem non ideo suam amittere probabilitatem, quia occurrit alia opinio ipsa probabilior, sicut scientia Petri non cessat, quia ei comparatur major scientia Pauli; 3° semper remanere libertatem, donec certum sit existere legem eam cohibentem; 4° summos Pontifices non semel dispensasse in casibus in quibus minus probabile erat eos dispensare posse.

Respondemus vero per ordinem :

1° Per gratiam supernaturalem jugum Christi efficitur suave et onus ejus leve : anima fidelis, illud ex amore portans, tanta perfusa est abundantia pacis internæ, ut omnes creaturæ nihil simile præstare possint. Numquid inde concludi potest angustam non esse portam et arctam viam quæ ducit ad vitam, aut regnum cœlorum vim non pati respectu hominum vitiis infectorum, falsis ideis imbutorum, timore dicto *respectu humano* oppressorum, multisque aliis causis versus terram et carnis voluptates inclinatorum?

2° Falsum est opinionem, quæ seorsim spectata vere fuisset probabilis, suam conservare probabilitatem in conflictu cum alia probabiliori : probabilitas enim supponit rationes graves; sed rationes per rationes oppositas minuuntur, et gravitas earum ea proportione decrescit, qua gravitas oppositarum in mente nostra convalescit. Ergo;

Comparatio in exemplum adducta nihil aliud est quam sophistica subtilitas : scientia enim Pauli nullatenus opponitur scientiæ Petri. Illam ergo nec destruit, nec minuit.

3° Merito dici non potest remanere libertatem aut libertatis possessionem, dum opinio minus tuta est impugnata per opinionem tutiorem et probabiliorem : tunc probabilius est non licere amplecti opinionem minus tutam in praxi, ac proinde libertatem, ut hic intelligitur, non existere. Quid dictat sensus communis? Quid responderent fideles illitterati sic interrogati : Verisimile est hanc actionem esse malam, licetne eam facere? Omnes statim responderent negative. Analysis systematis Probabilistarum ad hoc tamen reducitur punctum. Sanæ moralis regulæ multo securius simplici corde et bona fide quam intricatis subtilitatibus logicis stabiliuntur : si hinc concludatur nec licitum esse sequi opinionem minus tutam in concursu æque probabilis et tutioris, non obstamus.

4° Summi Pontifices dispensarunt in casibus in quibus judicabant se probabilius habere facultatem dispensandi, quamvis alii contrariam haberent opinionem. Nihil inde contra nos inferri potest.

ARTICULUS QUINTUS.

QUID AGERE DEBEAT CONFESSARIUS ERGA PŒNITENTEM DOCTRINAM PROBABILISTARUM IN PRAXI SEQUENTEM.

1° Advertendum opiniones non esse in eodem gradu probabiles respectu omnium, nec constanter respectu ejusdem personæ; earum enim probabilitas pendet a rationibus mentem plus minusve ad adhærendum inclinantibus : porro rationes quæ uni videntur graves, alteri videntur leves, et sæpe quæ visæ fuerant leves, post maturius examen eidem personæ videntur graves, aut vicissim, quæ judicabantur graves, apparent leves.

Qui fatetur opinionem minus tutam sibi videri minus probabilem, et tamen vult eam sequi, prudenter judicare non potest suam actionem futuram esse bonam; ergo saltem communiter absolvi non potest.

Idem dicendum est de eo qui fatetur se versari in dubio practico, et nihilominus partem minus tutam sequitur.

2° Absolvi non potest pœnitens sequi volens opinionem generaliter habitam ut erroneam, perniciosam, definitionibus aut praxi Ecclesiæ contrariam, etsi dicat eam sibi videri probabiliorem; quia sufficienti non nititur ratione ut conscientiam practice certam habeat. Excipitur si in inculpabili versetur ignorantia, et prudenter moneri non debeat, juxta quod diximus, t. III, in Tractatu *de Pœnitentia, de obligatione monendi et erudiendi ignorantes.*

3° Si vero opinio sit in materia apud doctores controversa et gravibus nitatur rationibus, confessarius judicans eam esse minus probabilem, exigere non potest ut pœnitens, præsertim doctus, qui illam habet ut probabiliorem, sententiam mutet; confessarius enim, ut in Tractatu *de Pœnitentia* diximus, non est opinionum judex; ipsius non est officium controversias auctoritate sua dirimere.

4° Probabilismus moderatus, a nobis supra expositus et a S. Ligorio tam perseveranter defensus, est in materia controversa; multos habuit adversarios, sed etiam multos patronos : nunquam fuit damnatus, nec aliqua sententia vel indirecte læsus. Innocentius XI, decreto 2 martii 1679 superius relato, damnavit quidem usum opinionis probabilis in conferendis sacramentis, vel tenuis probabilitatis; sed in eodem decreto jussit omnibus ut « caveant ab omni censura et nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quæ adhuc » inter catholicos hinc et inde controvertuntur, donec a » Sancta Sede recognitæ sint, et super iisdem propositionibus judicium proferatur. »

Imo, Pius VII, die 10 maii 1803, confirmavit decretum S. Congr. Rit. declarantis quod, cunctis operibus S. Alphonsi Mariæ a Ligorio, tam impressis quam manuscriptis, serio examinatis, *nihil in eis censura dignum repertum fuerit.* Leo XII, per breve diei 19 febr. 1825, laudavit D. *Marietti,* typographum Taurin., dicens illum de religione optime meritum esse, opera sanctissimi et doctissimi S. Alphonsi Ligorio colligendo et in lucem edendo.

Et S. Pœnitentiaria ab eminenti cardinali *de Rohan*, archiepiscopo Vesunt., anno 1831 consulta, 1° *utrum sacræ theologiæ professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri?* 2° *An sit inquietandus confessarius qui omnes B. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Pœnitentiæ tribunalis, hac sola ratione quod a Sancta Sede Apostolica nihil in operibus ejus censura dignum repertum fuerit? Confessarius, de quo in dubio, non legit opera B. doctoris nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variæ nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere eo ipso quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicæ contrariam,* respondit die 5 julii 1831 :

« *Ad primum quæsitum : Affirmative,* quin tamen inde » reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis » auctoribus traditas sequuntur.

» *Ad secundum quæsitum* : *Negative*, habita ratione » mentis Sanctæ Sedis circa approbationem scriptorum » servorum Dei ad effectum canonizationis. »

Card. *de Rohan* hanc S. Pœnitentiariæ responsionem præsentavit. die 22 julii ejusdem anni, summo Pontifici Gregorio XVI, regnanti, qui eam approbavit, et laudavit propositum quod Sua Eminentia ei manifestavit, dictam responsionem publicam in sua diœcesi faciendi atque pastorali instructione fulciendi.

5° Constat igitur licitum esse probabilismum S. Ligorii rationibus impugnare, sicut omnem propositionem disputationibus hominum relictam, sed a nemine damnari posse ut erroneum vel periculosum. Unde confessarius exigere non potest : 1° a sacerdote sacramentum Pœnitentiæ juxta principia S. Ligorii exercente, ut suam agendi rationem mutet ; 2° nec a quolibet pœnitente ut, in concursu duarum opinionum æque probabilium, tutiorem semper amplectatur, modo persuasum habeat se in tali concursu opinionem minus tutam sequi posse. *A fortiori* pœnitentem opinioni vere controversæ bona fide adhæ-

rentem, de opposita non cogitantem, exhortari quidem posset ad partem tutiorem, si prævideret sua consilia ei profutura esse : at injuste absolutionem ei denegaret, quia non habet jus gravia imponendi onera sine certo fundamento. Unusquisque tutiorem partem in eo casu pro se eligens, optime agit; verum nullus hanc praxim tanquam de obligatione aliis præscribere potest. In hoc multi confessarii erraverunt, tutius a suis pœnitentibus semper exigere volentes, dum minus tuta sæpe sibi permittebant.

6° Hac regula recte intellecta et ab omnibus admissa, uniformitas tam optabilis inter confessarios multo facilius obtinetur. Si enim unusquisque propriam opinionem pœnitenti imponere possit aut debeat, tot ferme erunt decisiones sibi oppositæ quot confessarii, et inde magna fidelium perturbatio vel scandalum : si vero omnes conveniant pœnitentem in materiis controversis ad partem tutiorem cogi non posse per absolutionis denegationem, cum facile judicari possit an sententia communiter habeatur ut controversa, cuncti fere in omnibus erunt sibi concordes quoad absolutionis concessionem vel denegationem.

7° Non pauci hoc principium procul rejiciunt tanquam ad nimiam morum laxitatem deducens : nos e contra, contendimus illud pietati fidelium et saluti peccatorum multum favere; confessarius enim hac doctrina imbutus, et vero gloriæ Dei ac animarum salutis zelo accensus, pœnitentes ad tutiora, imo et ad sublimiora virtutis culmina hortabitur, secundum illorum conditionem, capacitatem et dispositiones, nec tamen a sacramentorum participatione, saltem in Paschate, arcebit eos qui id tantum quod stricte præcipitur facere volunt. Dum ecclesiam et sacrum tribunal identidem adeunt, aliqua semper remanet spes eos ad meliorem adducendi frugem : nihil vero exspectandum est ab iis qui intempestiva severitate repulsi, sacramenta deserunt, in vitia magis ac magis labuntur, obdurescunt et frequenter in impœnitentia finali pereunt.

Audiamus, sub fine hujus quæstionis, S. Alph. a Ligorio, cui libenter annuimus :

« Cæterum protestor quod sicut confessarios illos non » approbo qui, nimiæ austeritati adhærentes, facile dam- » nant usum plurium opinionum quæ gravi fundamento » nituntur : ita contra neque approbare possum eos qui » de facili opiniones sine certo fundamento tanquam pro- » babiles acclamant. Confessarius, antequam aliquam » opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas ra- » tiones perpendere, et cum ei occurrit ratio aliqua con- » vincens pro tutiori opinione, cui adæquatam responsio- » nem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tu- » tam amplecti non potest, quamvis plurimorum docto- » rum auctoritas ipsi faveat, modo auctoritas non sit » tanti ponderis, ut videretur ei magis quam rationi ap- » parenti deferendum.

» Quantum ad praxim deligendi opiniones, quæri solet » an expediat rigidas aut benignas præferre? Respondeo : » Ubi agitur de removendo pœnitente a periculo peccati » formalis, confessarius debet, generaliter loquendo, et » inquantum christiana prudentia suggerit, benignis opi- » nionibus uti; ubi vero opiniones benignæ proximius » reddunt periculum formalis peccati, prout sunt non- » nullæ auctorum opiniones, v. g., quoad vitandas occa- » siones proximas, et aliæ hujus generis, tunc semper » expedit ut confessarius utatur, imo dico quod ipse, ut » medicus animarum, tenetur uti opinionibus tutioribus, » quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt.

» Nescio autem quomodo possit cum bona conscientia » doceri, generice loquendo, quod pœnitenti qui, ob con- » fessionem suarum culparum jus certum ad absolutio- » nem jam fuerit adeptus, possit ipsa ei negari, eo quod » pœnitens inter duas æqualis ponderis opiniones nolit » tutiorem sequi. Hic est rigor ille quem immoderatum » et injustum procul dubio reputo et reprobo, cum auste- » ritas hæc causa esse potest ut plures animæ damnentur. »

Sedulo ponderentur hæc principia, et manifestum erit ea ad nimiam laxitatem non deducere.

FINIS TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

Lex a *ligando* ortum ducens, juxta S. Thom. 1 2, q. 90, art. 1, *quia obligat ad agendum;* vel a *legendo,* juxta alios, quia ordinarie scribitur et legenda est, definiri potest : *Præceptum commune, justum, stabile, ad bonum publicum spectans, ab eo qui curam communitatis habet latum, obligans subditos post sufficientem promulgationem.*

Dicitur 1° *præceptum;* quæ vox tenet locum generis; per illud quippe lex convenit mandatis a quovis superiore, respectu unius aut plurium inferiorum, pro casu privato latis : unde omnis lex est præceptum, sed omne præceptum non est lex.

2° *Commune;* quo verbo lex a mandatis secernitur : debet ergo omnem communitatem, vel saltem omnia communitatis membra ejusdem conditionis, ut clericos, magistratus, milites, etc., obligare.

3° *Justum,* quia injustum præcipi non potest.

4° *Stabile;* si enim princeps aliquis ad breve tempus juberet, puta ne quis tali die cum armis exiret, hoc mandatum rationem legis non haberet.

5° *Ad bonum publicum spectans;* cum enim lex sit generalis, eo ipso in utilitatem generalem cedere debet.

6° *Ab eo qui curam communitatis habet latum;* lex quippe, cum sit mandatum, est actus jurisdictionis : ab eo solo igitur qui auctoritatem habet in totam communitatem ferri potest.

7° *Obligans;* per hoc verbum differt a consiliis quæ ratione sui sub peccato non obligant.

8° *Subditos;* quia superior eos qui sibi non subjiciuntur ligare non potest.

9° *Post sufficientem promulgationem;* lex enim invincibiliter ignota obligare non posset : necesse est ergo ut innotescat, ac consequenter ut convenienti modo promulgetur.

Duplex distinguitur lex in genere, divina scilicet et humana, de quibus seorsim disserendum est.

PARS PRIMA.

DE LEGE DIVINA.

Lex divina, quæ videlicet Deum habet auctorem, dividitur in æternam, naturalem et positivam.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGE ÆTERNA.

Lex æterna est dictamen divinæ rationis, præscribens quid creatura rationalis necessario teneatur agere vel omittere.

Bonum et malum morale essentialiter differunt : Deus eorum principia necessario cognoscens, bonum approbat et malum improbat, vultque ut omnis creatura rationalis ad faciendum bonum et fugiendum malum teneatur. Unde S. Aug., l. 22, contra Faustum, cap. 27 : « Lex » æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem natu- » ralem conservari jubens, perturbari vetans. » Et S. Th., 1 2, q. 93, art. 1 : « Lex æterna nihil aliud est quam » ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva » omnium actuum et actionum. »

Existere hujusmodi legem nemo ambigere potest : ab illa omnis ordo existens vel possibilis derivatur proinde-

que omnis lex, sive divina, naturalis aut positiva, sive humana, ecclesiastica vel civilis; tum quia legi æternæ seu ordini conformis esse debet, tum quia omnis potestas legislativa venit a Deo, tum quia lex æterna per rationem aut fidem innotescens dictat legislatoribus quid præscribere vel prohibere conveniat.

Angeli et beati in cœlo legi æternæ seu supremæ rationi Dei subjiciuntur, non vero proprie Deus, quia subjectio supponit superiorem : Deum autem habere superiorem repugnat; non tamen legi æternæ derogare potest, v. g., mentiendo, etc., quia, ut summe sapiens, sanctus, una voce, infinite perfectus, a bono et recto vi naturæ suæ nunquam excidit.

CAPUT SECUNDUM.

DE LEGE NATURALI.

Lex naturalis est *participatio legis æternæ in creatura rationali*, ait S. Th. 1 2, q. 91, art. 2. Unde dici potest divina quia a Deo venit; et simul naturalis, quia naturæ nostræ ita inhæret, ut homo rationalis sine illa concipi non possit : Deus ipse eam primis parentibus nostris manifestavit, et notitia ejus per traditionem atque per novas revelationes transmissa est.

Hic inquirendum est 1° an lex naturalis existat; 2° quæ præcepta ad illam pertineant; 3° quomodo innotescat et obliget; 4° an mutari possit, et 5° quid sit jus gentium.

ARTICULUS PRIMUS.

AN LEX NATURALIS EXISTAT.

Qui negant bonum et malum morale inter se differre, ut *Hobbes, Spinosa,* Helvetius, *La Metterie, d'Holbach,* etc., eo ipso legem naturalem tollunt : cæteri vero bonum et

malum essentialiter differre confitentes, dari legem naturalem, prout eam definivimus, asserunt.

Prob. Scriptura sacra, testimonio SS. Patrum, consensu populorum et doctorum.

1° *Scriptura sacra.* Rom. II, 14 et 15 : *Cum gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Estius et plures alii contra alios non paucos, arbitrantur hunc textum non de gentibus Christum ignorantibus intelligendum esse, bene vero de gentibus ad fidem conversis : at omnes fatentur ibi sermonem esse de lege naturali nobis impressa et a lege Moysis distincta. Ergo 1°.

2° *Testimonio SS. Patrum.* S. Aug., Serm. 25 in Ps. CXVIII, n. 4, postquam retulit textum B. Pauli, ut de lege naturali apud gentes infideles intelligendum, addit : « Numquid autem lex ista naturalis non erat in populo » Israel? Erat plane, quoniam et ipsi homines erant. » Sine lege autem naturali essent, si præter naturam hu» mani generis esse potuissent. » Ergo existit lex naturæ nostræ inhærens. S. Ambros., l. 5 Epist. : « Ea lex » non scribitur, sed innascitur ; nec aliqua percipitur lec» tione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis » exprimitur. » Ergo 2°.

3° *Consensu populorum.* Omnes quippe populi unanimiter censuerunt quasdam actiones esse bonas et alias esse malas, v. g., bonum esse pauperi et infirmo succurrere, malum autem eum opprimere, verberare, spoliare, trucidare, etc. *Vide que diximus in Philosophia morali,* cap. 1, art. 1. Ergo 3°.

4° *Idem constat consensu omnium doctorum,* quorum multi, inter quos S. Th., de lege naturali ex professo disseruerunt. Ergo 4°.

Objecta quæ hic proponi possent, diluimus in loco Philosophiæ citato.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUÆ PRÆCEPTA AD LEGEM NATURALEM PERTINEANT.

Patet ex definitione legis naturalis omnia præcepta, in essentiis rerum fundata, ad eam pertinere, seu eam constituere ; nam una est in se, sed, ratione materiæ circa quam versatur, plura continet præcepta quæ dividuntur in primaria, secundaria et remota.

Primaria ea sunt quæ primo intuitu vel sola verborum expositione innotescunt, et apud omnes sunt eadem, non solum secundum rectitudinem, ut ait S. Th., sed etiam secundum notitiam, v. g. : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris : Deus est diligendus ; Parentes sunt honorandi.*

Secundaria ea sunt quæ ex primariis immediate et evidenter deducuntur, v. g. : *Non est furandum ; Solus Deus est adorandus,* etc.

Remota illa sunt quæ, mediantibus ratiociniis, ex primariis deducuntur, v. g. : *Usura moderata est injusta : Vana observantia est reprobata.*

Certum est 1° omnia hæc præcepta etiam remotiora in essentiis rerum pariter fundari, et legis æternæ participationem esse ; 2° eadem esse apud omnes quoad rectitudinem, non vero quoad notitiam, quia aliis plus, aliis minus innotescunt, ratione ingenii, educationis, studiorum, consuetudinis, cupiditatum, etc.; 3° licet communia in se, multas admittere exceptiones in individuis, propter particularia impedimenta : v. g., *Reddendum est depositum,* est principium generale ; at si reddi non posset sine gravi detrimento, aut si peteretur ad pravum finem, puta ad nocendum patriæ, redditio differenda esset, vel saltem eam differre liceret.

ARTICULUS TERTIUS.

QUOMODO LEX NATURALIS INNOTESCAT ET OBLIGET.

Deus impossibilia non jubet : unde repugnat nos teneri lege prorsus ignota : lex igitur naturalis sub peccato non

obligat, nisi cognoscatur vel cognosci possit, ita ut culpa nostra tantum ignoretur.

Innotescit autem 1° per conscientiam, quæ nihil aliud est quam lumen naturale a Deo nobis impressum, et dictans quid faciendum sit vel omittendum, in particulari ; 2° per traditionem ; principia enim legis naturalis a Deo primis parentibus nostris manifestata, per sensum communem ad nos transmissa sunt ; 3° per gratiam interius nos illustrantem ; 4° per revelationis documenta ; 5° per Ecclesiæ definitiones ; 6° per doctorum sententiam.

Apud omnes constat legem naturalem invincibiliter ignorari non posse, quoad primaria et secundaria ejus præcepta, ab eo qui perfectum habet usum rationis ; error quippe circa hujusmodi veritates, data seria attentione, facile detegitur ab iis qui in societate vivunt, et de iis solis agitur.

At non ita patet conclusiones ejus remotas ab omnibus cognosci posse. Plurimi, ut *Boudart, Steyaert, Daelman, Dens* aliique Lovanienses doctores, fatentur quidem dari ignorantiam circa has conclusiones, quæ a peccato mortali excuset, non vero quæ omnem tollat culpam : nam, inquiunt, Deus permittere non potest ut ea quæ essentialiter mala sunt, invincibiliter ignorentur ab hominibus ratione præditis et in necessitate agendi constitutis : unusquisque ergo sedulo attendens, reflectens, studens, consulens et orans, aut percipiet non agendum, aut a necessitate agendi removebitur.

Cæteri vero contendunt dari ignorantiam invincibilem circa conclusiones legis naturalis remotas, et quidem merito ; hæc enim ignorantia est invincibilis quæ a sanctissimis viris superari non potuit : atqui talis datur ignorantia circa conclusiones legis naturalis remotas : v. g., S. Thomas docet judicem damnare posse reum juridice convictum, quem scientia privata scit innocentem ; S. Bonaventura hoc negat : alteruter necessario errat, et tamen dici non potest utrumque non fecisse quod in se erat ad cognoscendam veritatem : ergo.

Similiter fieri potest ut præcepta secundaria invincibi-

liter ignorentur circa eas quas pati possunt exceptiones in particularibus : v. g., invincibiliter non ignoratur furtum illicitum, sed quidam bona fide sibi persuadere potest illud esse licitum ad subveniendum tali vel tali indigenti.

Ut autem recte judicetur an ignorantia circa legem naturalem sit vincibilis, vel invincibilis, plurima attendenda sunt, scilicet : 1° natura præcepti quod ignoratur, 2° status personæ illud ignorantis, quia rusticus, v. g., in crassitudine educatus, multa ignorat quæ alii plures ignorare nequeunt ; 3° mores ejus et studium in inquirenda veritate ; 4° desiderium bene agendi atque malum fugiendi.

Nullum est dubium quin lex naturalis stricte obliget sub peccato mortali vel veniali, juxta materiam et circumstantias : nam 1° datur discrimen essentiale inter bonum et malum morale ; vanum autem foret istud discrimen, si nulla esset obligatio faciendi bonum et fugiendi malum ; 2° Deus, qui est suprema ratio et auctor legis naturalis in nobis impressæ, necessario præcipit bonum et vetat malum fieri ; 3° ita judicant omnes legislatores omnesque populi universæ terræ. Ergo.

Ex natura præcepti et variis adjunctis pronuntiatur, quantum moraliter fieri potest, an transgressio legis naturalis sit peccatum mortale, aut veniale, an vero prorsus excusetur, si nempe ignorantia sit invincibilis.

ARTICULUS QUARTUS.

AN LEX NATURALIS MUTARI POSSIT.

Fieri potest legem naturalem aliquo modo mutari quoad casus particulares ; quia fieri potest ut aliquid particulare præcipiat vel prohibeat quod antea nec præcipiebat nec prohibebat : v. g., supposita lege positiva, sive principis, sive Ecclesiæ, lex naturalis vult illam observari ; eadem lege sublata, lex naturalis in eo casu applicationem non habet. Ergo.

Verum petitur an mutari possit quoad principia gene-

ralia : v. g., parentes honorabis, furtum non facies, humanis legibus obtemperabis.

R. negative. Si enim mutari posset, vel per derogationem, vel per dispensationem : atqui stricte loquendo neutrum dici potest.

Non per derogationem; in eo quippe consisteret hæc mutatio quod aliquid in se bonum vel malum, præceptum vel prohibitum, tale esse desineret : atqui hoc repugnat, cum de rerum essentiis agatur. *A fortiori* repugnat totam legem naturalem abrogari. Ergo 1°.

2° *Non per dispensationem;* in hoc enim sita est dispensationis essentia, quod obligatio legis in favorem alicujus personæ, circumstantiis in eodem statu manentibus, relaxetur : atqui talis relaxatio legis naturalis stricte fieri non potest, ne quidem a Deo, quia Deus rerum essentias mutare non potest, efficiendo, v. g., ut liceat ipsum blasphemare, parentes conviciis impetere, proximum injuste lædere, etc. Ergo 2°.

Diximus *stricte;* quia Deus, in iis quæ ipsius dominio subjiciuntur, circumstantias mutando, efficere potest ut obligatio antea existens relaxetur, sicque a lege naturali aliquo sensu dispensare. Hinc, cum sit supremus dominus omnium vitæ, bonorum et jurium, potuit jubere Abraham ut immolaret filium, permittere Hebræis ut vasa Ægyptiorum auferrent, usuras a gentibus exterminandis exigerent, matrimonia per libellum repudii dissolverent, plures uxores simul haberent, hostes trucidarent, etc. Nunquam vero illis permisit, nec permittere potuit ut licite blasphemarent, murmurarent, idolis servirent, etc., quia materia hujusmodi præcepti dominio ejus non subjicitur,

ARTICULUS QUINTUS.

DE JURE GENTIUM.

Jus gentium non stricte est naturale, sed a naturali proxime derivatur ipsoque fundatur. Illius præcepta non inferuntur necessario a lege naturæ, sed in iis considera-

tur utilitas omnium societatum, conformitas ad universalia et prima principia naturæ. Sic vocatur, quia apud omnes gentes receptum, eas erga se invicem ordinat, sicut jus civile ordinat subditos ejusdem regni. Unde recte definiri potest : *Jus apud omnes vel saltem apud plurimas gentes consuetudine introductum.*

Omnes jurisperiti et theologi, omnesque populi christiani et infideles non omnino barbari, existentiam hujusmodi juris agnoscunt, et ad illud referunt bonorum divisionem, regnorum institutionem ; jura belli et pacis, immunitates legatorum, etc.

Jus istud, consuetudine generali introductum, est velut contractus libere initus, quem Deus ordinis conservator et ultor observari jubet : qui ergo illud violant, contra legem naturalem graviter peccant, et velut infames ac publicæ tranquillitatis hostes ubique merito habentur.

Cum tamen in essentiis rerum stricte non fundetur, varietates admittere potest : unde, v. g., jus captivos retinendi aut vendendi hostes in bello deprehensos, olim fuit generale ; nunc apud Christianos est abolitum, non vero apud Mahumetanos.

CAPUT TERTIUM.

DE LEGE DIVINA POSITIVA.

Lex divina positiva ea est quæ libera Dei voluntate extra nos ponitur, per oppositionem ad legem naturalem quæ in nobis imprimitur. Duplex est, vetus scilicet et nova.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LEGE VETERI.

Lex vetus, quæ dicitur vetus Testamentum, omnia continet præcepta quæ a Deo hominibus fuerunt data, ante Moysen, per Moysen, et post Moysen. Certum est

Deum primis parentibus nostris locutum fuisse eosque docuisse quid credere, quidve agere deberent. Positivum eis dedit præceptum de fructu arboris scientiæ boni et mali non edendo et probabiliter de sacrificiis offerendis, cum ex Gen. VII, 2 et 8, existeret distinctio inter animalia munda et immunda. Eisdem parentibus per peccatum lapsis pœnam irrogavit subeundam, futuram promisit redemptionem, et simul quoddam instituere debuit contra peccatum originale remedium.

Posteri eorum, peccato infecti, in tantam proruerunt corruptionem, ut Deus inierit consilium eos per diluvium universale delendi et totum genus humanum renovandi. Noe, arca egredienti, anno 1656, jussit ut a carnibus cum sanguine abstineret : non est dubitandum quin multa eum circa primævam religionem docuerit.

Descendentes ejus in turpissimos similiter prolapsi sunt errores : Deus vocavit Abraham circa annum 2086, fœdus cum illo iniit, et mandatis jam existentibus novum addidit, scilicet præceptum circumcisionis. Cum pauca tunc exstiterint præcepta positiva, intervallum ab Adamo usque ad Moysen dicitur tempus legis naturæ.

Tandem versus annum 2513, prodiit Moyses, cujus ministerio Deus usus est ad promulgandam legem in Pentateucho contentam ; quæ proprie dicitur Lex vetus, Lex Mosaica, et triplicis generis complectitur præcepta, nempe moralia, cæremonialia et judicialia. Moralia ea dicebantur quæ, in lege naturali fundata, spectabant ad mores juxta regulas justitiæ informandos : talia erant decem Decalogi præcepta.

Cæremonialia ea erant quibus præscribebantur ritus ad cultum divinum ordinati, ut præcepta de sacrificiis, sacramentis et festivitatibus.

Præcepta judicialia illa erant quibus res politicæ et temporales determinabantur : alia spectabant ad principes relative ad subditos ; alia ad subditos relative ad se invicem ; alia ad populum Israeliticum relative ad extraneos ; alia ad domesticos.

Paucis verbis nobis dicendum est de veteris Legis bonitate, destinatione, obligatione et cessatione.

§ I. — De veteris Legis bonitate.

Discipuli Simonis magi, Cerdonistæ, Marcionistæ et Manichæi arbitrabantur veterem Legem esse opus mali principii, ideoque malam. Jansenius contendit eam magnam fuisse comœdiam respectu Legis novæ, et ea intentione datam ut Judæi fierent prævaricatores, atque suo exemplo Christianos erudirent, ostendendo quid possit homo gratia destitutus.

PROPOSITIO.

Lex vetus Deum habuit auctorem et bona erat in se.

Prob. 1° *Deum habuit auctorem;* Moyses enim semper loquitur nomine Dei, dicens : *Deus sic locutus est; Dixit ad me Dominus : Hæc dicit Dominus,* etc. ; innumeris prodigiis demonstrat se a Deo illuminari, doceri et dirigi; repugnat quippe Deum veris prodigiis impostores adjuvare. Ergo 1°.

2° *Fuit bona :* quod constat Scriptura sacra, omnium consensu, et rationi. 1° *Scriptura sacra.* Ps. CXVIII, 8 : *Lex Domini immaculata convertens animas... præceptum Domini lucidum, illluminans oculos.* B. Paulus, Rom. VII, 12 : *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Nihil expressius desiderari potest. 2° *Omnium consensu :* exceptis enim paucissimis hæreticis, omnes Christiani semper crediderunt veterem Legem in se bonam esse. 3° *Ratione.* Probavimus hanc Legem Deum habuisse auctorem : ergo necessario bona est; quod etiam per partes et singula expendendo probari posset, ut a pluribus factum est. Ergo 2°.

Valde est tamen imperfecta respectu Legis novæ, quæ gratiam non tantum significat, sed continet et producit : unde Apostolus, Hebr. VII, 18 : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.*

Dices 1° : Rom. IV, 15, legitur : *Lex iram operatur;* et II Cor. III, 7 et 9, Lex vocatur *Ministratio mortis* et *damnationis.* Ergo non est bona.

R. Dist. Lex operatur iram et vocatur ministratio mortis, occasionaliter, quia Judæi ea abusi sunt, *conc.;* ex natura sua, *nego.* Quamvis enim Lex gratiam non contulerit, optimas agendi regulas tradebat, et Deus gratiam ea bene utentibus intuitu futurorum Christi meritorum conferebat : ergo in se bona erat, et Judæi illi non obsequentes, magis fiebant rei coram Deo, sicque Lex eo sensu operabatur iram et mortem.

Aliunde Apostolus, in locis objectis et in pluribus aliis, Judæos ad fidem conversos a ritibus veteris Legis retrahere volens, totus est ut ostendat Legem novam illi multo præstare : ideo describit effectus novæ Legis, qui sunt gratia, justificatio, meritum, filiorum adoptio, vita æterna; cum autem vetus esset vacua, eam, per oppositionem, repræsentat ut causam iræ et ministrationem mortis. Non tamen concludendum Legem esse malam. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit,* Rom. VIII, 7. Ergo.

Dices 2° : Deus Ezech. XX, 25, ait : *Dedi eis præcepta non bona, in quibus non vivent.* Ergo.

R. Nego conseq. Nam in eodem capite, versibus præcedentibus, Deus exprobrat Judæis quod ipsius præcepta, *quæ faciens vivet homo,* violaverint : testatur se propterea eos tradidisse ritibus idolorum permittendo ut in idololatriam laberentur, vel gentibus quæ gravibus præceptis eos opprimebant : ergo verba citata de præceptis Mosaicis non intelligenda sunt.

Aliæ difficultates ex imprecationibus, hostium exterminatione, pœna talionis, etc., petitæ, in Tractatu *de Vera Religione,* 3ª parte, capite 2, solvuntur.

§ II. — De veteris Legis destinatione.

Constat, ex dictis, Legem veterem Deum habuisse auctorem, ac proinde bona intentione fuisse concessam. Unde illi assignari non potest finis a Jansenio excogitatus, quia repugnat Deum optimum et summe sapientem

sic Israelitis illusisse, eosque ad peccatum inducere voluisse.

PROPOSITIO.

Deus veterem instituit Legem ut vias ad suscipiendum Redemptorem promissum præpararet.

Prob. Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* B. Paulus, Rom. x, 4, *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti*; et I Cor. x, 11 : *Omnia in figura contingebant illis* (Hebræis) : sensus est, institutiones veteris Legis fuisse typos et signa mysteriorum novæ Legis. Vide Estium in hunc locum. Ergo 1°.

2° *SS. Patrum Testimoniis.* S. Justinus, Dial. cum Tryph., n. 42 : « Omnia a Moyse instituta enumerans, » demonstrare possum imagines, et signa, et prænuntia- » tiones fuisse tum eorum quæ Christo eventura erant, » tum eorum qui in eum credituri prænoscebantur, tum » eorum similiter quæ Christus ipse facturus erat. »

S. Aug., lib. de Diversis quæst., plura refert veteris Testamenti facta Christum prænuntiantia, et concludit : « Longum est commemorare singula, cum ita concludat » Apostolus et dicat : *Hæc autem in figura contingebant* » *illis.* » Ergo 2°.

3° *Ratione.* 1° Cum Christus ex Juda, Jacob, Isaac, Abraham, etc., descendere deberet, necesse erat ut populus Israeliticus non deleretur, cum aliis non misceretur, suas genealogias accurate servaret; porro hunc finem Deus per veterem Legem obtinuit; 2° multæ sunt relationes inter veterem et novam Legem, quæ casu fortuito contingere non potuerunt. Ergo. Utilissime legetur circa finem hunc legis, *Tractatus de Adventu Christi,* a doctissimo P. *Thomassin.*

Deus insuper sibi proposuit spiritualem populi sui reformationem et æternam ipsius felicitatem : ideo præcipua legis naturalis capita per Decalogi præcepta renovat, vitia condemnat, virtutes commendat, fidem in Mediatorem implicite excitat et transmittit. Hinc pater Tobias filio ait, II, 18;

Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Hinc etiam Lex vetus actus internos præcipiebat, ut amorem Dei ex toto corde, Deut. VI, 8; vel prohibebat, v. g., odium proximi, concupiscentiam uxoris proximi vel rei alienæ, Exod. XX, 17.

Notandum 1° populum Dei spe boni temporalis vel metu pœnarum hujus vitæ sæpe excitatum fuisse: alia tamen motiva supernaturalia non excludebantur.

Notandum 2° justitiam vi Legis nunquam fuisse obtentam, sed intuitu futurorum Christi meritorum. Unde Apostolus, Gal. II, 16: *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi... ex operibus Legis, non justificabitur omnis caro.*

§ III. — De obligatione Legis veteris.

Certum est præcepta moralia omnes semper obstrinxisse gentes, non quatenus erant præcepta Dei positiva, sed quatenus ad legem naturalem pertinebant: quæstio igitur de solis præceptis cæremonialibus et judicialibus moveri potest.

Hæc duo præceptorum genera ad solos spectabant Judæos, solis quippe Judæis imposita fuerant: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad populum Israel... Audi, Israel....., Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb*, Deut. I, 1, et V, 1 et 2. Unde Gentiles legem ignorantes, vel eam non observantes, Deo placere ideoque salutem æternam consequi poterant, quod patet exemplo Job, viri justi in terra Hus, et Naaman Syri, veri Dei cultoris, IV Reg. V, 18, nec tamen ritus Mosaici sectatoris.

Gentiles, quamvis legi non fuerint necessario subjecti, eam nihilominus amplecti poterant, et tunc vocabantur proselyti.

§ IV. — De cessatione Legis veteris.

Probavimus in Tractatu *de vera Religione*, 3ª parte, capite 3, religionem seu legem Mosaicam abrogandam fuisse et reipsa jam dudum esse abrogatam.

Præcepta tamen ejus moralia semper remanent, non quidem vi legis positivæ, sed vi legis naturalis quæ est immutabilis; at præcepta ejus cæremonialia et judicialia neutiquam existunt, nec respectu Judæorum, nec respectu aliorum hominum.

Prob. Scriptura sacra et ratione. 1° *Scriptura sacra.* Gal. v, 1 et 2 : *Nolite iterum jugo servitutis contineri : ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

2° *Ratione.* Lex vetus erat figura et umbra legis novæ : at figuræ, adveniente realitate, cessant, et umbræ, lucente sole, evanescunt. Ergo.

Quæritur 1° quo tempore Lex vetus desierit obligare.

R. 1°. Non abrogata est ante mortem Christi, siquidem Christus eam observavit ac observandam ab aliis curavit usque ad mortem. *Venit dies azymorum,* inquit Luc. xxii, 7 : *in qua necesse erat occidi Pascha;* et apud Matth. xxiii, 2 : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia quæcumque dixerint vobis servate et facite.* Ergo.

R. 2°. Lex vetus vim obligandi per mortem Christi secundum se amisit. Nam 1° cessante sacerdotio, ipsa Lex cessare debuit, juxta hæc Apostoli verba, Hebr. vii, 12 : *Translato enim sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat :* at sacerdotium Aaronicum per mortem Christi cessavit, et novum ei substitutum est sacerdotium. 2° Testamentum fit validum per mortem testatoris, et testamentum anterius annullat : porro nova Lex est Testamentum Christi : ergo morte ejus confirmata est et vetus Testamentum fuit abrogatum, quod clare exprimit B. Paulus, Hebr. ix, 15. Ergo.

R. 3°. Lex vetus non statim post mortem Christi, licet mortua in se, cessavit obligare; tamdiu enim obligatio ejus perseveravit, quamdiu Lex nova nondum obligabat, quia nullum inter utramque legem debuit esse intervallum : atqui Lex nova non statim post mortem Christi cœpit obligare : repugnat enim bonitati et sapientiæ Dei legem prorsus ignotam obligare : at Lex nova statim post

mortem Christi erat prorsus ignota fere omnibus, et gentibus et Judæis : ergo.

Itaque Lex vetus, licet deficiens, adhuc erat de præcepto, et Lex nova nascens erat tantum de consilio : sic Durandus, *Vasquez*, Dominicus *Soto* aliique plures, contra *Suarez*, Sylvium aliosque non paucos, qui contendunt veterem Legem omnino cessasse per mortem Christi et novam simul viguisse. Unde Baptismus, juxta ipsos, tunc cœpit esse de necessitate medii : juxta alios, non ita fuit necessarius nisi a die Pentecostes quo Lex nova solemniter fuit promulgata ; validus tamen fuit ab initio ipsius institutionis, etiam dum circumcisio adhuc erat præcepta.

Si ergo Judæus, omissa circumcisione, infantem suum baptizasset, graviter peccasset ; sed infans salvus fuisset, inquit Sylvius, et post ipsum alii theologi.

Quæritur 2° quo tempore Lex vetus facta fuerit mortifera.

R. 1°. Oportuit Synagogam sepeliri cum honore; ideo non statim ritus Mosaici facti sunt illiciti : unde Apostoli eos passim observarunt, etiam diu post Pentecosten, et observari permiserunt, licet jugiter docuerint eosdem ad justificationem nihil prodesse. Sic B. Petrus, Act. x, 14, declarat se *omne commune et immundum* nunquam manducare; B. Paulus Timotheum *circumcidit propter Judæos*, ib. xvi, 3; ipse, suadente Jacobo, sanctificat se, ut ostendat se custodire Legem, ib. xxi, 24; Apostoli in concilio Hierosolymitano coadunati, statuerunt ut fideles a sanguine et suffocato abstinerent. Ergo.

R. 2°. Semper servanda sunt præcepta moralia, non vi Legis antiquæ, sed vi legis naturalis ad quam pertinent, aut simul vi Legis novæ.

R. 3°. Nihil vetat quin præcepta judicialia adhuc observentur, non tamen quasi virtute veteris Legis; hinc Ecclesia et principes quædam matrimonii impedimenta in Levitico expressa adoptarunt.

R. 4°. Constat legem Mosaicam nunc, quoad ritum religiosum, esse mortiferam, id est Christianum ei subscribere non posse sine peccato mortali; quicumque enim

ita ageret, fidem christianam abjicere censeretur et ab omnibus velut apostata haberetur; Innocentius III expresse definit, Decretal. lib. 3, tit. 42, cap. 3, Legem cum Evangelio, Circumcisionem cum Baptismo subsistere non posse, hæc Apostoli verba referens : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit,* Gal. v, 2. Ergo.

Quo præcise autem tempore res contigerit, non sibi consentiunt doctores : S. Hieronymus arbitratur Legem ita abrogatam fuisse per mortem Christi, ut nullus animo Deo serviendi eam serio observare potuerit absque peccato : unde inferebat Apostolos non sincere, sed simulatorie eam in quibusdam punctis servasse, ne scandalum Judæis præberent. S. Augustinus vero contendebat legalia ab Apostolis servata fuisse, *non mentientis astu, sed compatientis affectu,* et reipsa factos esse Judæos cum Judæis, ut Judæos lucrifacerent, sicque legalia fuisse mortua cum Christo, sed non statim mortifera.

Hæc sententia communior evasit : omnes fere theologi eam admittunt, contenduntque Legem veterem factam esse mortiferam tempore quo templum Hierosolymitanum funditus fuit eversum et Synagoga destructa, circa annum quadragesimum post mortem Christi, quia ex tunc nullus honor Synagogæ fuit debitus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LEGE NOVA.

Lex nova, sic dicta, quia post legem Mosaicam venit, dicitur etiam *Lex fidei, Lex spiritus vitæ, Lex libertatis, Lex Evangelica,* et recte definiri potest : Lex a Christo data, per Apostolos promulgata, et gratiam supernaturalem sibi conjunctam habens.

Breviter nobis expendendum est 1° an et quæ sit Lex nova, 2° in quo a veteri Lege differat, et 3° quando incœperit et quamdiu sit duratura.

§ I. — An et quæ sit Lex nova.

Lutherus et Calvinus, contendentes hominem sola fide justificari, docuerunt Christum veterem legem sustulisse, et libertatem nobis, nulla lege imposita, concessisse.

PROPOSITIO.

Christus novam Legem condidit eamque veteri Legi substituit.

Prob. definitione concil. Trid., Scriptura sacra et ratione.

1° *Definitione concil. Trid.*, sess. 6, can. 19 : « Si quis » dixerit nihil præceptum esse in Evangelio, præter fi- » dem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque » prohibita, sed libera... anathema sit. »

2° *Scriptura sacra.* Christus annuntiatus fuerat ut *judex* et *legifer*, Isai. XXXIII, 22, et ipse doctrinam suam prædicans, dixit, Joan. XVI, 15 : *Si diligitis me, mandata mea servate*, v, 12 : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me;* Matth. XXVIII, 19 : *Euntes, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ergo 2°.

3° *Ratione.* Ecclesia est societas perfecta, a Christo sapientissime fundata : porro societas nullis legibus instructa, in qua omnes pro libitu agere possunt, non esset perfecta et sapienter fundata, *ut patet* : ergo 3°.

Si ergo Apostolus dicat, Rom. VI, 14 : *Non enim sub Lege estis, sed sub gratia ;* et II Cor. III, 17 : *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas,* id certe, per oppositionem ad Legem antiquam, quæ gratia erat destituta et captivos tenebat Judæos ; et non nisi per evidentem abusum hæc aliaque similia verba abjiciunt novatores.

Nova Lex autem triplicis generis continet præcepta, scilicet, 1° moralia ; Christus enim legem naturalem non solvit, sed, e contra, eam iterum promulgavit et sancivit, sicque Decalogum renovavit inquantum ad legem naturalem pertinet, totam legem ad amorem Dei et proximi reducens, Matth. XXII, 40 ; 2° præcepta cæremonialia, ea

videlicet quæ spectant ad sacramenta, v. g. : *Nisi quis renatus fuerit*, etc.; *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc.; 3° præcepta fidei, nempe credenti mysteria a Deo revelata, juxta hæc verba Marc. xvi, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Quædam insuper in Evangelio commendantur, nec tamen præcipiuntur, et ideo consilia Evangelica dicuntur : ad tria genera S. Thomas ea revocat, 1 2, q. 108, art. 4, scilicet, ad paupertatem voluntariam, castitatem et obedientiam, quæ materia sunt religiosorum votorum et objectum perfectionis christianæ.

Christus leges politicas non instituit, quia non uni genti, sed omnibus populis terræ suam religionem communem esse volebat.

§ II. — De differentia inter veterem et novam Legem.

Pluribus in punctis duæ illæ Leges a se differunt.

1° Deus, qui est auctor utriusque Legis, priorem per ministerium Angelorum et Prophetarum dedit, posteriorem vero per æternum suum Filium, ut ait Apostolus, Hebr. i, 1 et 2 : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime in diebus istis locutus est nobis in Filio.*

2° Lex vetus gratiam propria virtute non producebat, eam vero Lex nova adjunctam habet, et per sacramenta ex opere operato producit : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* Joan. i, 17.

3° Lex vetus in tabulis lapideis atramento scripta erat, et Lex nova spiritu Dei vivi in tabulis cordis, *II Cor.* iii, 3.

4° Quamvis sub antiqua Lege eadem exstiterit fides quoad substantiam, et justi tunc exstantes christiani fuerint, quia *nomen Christianorum postea divulgatum factis antecesserunt,* inquit S. Aug., Serm. 300, multa tamen in Lege nova revelantur, quæ vel ignorabantur, vel obscure tantum innotescebant : unde puer apud catholicos catechismum edoctus, multo clarius noscit dogma peccati originalis, Redemptoris necessitatem, personarum in

Deo Trinitatem, multaque alia, quam doctiores inter Judæos.

5° Lex vetus erat timoris et servorum, et Lex nova est amoris et filiorum : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, Rom. VIII, 15.

6° Lex vetus populo Israelitico erat destinata nec cunctis gentibus communis esse poterat; Lex nova est universalis : *Docete omnes gentes*, etc.

7° Lex vetus erat ad tempus, et Lex nova usque ad consummationem sæculi perseverabit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. VIII, 20.

8° Lex vetus erat tantum *umbra futurorum*, Coloss. II, 17, et nova continet realitatem.

9° Lex vetus promittebat bona temporalia, et eorum intuitu ad virtutem excitabat; Lex vero nova quidquid temporale esse contemnendum, et sola æterna concupiscenda docet.

10° Justi, sub veteri Lege decedentes, ad æternam felicitatem non admittebantur, et in nova Lege cœlum a Christo apertum statim introeunt, si a reliquiis peccatorum sint mundati, etc.

§ III. — De duratione Legis novæ.

Constat Legem novam Judæos obligare incœpisse saltem die Pentecostes, quo solemniter promulgata est coram ingenti multitudine, *ex omni natione quæ sub cœlo est*, Act. II, 5: tunc enim impletum est verbum Isai. II, 3 : *De Sion exibit Lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

Hæc autem promulgatio, quantumvis solemnis, cunctis gentibus simul innotescere non potuit; nemo tamen ad impossibile tenetur : unde aliquam dilationem concessam fuisse necesse est, ut Lex nova omnes stricte obligaverit : « Non igitur cœpit obligare eodem instanti pro toto ter- » rarum orbe, inquit *Dens*, t. II, sed successive, prout » promulgatio ad varias nationes humano modo potuit » pervenire. Primo itaque affecit Jerosolymis existentes,

» ac deinde alios, tum Judæos, tum gentiles, toto orbe » degentes. »

Communiter docetur eam pro universo orbe sufficienter promulgatam fuisse tempore excidii Hierosolymitani, et tunc omnibus necessariam fuisse necessitate medii, non quod omnes eam ignorantes peccaverint, sed eo sensu quod ex hoc momento aliud non exstiterit remedium contra peccatum, tum originale, tum actuale; ignorantia enim quantumvis invincibilis, a peccato excusare potest, non vero efficere ut remedia instituta tanquam necessaria necessitate medii, sic necessaria non sint, aut remedia abrogata adhuc sint valida. Ita Sylvius, t. II, et generaliter theologi.

Lex nova, sic instituta et obligans, usque ad consummationem sæculorum perseveratura est: *Ecce ego vobiscum sum,* inquit Christus Apostolis eorumque successoribus, *usque ad consummationem sæculi.* Et vero, nulla lex Lege nova perfectior ei succedere potest, sicut ipsa Legi veteri successit. Ergo.

Christus, ut pote Legis novæ conditor et dominus, ab illa inquantum est positiva, dispensare posset decreto ab æterno lato; at nulli concessit potestatem ab illa dispensandi. *Ita omnes.* Unde Ecclesia, quæ omne vinculum spirituale solvere potest, a lege Christi positiva dispensare nequit, v. g., a matrimonio rato et consummato, a necessitate Baptismi, a materia aut forma sacramentorum, etc.: quod agnovit concil. Trid. declarans, sess. 21, cap. 2, Ecclesiam nihil posse in sacramentorum substantiam.

PARS SECUNDA.

DE LEGE HUMANA.

Nobis dicendum est 1° de legum humanarum auctore; 2° obligatione; 3° speciebus; 4° objecto; 5° subjecto; 6° cessatione.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGUM HUMANARUM AUCTORE.

Lex humana ea est quæ ab hominibus curam communitatis perfectæ habentibus, pro bono subditorum suorum fertur. « Duo sunt, inquit papa Gelasius, Epist. ad Anas- » tasium, anno 491, *Labbe*, t. IV, quibus principaliter hic » mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum et regalis » potestas. »

Duplex igitur est auctoritas legislativa in mundo, ecclesiastica scilicet et civilis.

Lex ecclesiastica ea est quæ ab hominibus curam communitatis religiosæ habentibus, pro bono spirituali subditorum fertur.

Lex civilis ab eo qui curam communitatis politicæ habet, in bonum temporale subditorum conditur.

Valdenses, Wiclefistæ, Lutherus et Calvinus negarunt quamlibet legem Christianis imponi posse, « sive ab ho- » minibus, sive ab Angelis, nisi inquantum volunt; li- » beri enim sumus ab omnibus : » sunt verba Lutheri. Hos errores per sequentes refellemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia habet potestatem ferendi leges quæ spectant ad res spirituales.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Act. XV, 28 : *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Certe hæc verba, *imponere vobis hæc necessaria*, proprie dictam exprimunt legem : objectum hujus legis, scilicet abstinentia ab idolothytis, suffocato et sanguine, in essentiis rerum non fundatur : ergo

concilium Hierosolymitanum legem pure humanam tulit: porro Ecclesia eamdem habet potestatem ac Apostoli in dicto concilio adunati : ergo 1°.

2° *Traditione.* Concilia generalia, a Nicæno I usque ad Tridentinum, leges positivas instituerunt : plurimæ sunt aliæ leges consuetudine introductæ, vel ab ipsis Apostolis traditæ et ubique exstantes, in Ecclesiis orientali et occidentali, v. g., lex abstinentiæ et jejunii in Quadragesima, lex celebrandi festa, audiendi Missam, etc. Ergo 2°.

3° *Ratione.* Ecclesia est societas perfecta in suo genere : donata est igitur expedita potestate ad proprium regimen necessaria : porro Ecclesia proprio regimini sapienter providere non posset, nisi potestatem condendi leges haberet; multi siquidem reprimendi sunt abusus, plurimaque ad honorem Dei promovendum, ad uniformitatem cultus et disciplinæ, nec non ad salutem animarum procurandam necessaria : ergo 3°, etc. Ergo.

Diximus *quæ spectant ad res spirituales;* Ecclesia enim leges civiles et politicas facere non potest, nisi pro ditionibus sibi politice commissis; quia ad hoc solummodo instituta est a Christo ut infallibiliter doceret veritatem, bona spiritualia administraret, hominesque in via salutis dirigeret.

Hinc sequitur Ecclesiam instituere posse tribunalia et judices, ad causas spirituales requirendas et judicandas, ad corrigendos delinquentes eosque pœnis salutaribus plectendos, etc.

Hæc autem religiosa potestas erat quasi adumbrata in lege naturæ, ubi semper quædam reperitur pontificia potestas ratione formali a potestate civili distincta, quia societas humana, etiam ante legem scriptam spectata, indiguit uniformitate in Deo cognoscendo et honorando, et ideo potestate eam ad hunc finem gubernante.

Sub lege scripta, a Deo institutum fuerat sacerdotium cui inerat potestas legislativa, longe tamen inferior potestate Ecclesiæ concessa.

Potestas Ecclesiæ est universa, in perpetuum duratura,

supernaturalis, cum potestate ordinis et jurisdictionis essentialiter connexa.

Quæritur quinam in Ecclesia habeant potestatem condendi leges circa res spirituales.

R. Concilium generale, summus Pontifex, episcopi, concilia particularia, capitulum, sede vacante, et nonnullæ religiones.

1° *Concilium generale*; totam enim repræsentat Ecclesiam : ergo potest quidquid potest Ecclesia generatim sumpta, proindeque condere leges pro universa Ecclesia.

2° *Summus Pontifex*; ipsi enim Christus dixit, in persona Petri : *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* Joan. XXI, 15, 16 et 17 : vox autem *pascere* idem significat ac gubernare aut regere, ut patet ex verbis ad David, II Regum, V, 2 : *Tu pasces populum meum Israel,* id est, reges : ergo summus Pontifex habet jure divino potestatem totam regendi Ecclesiam. Ergo.

3° *Episcopus*; positus est a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, Act. XX, 28 : habet ergo jure divino potestatem suam gubernandi ecclesiam, ac consequenter faciendi leges pro sua diœcesi. Hanc episcopi ubique exercent potestatem; nulla quippe est diœcesis quæ specialia non habeat statuta aut leges particulares.

Episcopus nominatus et a summo Pontifice institutus, eo ipso habet jure communi plenitudinem jurisdictionis et leges condere potest, in sensu alibi enuntiato, Extrav. comm., l. 1, cap. 1, de Electione.

Episcopus electus vel nominatus jurisdictionem a capitulo per delegationem accipere non potest, ut diximus in Tractatu *de Ecclesia.*

4° *Concilia particularia*; si enim episcopi seorsim sumpti leges pro suis diœcesibus condere possint, similiter et in concilio, sive nationali, sive provinciali, communi consensu leges pro natione aut provincia instituere possunt. Verum si quidam episcopus a majoritate dissentiret, nec legi latæ subscribere, nec eam in sua diœcesi publicare vellet, docet Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 2, n. 4, illum judicio aliorum acquiescere et

statuta synodalia acceptare eaque propria subscriptione corroborare teneri. Haberet solummodo jus ad Sedem Apostolicam appellandi.

Metropolitani et patriarchæ legem ferre non possunt pro diœcesibus quarum non sunt titulares, idque Calixtus III ipsis expresse prohibuit. Decret., 2ª part., causa 9, q. 3, cap. 7.

5° Capitulum, sede vacante, nihil per se facere potest, sed tenetur, intra octiduum, eligere vicarium capitularem, qui et ipse nihil innovare potest, sed tantum diœcesim gubernare, juxta leges statutas, usque ad legitimam possessionem futuri prælati. Sic Innocentius III, Decretal. l. 3, tit. 9, cap. 1, et Concil. Trident., sess. 24, de Reform. cap. 16.

Collegium cardinalium, Sede Romana vacante, jurisdictionem ad Romanum pontificem pertinentem exercere non potest, nec igitur ullam legem ferre; Clement. lib. 1, tit. 3, cap. 2; sed nominationi alterius Pontificis statim incumbere tenetur. Non dubitandum tamen quin urgente necessitate, aliquid, saltem modo provisorio, statuere posset, nam Ecclesia semper sibi sufficere debet. Ita *Collet*, t. III.

6° *Religiones*, id est ordines religiosi; habent enim statuta quæ, a summo Pontifice approbata, veræ sunt leges : nova quandoque facere possunt, juxta proprias constitutiones. Prælati intra limites suæ jurisdictionis instituere possunt leges suos obligantes subditos, modo unusquisque a statutis ordini propriis non recedat. Item olim abbates jurisdictione episcopali fruentes, et capitula territorium exemptum habentia.

PROPOSITIO SECUNDA.

Principes sæculares leges proprie dictas circa res temporales condere possunt.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Prov. VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt : per me princi-*

pes imperant. Ergo. Christus jussit reddere Cæsari quæ erant Cæsaris, Matt. xxii, 21; B. Petrus, I Epist. ii, 13, ait : *Subditi estote, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis :* at ita non juberet Apostolus ut regi subditi essemus, nisi persuasum habuisset illum gaudere potestate constituendi leges. Ergo 1°.

2° *Traditione*. Semper enim Patres Ecclesiæ et doctores christiani docuerunt obtemperandum esse legibus principum, res temporales ordinantibus. Ergo 2°.

3° *Ratione*. Principes legitime constituti tenent a Deo potestatem regendi subditos, juxta hæc verba : *Per me reges regnant, per me principes imperant :* at juste regnare et imperare nequeunt, nisi instituant leges. Ergo 3°.

Diximus *circa res temporales;* sicut enim Ecclesia leges civiles condere non potest, ita nec principes leges ecclesiasticas : utraque potestas est suprema in suo genere, et una in suo officio alteri non est obnoxia.

Quædam citantur leges simul civiles et ecclesiasticæ, ut Capitularia regum Galliæ, sub prima et secunda dynastia : sed erant effectus conventuum ex episcopis et magnatibus regni conflatorum; cum enim magnates laici in summa tunc versarentur ignorantia, ut plurimum, consilio clericorum frequenter opus habebant : idcirco advocabant episcopos ut dominos temporales et simul ut principes Ecclesiæ; inde leges videbantur sacræ et obsequium populorum facilius obtinebant.

Leges canonicæ et civiles in eo conveniunt quod circa honestum tantum versari debeant, licet non prohibeant quidquid inhonestum aut aliter malum est. In eo vero a se discrepant quod finis legis civilis sit bonum temporale societatis, dum finis legis canonicæ est bonum spirituale ac supernaturale religiosæ societatis : hujus ergo materia est nobilior ac universalior.

Jus utrumque, civile et canonicum, aliquando circa eamdem materiam physice spectatam, versatur : sed ea materia duplicem tunc habet respectum, ab utraque potestate discriminatim apprehensum. Lex civilis quando-

que etiam fit canonica, si ab Ecclesia adoptetur, et vice versa, lex ecclesiastica fieri potest civilis.

Quæritur quinam principes habeant potestatem condendi leges.

R. Ii omnes qui suprema gaudent auctoritate, id est, alterius non sunt delegati ut ipsius nomine agant, quales sunt imperator pro imperio, rex pro toto regno, princeps pro suo principatu, magistratus reipublicæ legitime constitutæ vel urbis liberæ pro statu politico cui præsunt, sive magnus sit, sive parvus; non vero duces militum aut præfecti provinciarum, quantumvis late ipsorum potestas extendatur, quia proprio nomine agere nequeunt.

Fieri potest ut quis proprio nomine agens, superiorem tamen habeat : tunc ipsius leges a superiore irritari vel reformari possunt. Unde summus Pontifex irritare aut reformare potest leges ab episcopo latas, et princeps *suzerannus* leges feudatarii.

Regina et principissa supremæ auctoritatis est capax, ut patet experientia et populorum consensu : ergo leges ferre potest non secus ac rex aut princeps ; imo fieri potest ut regina nubens potestatem leges ferendi sola retineat, ut exemplo Angliæ constat : tunc maritus, dignitatem ab uxore participans, vocatur rex, et gubernium familiæ vi matrimonii suscipit, non vero gubernium regni.

CAPUT SECUNDUM.

DE LEGUM HUMANARUM OBLIGATIONE.

Inquirendum est 1° an leges humanæ obligent sub peccato ; 2° an sub pœna decreta ; 3° an sub irritatione actus ; 4° an lex dubia obligationem pariat ; 5° quænam promulgatio necessaria sit ut lex humana obliget, et 6° an requiratur consensus subditorum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OBLIGATIONE LEGIS HUMANÆ SUB PECCATO.

In hoc præcipue errarunt hæretici superius recensiti, p. 551, asserentes nullum legislatorem humanum habere potestatem Christianorum ligandi conscientiam, nisi forte determinando circumstantias in quibus lex divina existat. Dicemus 1° de obligatione legis justæ; 2° de obligatione legis injustæ; 3° de natura obligationis legis justæ; 4° de modo eam implendi.

§ I. — De obligatione legis justæ.

PROPOSITIO.

Omnis lex justa obligat sub peccato.

Propositio est de fide quoad leges ecclesiasticas, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus et ratione.

1° *Est de fide quoad leges ecclesiasticas;* sic enim definita est in concilio Tridentino, sess. 7, can. 8 : « Si quis » dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Eccle- » siæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea » observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submit- » tere voluerint; anathema sit. »

2° *Prob. Scriptura sacra.* Matth. XVIII, 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis.* Hæc certe vera non essent si leges ecclesiasticæ obligationem conscientiæ non imponerent.

Rom. XIII, 1, 2, 5 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote : non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quid expressius desiderari potest? Leges igitur tum ecclesiasticæ, tum civiles, obligant in conscientia. Ergo 2°.

3° *Prob. SS. Patribus.* S. Aug., Epist. 185, alias 50 : « Quicumque autem legibus imperatorum, quæ pro Dei » veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit » grande supplicium. » S. Bernardus, de Consid., lib. 4, cap. 9 : « Sive Deus, sive homo vicarius Dei, mandatum » quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est » cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo con- » traria non præcipit homo. » Ergo 3°.

4° *Prob. ratione.* 1° Per Deum *legum conditores justa decernunt*, id est, Deo ita ordinante, conferente, scilicet, auctoritatem illamque per legem æternam dirigente. Atqui, ex eo duplici capite, evidenter oritur obligatio pro conscientia. 2° Datur præceptum divinum et naturale obediendi parentibus et dominis, *non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis,* I Petr. II, 18 : ergo *saltem a pari*, et principibus juste imperantibus. 3° Potestas ferendi leges necessaria est ad bonum regimen subditorum : atqui hæc potestas illusoria foret, si leges vim conscientiam obligandi non haberent. Ergo 4°.

Dices cum hæreticis, I Cor. VII, 23 : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum;* et Gal. v, 13 : *Vos in libertatem vocati estis:* at Christiani non liberi, sed servi essent hominum, si leges humanæ eos stricte obligarent : ergo.

R. Dist. textus citatos. Apostolus vult Corinthios in eo statu manere in quo vocati sunt, sive in libertate, sive in servitute : eos tamen hortatur ut a Christo redempti ipsiusque servi, hominibus, maxime infidelibus, facilius se non vendant, vel eis aliquid contra mandata Christi præcipientibus non obediant, vel potius ut, sive servi, sive liberi nunquam ita adhærent hominibus, ut Christo, ad quem pertinent, displiceant. Ad Galatas vero dicit eos vocatos esse in libertatem a lege Moysis, ad quam pseudo-apostoli eosdem retrahere volebant. Ergo.

Dices : Repugnat legem humanam eamdem vim habere obligandi ac legem divinam : ergo dici non potest eam obligare sub peccato.

R. Nego ant. Nam Deus ipse jubet ut justis obediatur legibus, tum ecclesiasticis, tum civilibus : unde earum

vis obligandi ab ipso Deo, seu a lege æterna derivatur. Ergo. Hinc peccatum recte definitur, sicut in catechismo nostro, *transgressio legis divinæ*, quia violatio legis humanæ justæ est eo ipso transgressio legis divinæ naturalis aut positivæ.

Inst. Legislator humanus nullam habet potestatem in foro conscientiæ : ergo conscientiam ligare non potest.

R. Dist. conseq. Conscientiam ligare non potest, per se et directe, *conc.;* occasionaliter, *nego conseq.* Etenim, eo ipso quod aliquid justum præcipiat Deus, ordinis naturalis conservator, jubet ut ipsi pareatur. Ergo. Sic parentes et domini temporales conscientiam inferiorum, dum aliquid justi præcipiunt, indirecte ligant. Nec igitur, ad hanc obligationem imponendam, necesse est ut superior habeat potestatem in foro conscientiæ solvendi.

Objicitur adhuc quasdam existere leges mere pœnales, obligationem conscientiæ non inducentes : verum infra ostendemus disputationem esse tantum de verbis, et leges quæ dicuntur pœnales, ultimo resolvi in aliquam conscientiæ obligationem ad sensum a legislatore intentum. Tenendum est ergo obligationem esse de essentia legis, et ideo legem non obligantem merum esse consilium.

§ II. — De lege injusta.

Quadruplici modo lex potest esse injusta, scilicet 1° ex parte finis, si ad bonum commune non ordinetur ; 2° ex parte formæ, si justitia distributiva non servetur, et onera publica inæqualiter imponantur ; 3° ex parte legislatoris, si potestatem excedat, et 4° ex parte materiæ, si res illicita præcipiatur.

Certum est 1° legem ex quacumque parte injustam, per se non obligare in conscientia ; vis enim obligandi, in lege humana, a lege Dei procedit ; at Deus non sancit legem injustam quæ legi æternæ certe non est conformis : ergo.

Certum est 2° legi injustæ ratione materiæ nullum, tuta conscientia, obtemperare posse, juxta responsum B. Petri ad principes sacerdotum, Act. v, 29 : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

In dubio autem an res sit licita vel illicita, subditus consulere debet libros, viros doctos, confessarium, parochum, episcopum, vel, si opus fuerit, summum Pontificem : si dubio nondum excusso, præceptum urgeat, regulariter obtemperare debet, quia bonus ordo postulat ut in dubio præsumptio stet pro superiore. Ita S. Aug., S. Bernardus et generaliter theologi.

Dicimus *regulariter*; quia si ex speciali circumstantia gravius prævideretur malum ex obedientia quam ex non obedientia, non obtemperandum foret. Sic *Billuart, Dens*, S. Ligorius, l. 1, n. 99, etc.

Sed adversus principes injusta præcipientes non ideo rebellare licet : pontifices, presbyteri et innumeri Christiani hoc et sua doctrina et exemplo probaverunt. Contrario enim principio semel admisso, ingentes in societate orirentur perturbationes : omnia igitur potius sunt patienter toleranda, exemplo martyrum, quam armis contra principes potestate sua abutentes, propria auctoritate insurgere.

3° Leges injustæ ratione finis aut formæ, licet per se non obligantes, communiter observandæ sunt; 1° quia subditi non debent esse judices in propria causa, inde enim innumera sequerentur incommoda; 2° quia hujusmodi leges communiter non violarentur sine ordinis perturbatione aut scandalo; existit autem lex naturalis quæ præcipit vitare perturbationem et scandalum. Ergo. Sic S. Th. 1 2, q. 96, art. 4.

Diximus *communiter*; quia si omissio fieri posset sine scandalo et perturbatione, licita esset, modo de injustitia constaret.

Quæritur 1° an leges tyranni obligent in conscientia.

R. Duplici modo princeps potest esse tyrannus; nempe subditos opprimendo, vel auctoritatem usurpando. In priori casu communiter ipsi obediendum est, quando aliquid evidenter illicitum non præcipit, ut modo diximus.

In posteriori vero casu, usurpator non habet potestatem condendi leges quæ obligent in conscientia : attamen ipsi quandoque propter bonum publicum obtemperan-

dum est, ut in Philosophia morali ad calcem ostendimus.

Quæritur 2° an lex in falsa præsumptione fundata obliget in conscientia.

R. Duplex distinguitur præsumptio, facti scilicet et periculi. Si lex nitatur facto supposito vero, quod reipsa falsum est, non obligat : v. g., quando concil. Trid. declaravit, sess. 24, cap. 1 de Ref., matrimonia clandestina, ante publicationem decreti inita, habenda fore ut valida, supponit contractum privatum revera exstitisse; quo deficiente, hæc matrimonia, non obstante lege, fuissent nulla. Si autem lex in præsumptione periculi fundetur, licet malum quod timetur in aliquo casu particulari non eveniat, nihilominus valet lex, alioquin finem suum obtinere non posset. Hinc nullum est matrimonium sine præsentia parochi aut duplicis testis celebratum, quamvis in utroque contrahente perfecta exstiterit libertas.

§ III. — De natura obligationis legis justæ.

Constat, ex dictis, legem humanam etiam civilem obligare sub peccato : peccatum autem istud potest esse mortale vel veniale, juxta omnes. Quærunt theologi unde desumenda sit gravitas peccati contra legem. Dicemus cum plerisque desumendam esse ex gravitate materiæ et ex intentione legislatoris.

Ex gravitate materiæ; repugnat quippe materiam ex omni parte levem præcipi sub mortali : tale præceptum haberetur ut insanum, legi æternæ non esset consonum, nec ideo Deus illud sanciret. Attamen in eo casu lex obligaret sub levi.

At res in se levis potest esse gravis ratione circumstantiarum aut finis intenti : sic esus pomi in paradiso terrestri non erat quid grave in se, sed gravissimum ratione finis.

Ex intentione legislatoris; quia potest absolute, quidquid plures dicant, rem gravem sub levi præcipere, sicut posset eam non præcipere. Ita *Suarez, Collet,* P. *Antoine, Dens,* S. Ligorius et multi alii. Unde constitutiones ordinum religiosorum, licet a summis Pontificibus appro-

batæ, obligant tantum sub levi, vel sub nullo peccato per se, etiam in materia gravi, v. g., in abstinentiis, jejuniis, etc.

Lex rem præceptam ponit in ea virtute ex cujus motivo, etiam extrinseco, præcipitur; unde peccat contra religionem qui cibum sumit ante communionem; sic præter peccatum inobedientiæ adest alia specialis malitia aperienda.

Si lex motivum non exprimit, tunc ex motivo suo intrinseco præcipit.

Legislator semper judicandus est imperare secundum naturam materiæ, nisi contrarium expresse manifestet; sub gravi igitur in materia gravi, sive de peccato cogitet, sive non, sive sit fidelis, sive infidelis, imo etiamsi foret atheus, quia nihilominus habet jus imperandi, et Deus mandata ejus justa observari jubet.

Materia reputatur gravis 1° ex quantitate materiæ, v. g., nummus aureus; unus assis esset materia levis; 2° ex ipsius qualitate, v. g., hostia consecrata; 3° ex fine qui intenditur, ut diximus; 4° ex circumstantiis aggravantibus, v. g., si quis furetur rem parvam in ecclesia, aut cum scandalo; 5° ex contemptu legis vel potestatis; 6° ex pœnis adjunctis, v. g., morte, exsilio, carcere, notabili mulcta, etc.

Notant theologi legem violari posse ex contemptu diversis modis : 1° ex contemptu rei præceptæ, et gravitatem peccati æstimandam esse ex gravitate materiæ vel ex errore in doctrina; 2° ex contemptu Dei legislatoris, et peccatum semper esse mortale; 3° ex contemptu formali legislatoris, et iterum peccatum videri semper mortale, quia contemptus censetur cadere in Deum cujus legislator humanus vices gerit; 4° ex contemptu legislatoris quatenus talis est homo, et peccatum veniale esse posse, si materia sit levis.

Quæritur 1° an leges positivæ obligent cum periculo vitæ aut cum alio gravi incommodo.

R. 1°. Lex naturalis obligat cum periculo vitæ, quia quod ipsi opponitur, ita malum est ut nulla necessitate

fieri possit licitum. Supponimus quod, mutata materia, lex non cessaverit.

R. 2°. Ordinarie leges positivæ, sive divinæ sive humanæ, non obligant cum periculo vitæ, quia sic obligare nolunt legislatores, et sæpe sic obligare non possent, nempe quando bonum publicum hoc non exigit : unde David licite comedit panes Propositionis solis sacerdotibus jure divino reservatos, referente Christo, Matth. XII, 4; lex audiendi Missam die dominica, jejunandi in Quadragesima, etc., nec cum periculo vitæ, nec cum gravi detrimento sanitatis, famæ aut fortunæ obligat; et ita de cæteris. Hinc prodiit axioma : *Lex positiva non obligat cum tanto incommodo.*

Nec dici potest legem obligare sub peccato, quod præ omnibus malis vitari debet; nam ubi tale occurrit incommodum, lex cessat, quia legislator non habuit intentionem nec communiter potestatem in eo casu obligandi; proinde inobservantia ejus non est peccatum.

Diximus *ordinarie*; nam quidam esse possunt casus in quibus lex cum periculo vitæ obliget, nempe 1° si periculum actui præcepto sit annexum et bonum publicum id postulet : v. g., miles excubias agens potius mori eligere debet, accedente hoste, quam non clamare; 2° si violatio legis in contemptum Dei, religionis, potestatis legislativæ, vel in scandalum proximi vergenda esset. Sic Eleazar maluit mori quam carnes porcinas manducare; II Mach. VI, 27.

Si periculum actui præcepto non sit annexum, lex *per se* non obligat ad illud subeundum; sed aliquando per accidens, si actus respectu societatis vel religionis maximi sit momenti.

A fortiori, in his similibusque casibus, lex obligat cum dispendio sanitatis, famæ, fortunæ, etc., et quandoque cum dispendio famæ, et non cum periculo vitæ, v. g., ad restituendam famam alterius injuste læsam, ad procurandam confessionis integritatem, etc.

Notandum aliquem legem observare posse cum periculo vitæ, si adsit gravis ratio, quin tamen ad id teneatur.

Quæritur 2° an constitutio Carthusianorum, qua esus carnium ipsis prohibetur sub gravi, obliget cum periculo vitæ.

R. Communius docetur talem esum ipsis licitum non fieri, ex judicio medicorum attestantium illum necessarium esse ad conservationem vitæ : talis quippe est sensus constitutionis ab Ecclesia approbatæ, ex interpretatione in ordine recepta ; et rigor iste judicatur necessarius ad vigorem instituti conservandum.

At Carthusianus cui omnes cibi deficerent, carnes manducare teneretur, quia ipsius constitutio eum obligare non potest ad pereundum fame. Ita *Dens*, t. II, p. 376.

§ IV. — De modo implendi legem ut ei satisfiat.

Sub nomine modi implendi legem petitur an ipsius observantia fieri debeat 1° libere, 2° ex intentione, 3° per actum virtutis, 4° tempore præfixo, 5° ante tempus, et 6° post tempus elapsum : his quæsitis breviter per ordinem responsuri sumus.

1° Observantia fieri debet libere et cum sufficienti advertentia, alioquin non esset actus humanus. Hinc ebrius non potest audire Missam die festo, recitare Horas, pœnitentiam implere, sacramenta administrare, etc. Lex tamen prohibens sufficienter observatur per omissionem actus prohibiti, sine advertentia.

2° Ut satisfiat legi, ordinarie non requiritur intentio satisfaciendi ; sufficit enim ut opus præscriptum impleatur : at substantialiter impleri potest sine voluntate satisfaciendi : v. g., aliquis audit Missam die dominica, jejunat, a carnibus abstinet, etc., non cogitans de præceptis, vel de diebus quibus hæc implenda sunt, satisfacit ; imo, et qui audiret Missam cum intentione non satisfaciendi : ita *Suarez*, *Vasquez*, Lessius, *Antoine*, S. Ligorius, etc. Non ita tamen præcepto implendi pœnitentiam a confessario injunctam satisfaceret, quia confessarius non opus solum præscripsit, sed opus in ordine ad sacramentum.

3° Non absolute necesse est ut observantia legis fiat per actum virtutis : v. g., qui modo pure naturali restitueret

vel eleemosynam daret, his satisfaceret præceptis. Si tamen objectum legis esset actus virtutis, v. g., confessio annua, ei satisfieri non posset nisi per actum virtutis et meritorium. Secus, si actus religiosus quidem in substantia præcipiatur, sed non stricte actus virtutis, v. g., auditio Missæ : sic homo qui ex pravo fine ad ecclesiam pergit, et ibi attente Missam audit, præcepto satisfacit.

4° Vel tempus est præfixum, vel non. Si prius, lex tempore determinato impleri debet, v. g., officium divinum recitandum est die cui annectitur. Si vero tempus non sit determinatum, quam primum moraliter implendum est præceptum, alioquin magis ac magis impletio ejus differri et tandem omitti posset, quod repugnat. Unde pœnitentia a confessario injuncta sine determinatione temporis, quam primum moraliter implenda est.

5° Duplici modo tempus potest esse præfixum, scilicet, ad terminandam vel ad urgendam obligationem : in priori casu, obligatio, in mente legislatoris, affixa est tempori, v. g., abstinentia diei veneris; in posteriori vero, actio præscripta principaliter a legislatore intenditur, v. g., communio paschalis.

In prima hypothesi, qui prævidet se impediendum fore ab impletione legis tempore fixo, illud prævenire non tenetur, nec, eo transacto, rem præscriptam agere. Hinc clericus prævidens se cras febri laboraturum, Horas crastinas hodie nec postridie recitare obligatur.

Tenetur, e contra, in altera hypothesi, tempus prævenire; aut, tempore elapso, rem præscriptam agere : v. g., quispiam iter agebat per quindenam paschalem, tenetur postea præceptis confessionis et communionis satisfacere.

Quæritur 1° an pluribus præceptis per unum actum simul satisfieri possit.

R. Satisfieri potest, si præcepta idem habeant objectum particulare, nisi aliud constet ex mente legislatoris, quia totum fit quod exigunt præcepta. Hinc si festum Nativitatis Domini vel Assumptionis B. Mariæ incidat in diem dominicam, duo sacra audire non tenentur fideles. Verum si præcepta diversos exigerent actus, non satisfieret unico

actu : v. g., si voveris tria jejunia, non satisfacies voto et legi Ecclesiæ ter jejunando in hebdomada *Quatuor temporum.*

Cognoscitur autem præcepta diversos exigere actus, ex consuetudine, ex verbis quibus nititur præcipiens, et ex circumstantiis. Hinc, v. g., si confessarius tibi præcipiat jejunare semel in hebdomada per sex menses, non teneris jejunare die dominica in Quadragesima, quia non præsumitur eum talem habuisse intentionem.

Quœritur 2° an eodem tempore pluribus præceptis per plures actus satisfieri possit.

R. Affirmative, modo actus præcepti non sint incompatibiles et tempus diversum non exigatur, quia totum fit quod præcipitur. *Ita communissime theologi.* Sic qui peregrinatur ex voto, officium divinum simul valide recitare potest : item, juxta communiorem sententiam, posset simul audire Missam die festo et Horas recitare; quidam tamen negant sufficientem simul adhiberi posse attentionem Missæ et breviario, præsertim quando legendæ sunt lectiones, et omnes fatentur hanc praxim non sequendam esse, nisi ex quadam necessitate. Ita Cajetanus, Navarrus, *Collet, Dens,* etc. Non posset, e contra, simul audire Missam et sacramentaliter confiteri peccata.

Quœritur 3° an qui totum præceptum implere non possunt, ad partem possibilem teneantur.

R. Vel obligationis materia est divisibilis, vel non : si materia sit divisibilis, qui non potest totum, tenetur ad partem possibilem, ut definit Innocentius XI, sequentem damnando propositionem : « Qui non potest recitare Ma- » tutinas et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil » tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. » *Et patet ratione :* numquid debens centum nummos quos solvere nequit, liberaretur, si partem sibi possibilem non solveret? Ergo. Unde qui integrum servare non potest jejunium, ad id tenetur quod potest.

Si vero materia obligationis sit indivisibilis, ut auditio Missæ, qui totam rem præscriptam agere non potest, ad partem non tenetur.

Quæritur 4° quid agendum si duo occurrant præcepta æque urgentia, quæ simul impleri nequeant.

R. Gravius observandum est, et obligatio minus gravis cessat : hoc quippe dictat supremus ordo. Hinc 1° præceptum negativum obligans semper et pro semper, ut aiunt theologi, anteferendum est præcepto positivo quod obligat semper, sed non pro semper. Sic furari non licet ad subveniendum pauperi. 2° Præceptum naturale præcepto positivo etiam divino præstat; unde licebat in veteri Lege proximo necessitatem patienti subvenire per opus servile die sabbati, et nunc omittendum est Sacrum die dominica, ne graviter ægrotans solus deseratur.

3° Lex divina positiva præferenda est legi humanæ : non licet igitur uti divortio lege humana permisso. 4° Lex primi superioris antecedere debet legem inferioris, v. g., lex papæ legem episcopi. 5° Lex strictiori virtute innixa præferenda est : v. g., qui non potest debitum solvere et eleemosynam facere, eleemosynam omittere tenetur, nisi forte de paupere in extrema necessitate constituto ageretur. 6° Habenda est etiam ratio gravitatis aut levitatis materiæ utriusque præcepti : v. g., licet charitas excellentior sit virtus quam pietas, deserendus est leviter ægrotans ut audiatur Missa die dominica.

Quæritur 5° quid agendum si lex ecclesiastica et lex civilis opponantur.

R. Si, omnibus perpensis, existat dubium quod viis ordinariis excuti nequeat, consulenda est suprema auctoritas ecclesiastica, quæ judicio doctrinali definiet quid agendum vel omittendum sit; ad ipsam enim pertinet leges divinas, tum positivas, tum naturales, certo et finaliter interpretari. Eo sensu jus canonicum dici potest jus civile reformare.

Valde optandum est inter utramque potestatem perfectam existere harmoniam, et sicut Ecclesia semper docuit obediendum esse potestati civili justa præcipienti, ita civilis potestas in gratiam Ecclesiæ suam impendat auctoritatem, quam non solum ad mundi regimen, sed maxime

ad Ecclesiæ præsidium datam sibi a Deo esse sciat.

Quæritur 6° an peccet qui ponit impedimentum impletioni legis, vel existens non tollit cum posset.

R. 1°. Qui directe ponit impedimentum ut legem non impleat, evidenter peccat, quia habet voluntatem legi oppositam.

R. 2°. Qui ponit impedimentum non consulto, sed tamen sine causa sufficienter excusante, reus est violationis legis; lex enim aliquid præcipiens, eo ipso vetat quod impletioni suæ opponitur. Hinc qui die jejunii venatur vel iter non necessarium facit, a jejunio non excusatur; qui die dominica ante Missam se inebriat, peccat contra sobrietatem et contra legem Ecclesiæ, etc.

Eadem ratione datur obligatio tollendi impedimentum jam existens, si absque gravi incommodo auferri possit. Imo aliquando tollendum est cum gravissimo incommodo, v. g., si de suscipiendo baptismate aut de ediscendis mysteriis, quorum fides explicita necessaria est ad salutem, ageretur : tunc non tam de præcepto quam de medio absolute necessario agitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LEGE PŒNALI.

Distinguitur lex moralis, lex pœnalis et lex mixta : lex moralis ea est quæ mores dirigit, non apposita pœna, v. g. : *Honora patrem tuum, Non occides,* etc.

Lex pœnalis illa est quæ directe enuntiat pœnam pro tali aut tali actione subeundam, v. g., qui frumentum extraxerit e regno, decem asses per modium solvet. Lex mixta est simul moralis et pœnalis, id est, exprimit aliquid faciendum vel omittendum, et pœnam in transgressores decernit, v. g. : « Omnis utriusque sexus fidelis, » postquam ad annos discretionis pervenerit, peccata sua » saltem semel in anno confiteatur, et sacram Eucharis- » tiam in Paschate reverenter suscipiat, alioquin vivens » ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana » careat sepultura. »

De obligatione *legis moralis* egimus in articulo præcedenti.

Leges *pure pœnales* non sunt possibiles nisi inquantum disjunctive exprimuntur, et tunc nihil præcipiunt vel prohibent; sed ex hypothesi quod aliquid fiat vel omittatur, ad pœnam obligant : igitur sub hoc respectu sunt præceptivæ. Nullæ autem existere videntur, si quædam excipiantur constitutiones in ordinibus religiosis.

Negari non potest leges *mixtas,* inquantum sunt præceptivæ, obligare sub peccato : nam appositio pœnæ vim earum obligandi non tollit, sed potius confirmat, siquidem ostendit legislatorem velle legem observari. Unde ruit opinio quæ tenet hujusmodi leges non obligare nisi ad pœnam, si violatores apprehendantur.

Nunc igitur quæstio est an leges istæ obligent in conscientia ad subeundam pœnam ante sententiam judicis.

Notandum duplicis generis distingui pœnas quas leges decernere possunt, scilicet pœnas *ferendæ* et pœnas *latæ sententiæ.* Pœnæ *ferendæ sententiæ* sunt illæ quas leges non inferunt, sed inferendas decernunt, et noscuntur quando legislator utitur verbis tempus futurum, comminationem vel imperium exprimentibus, v. g., *excommunicabitur, sub pœna excommunicationis, excommunicetur,* etc. Non incurruntur ante sententiam judicis, nec retrotrahuntur ad diem admissæ culpæ.

Pœnæ *latæ sententiæ* illæ sunt quas lex per se ipsam infligit : a transgressoribus ipso facto incurruntur, et per verba indicativi aut præteriti temporis exprimuntur, v. g., *excommunicamus, sit excommunicatus ; ipso facto, ipso jure, ex tunc, auctoritate nostra, virtute præsentium sit excommunicatus, suspensus,* etc. Ad eas tamen subeundas requiritur, in duplici casu, sententia declaratoria ; nempe 1° si pœnæ sint graves et activæ, id est, requirant ex parte puniti actionem faciendam aut sustinendam ; 2° si boni vel juris plene possessi sint privativæ, nisi lex aut consuetudo contrarium expresse dicat, quod raro accidit, exceptis censuris. Hæc autem non requiritur sententia, si pœnæ sint passivæ, vel juris primo acqui-

rendi privativæ, aut activæ, sed leves, vel conditionales. Ita *Vernier*, t. I, p. 127.

Certum est leges quæ decernunt pœnas ferendæ sententiæ, ad pœnam subeundam ante sententiam judicis non obligare : talis quippe est intentio legislatoris. Hinc qui præceptum communionis paschalis omisit, non ideo est excommunicatus.

Difficultas igitur circa pœnas latæ sententiæ versatur. Duplicis generis iterum sunt hujusmodi pœnæ; aliæ enim sunt passivæ quæ ab ipsa lege, sine concursu vis externæ, infliguntur, v. g., censura, irregularitas, inhabilitas ad aliquid faciendum ; et aliæ activæ, quæ in exsecutione a vi extrinseca pendent, ut occisio, mutilatio, incarceratio, bonorum privatio, etc.

Pœnæ prioris generis ante sententiam judicis obligant in conscientia, ut nemo diffitetur.

Pœnæ activæ etiam duplicis naturæ esse possunt, leves scilicet et graves.

Humani legislatores obligare possunt ad pœnas leves statim subeundas, v. g., ad quædam mortificationis opera in monasteriis, non autem ad subeundas in conscientia et ante sententiam judicis pœnas graves : nam imperare nequeunt aliquid nimis grave, ubi bonum publicum id non expostulat : porro hujusmodi pœnas sibi infligere, est aliquid nimis grave, imo sæpe crudele et legi naturali oppositum : bonum autem publicum pariter obtinetur si ab agente externo infligantur : ergo.

Unde reus juste damnatus non tenetur, non solum se occidere, se mutilare, sed nec ad carcerem ire, bonis se exspoliare, etc. Sed contra justitiæ exsecutores decertare, eos pœnis vel injuriis afficere non potest, quia ipsorum officium est sic agere, et repugnat dari jus juri oppositum. Si vero per industriam et sine alterius detrimento fugeret, peccati reus sub hoc respectu non videretur; pœna enim gravior est ut teneatur eam subire, quando sine ullius detrimento illam declinare potest.

Qui autem per sententiam judicis damnatur ad mulctam vel ad compensationem, eam statim solvere debet.

Quæritur an ignorantia excuset a pœna lege statuta.

Notandum 1° ignorantiam cadere posse in legem simul et in pœnam vel in pœnam tantum.

Notandum 2° ignorantiam invincibilem legis excusare a pœna ; excusat enim a culpa : ergo *a fortiori* et a pœna quæ ob culpam decernitur.

Notandum 3° ignorantiam, non ab omni culpa, sed a culpa mortali excusantem, simul a pœna gravi excusare ; nam pœna gravis semper supponit culpam gravem, æquitati repugnaret talem pœnam ob culpam ex omni parte levem incurri.

R. 1°. Ignorantia a gravi culpa non excusans, a pœna lege imposita regulariter non excusat ; qui enim voluntarie ponit causam pœnæ, pœnam contrahere debet : at culpa gravis contra legem, est causa pœnæ lege impositæ : ergo. Unde ignorantia crassa a pœna non excusat.

Diximus *regulariter* ; nam si legislator scientiam requireret, dicendo, v. g., *qui scienter* vel *temere hoc fecerit*, etc., ignorantia etiam crassa excusaret, quia talis esset intentio legislatoris ; non vero ignorantia affectata quæ temeraria foret et scientiæ æquivaleret.

R. 2°. Ignorantia etiam invincibilis solius pœnæ a pœna non excusat, excepta tamen censura ; cum enim hæc ignorantia a gravi culpa non excuset, causam pœnæ non tollit : ergo nec pœnam. Excipitur tamen censura, quia ex intentione Ecclesiæ minantis, hæc pœna contumaciam semper supponit : ignorantia autem invincibilis aut leviter culpabilis pœnæ contumaciam impedit : ergo.

Petitur an, ubi res aliqua prohibetur lege divina et lege humana pœnali, ignorantia solius legis humanæ a pœna excuset.

P. *Antoine,* t. II, dicit sibi videri talem ignorantiam regulariter a pœna non excusare, quia culpam non tollit : unde infert rebaptizantem fieri irregularem ex delicto, licet legem ecclesiasticam hoc prohibentem invincibiliter ignoret, modo legem divinam cognoscat aut vincibiliter tantum ignoret. Probabilius nobis videtur hanc ignorantiam a pœna excusare ; tollit enim culpam contra legem

humanam; pœna autem sola lege humana statuitur : ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LEGE IRRITANTE.

Leges irritantes sunt illæ quæ statuunt quosdam actus fore nullos, seu invalide contrahendos, Duplicis sunt generis : aliæ quæ actum ipso jure nullum efficiunt, v. g., matrimonium clandestinum ; et aliæ quæ decernunt actum his aut illis formalitatibus destitutum rescindi posse, ut, v. g., contractus minorum in ipsorum detrimentum initus.

Certum est 1° leges quæ statuunt actus rescindi posse, eos ante sententiam judicis non irritare. *Patet ex terminis.* Unde qui bona fide cum minori contraxit, contractu illo uti potest, donec per sententiam judicis rescindatur.

Certum est 2° contractu per sententiam judicis rescisso uti non licere, quia potestati legitimæ expresse jubenti resistere non licet.

Quæstio igitur de sola lege ipso jure irritante moveri potest. Ad quam solvendam, dicimus leges quæ personas inhabiles reddunt ad aliquid faciendum, dandum aut recipiendum, obligare in conscientia, ante sententiam judicis ; nam talis est evidenter legislatoris intentio : porro dici non potest legislatorem non habere potestatem hujusmodi actus irritandi ; hæc quippe potestas ad bonum publicum necessaria est, et apud omnes populos semper agnita fuit : ergo.

Hinc matrimonium cum impedimento dirimente contractum, radicitus est nullum. Ita titulus beneficii per simoniam acquisiti : sic et nunc donatio inter personas inhabiles aut portionem lege permissam excedens.

Quæritur an ignorantia excusans a culpa, excuset pariter a nullitate actus.

R. Excusaret utique si irritatio per modum pœnæ et in vindictam culpæ statueretur, *ut patet ex dictis.* Verum si statuatur ob bonum publicum, ignorantia, quantumvis invincibilis, a nullitate actus non excusat. *Ita omnes theo-*

logi et juristæ. Tunc enim objectum, cui apponitur irritatio, est ipsemet actus, vel in se spectatus, vel a tali persona initus : porro objectum istud subsistit independenter a culpa, ignorantia aut bona fide agentis : ergo. Unde qui aliquid in bona fide a persona inhabili accepit, hoc, errore detecto, restituere tenetur.

Metus gravis in irritatione actus non magis quam ignorantia excusaret, propter eamdem rationem.

ARTICULUS QUARTUS.

DE LEGE DUBIA.

Multipliciter lex potest esse dubia, ut videre est apud *Concina,* t. VI, et S. Ligorium, l. 1, n. 97, maxime autem ratione existentiæ et ratione sensus, si videlicet dubitetur an existat et an hoc vel illud sub ea contineatur.

Si dubium circa existentiam legis moveatur, tota Probabilistarum turba contendit illam, post adhibitam sufficientem diligentiam ad inveniendam veritatem, non obligare, secluso scandalo vel alio notabili inconveniente ; ratio eorum est quod homo possideat libertatem qua privari non potest nisi prohibitione clara et certa.

Contra vero si de existentia legis constet, dubitetur autem an ad aliquid extendatur, an recepta sit, an desierit, an justa sit, etc., plerique eorum volunt eam obligare; nam, inquiunt, lex possidet : igitur melior est ipsius conditio.

Nos, cum sanioribus theologis, sequentia breviter statuimus.

I. Si de actione personali agatur, v. g., de implenda pœnitentia, de officio recitando, etc., in vero dubio pars tutior, id est, quæ a peccato magis removet, est eligenda : nam 1° non licet periculo peccandi se exponere ; 2° ubi de sensu vel de justitia legis agitur, volunt plerique adversarii in favorem superioris præsumendum esse : ergo et ubi de existentia legis agitur ; ad id enim semper deducitur dubium nempe an aliquid sit præscriptum vel prohibitum, nec ne ; 3° falsa est ratio Probabilistarum : statim

enim atque de existentia legis dubium proprie dictum mihi advenit, v. g., de impositione pœnitentiæ, non certe possideo meam libertatem; sed de illa dubito, perinde ac si de impletione rei certo præscriptæ ageretur. Ergo.

II. In materia justitiæ, si de existentia vel solutione debiti, v. g., tributi, dubium exsurgat et deponi nequeat, res ad summum pro ratione dubii dividenda est, juxta quod docemus in Tr. *de Restitutione*, et probabilius retineri potest donec constet eam esse debitam, juxta axioma juris : *In dubio melior est conditio possidentis.*

III. Quando agitur de pœna, in dubio, *benignior interpretatio est facienda.* Est regula 49 juris canonici in Sexto. In foro civili sequens pariter admittitur, quæ est n. 57 in jure Cæsareo : *Semper in dubiis benigniora sunt præferenda.* Unde adhuc regula canonica 15 : *Odia restringi et favores convenit ampliari.* Eo sensu omnes judices, tum ecclesiastici, tum sæculares, ipsique Romani pontifices semper interpretati sunt leges pœnales : ergo sic intelligendæ sunt. Unde qui serio dubitat an excommunicatio lata sit contra lectores librorum hæreticorum, an sit latæ aut ferendæ sententiæ, an talis liber sit hæreticus, an illum legerit, judicare potest se non esse excommunicatum. Si vero de censura certus esset et de validitate absolutionis dubius, habendus foret ut censura notatus. Ita S. Ligorius, l. 7, n. 67, et plurimi apud eum.

Cæterum, in his omnibus recurrendum est ad principia circa conscientiam dubiam et circa conscientiam probabilem a nobis superius posita.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PROMULGATIONE LEGIS.

Promulgatio legis est ipsius manifestatio eo modo facta ut communitati innotescat. Omnes fatentur promulgationem necessariam esse ut lex vim obligandi habeat; est enim regula quam subditi observare tenentur : at repugnat eos teneri observare regulam quam noscere nequeunt. Ergo. Ita S. Th., 1 2, q. 90, art. 4, et cum illo cæteri.

Non requiritur ut lex positiva singulis privatis innotescat; sufficit quod in communitate publica fiat, et unusquisque eam cognoscere moraliter possit.

Lex æterna, quatenus in mente Dei concipitur, promulgari non potest, et sic rationem legis perfectæ non habet. Est tantum ordo essentialis, quo cæteræ fundantur leges, quæ ultimate promulgatione constituuntur.

Lex naturalis per lumen Dei in cordibus nostris impressum et omnibus traditione manifestatum promulgatur; lex divina promulgata est modo interna inspiratione, ut accidit respectu Prophetarum, modo per externam solemnitatem, ut lex Moysis in monte Sinaï, et lex Evangelica in festivitate Pentecostes.

Lex humana, sive ecclesiastica, sive civilis, externa promulgatione necessario indiget : modus autem est arbitrarius et a voluntate legislatoris pendet. Ubi tamen statutæ vel usu introductæ sunt regulæ, observari debent donec legitime eis derogatum fuerit, alioquin lex sufficienter promulgata non censeretur, et, licet optime nota, non obligaret.

Justinianus statuerat, per *Novellam* 66, leges imperiales in singulis provinciis promulgandas fore, et non nisi duobus mensibus post promulgationem obligaturas.

In Gallia nunc promulgatio fit ab ipso Imperatore, per decretum, quod in tabulis legum (*Bulletin des lois*) inseritur. Lex sic promulgata cœpit obligare in tota præfectura in qua Imperator tunc residet, prima die post diem promulgationis, et in aliis præfecturis Imperii, eadem die, cui una additur dies pro decem myriametris (*vingt lieues environ*) inter locum promulgationis et capitalem urbem præfecturæ. Unde Cenomani quarta die tantum obligat lex Parisiis promulgata.

Si tamen Imperatori videatur expedire promulgationem legis aliquo casu vel loco accelerari, mandare potest præfecto ut decretum promulgationis ipsamque legem statim imprimi et publicis locis affigi provideat : ex hac autem publicatione lex suum sortitur effectum. (*Ordonnance du* 18 *janvier* 1817, *art.* 1 *et* 2.)

Major est difficultas quoad modum promulgandi leges ecclesiasticas. Plerique doctores Itali aliique extranei non pauci contendunt promulgationem Romæ factam, per affixionem publicam in campo Floræ, sufficere ut lex vim habeat obligandi omnes qui notitiam ejus habuerint, saltem duobus post promulgationem istam mensibus. Rationes eorum sunt : 1° auctoritas pontificum Romanorum qui sic obligare possunt et volunt : possunt, cum modus promulgationis, juxta omnes, sit arbitrarius : volunt, præsertim quando expresse dicunt, ut dicere solent, se intendere constitutiones sic publicatas ab eis ad quos spectant perinde habendas esse *ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent, exhibitæ, ostensæ,* etc.; 2° numerus doctorum hanc defendentium sententiam, quam S. Ligorius, l. 1, n. 96, exhibet ut valde communem et probabiliorem. Docet tamen idem S. Ligorius, et plurimi cum illo, leges Pontificias non obligare etiam Romæ, nisi elapsis duobus a promulgatione mensibus, quia ubi tempus a Pontifice non determinatur, sequenda est dispositio Justiniana.

Juxta hanc sententiam, lex sufficienter publicata Romæ, universos fideles etiam invincibiliter eam ignorantes, in *actu primo* obligat, quatenus eos in verbis suis complectitur, non vero in *actu secundo* eos obstringit, eo sensu quod adversus illam peccent aut pœnam incurrant, donec in notitiam illorum devenerit. At in nonnullis casibus particularibus episcopus intelligens Sedis Apostolicæ legem in sua diœcesi noxium producturam esse effectum, non modo suas rationes Romano pontifici exponere non prohibetur, sed ad id omnino tenetur, ut ait Bened. XIV, de Synod. diœces., l. 9, cap. 8, n. 3, ubi docet, n. 4, episcopum teneri parere judicio Sanctæ Sedis a se invocato.

Verumtamen Galli aliique multi volunt leges Pontificias Romæ promulgatas non obligare, nisi promulgatæ fuerint in diœcesibus per episcopos, vel usu receptæ sint; 1° quia saltem ubi Pontifex statuto juris civilis expresse non derogat, illius dispositionem sequi censetur, juxta

hæc juris canonici verba : « Sicut leges non dedignantur » sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum » principum constitutionibus adjuvantur. » Decretal. l. 5, tit. 32, cap. 1. 2° Pius IV in Bulla *Sicut ad sacrorum*, ad observanda decreta Concil. Trid., ait : « Jure » communi sancitum est ut constitutiones novæ vim non » nisi post certum tempus obtineant. » 3° Necesse est legem communitati innotescere : at in diœcesibus convenienter non innotescit, nisi ab episcopis promulgetur. 4° Consuetudo est in Gallia, ab immemoriali tempore, ut Pontificiæ constitutiones ad disciplinam spectantes, non obligent nisi ab episcopis promulgatæ fuerint. Ergo. Ita, præter Gallos, *Wigers*, *Boudart*, *Steyaert*, *Billuart*, *Dens*, etc.

Dens notat hanc sententiam varia tollere incommoda : v. g., 1° lex irritans, Romæ tantum promulgata, in priori sententia actus ubique redderet nullos, licet invincibiliter ignorata; non sic in posteriori opinione. 2° In priori sententia, non omnes eodem tempore obligarentur, sed unus post alium, prout notitiam acquireret; in posteriori vero, omnes simul obstringuntur. Ergo summus Pontifex, quando exsecutionem legis non urget, eam prudentiæ episcoporum relinquere merito judicatur. « Si » praxis communis spectetur, inquit *Concina*, leges con» ciliorum et Pontificum consueverunt promulgari in singulis diœcesibus. »

Dicimus *ad disciplinam spectantes*, nam definitiones Romani pontificis in materia fidei et morum statim obligant ac innotescunt, juxta quod docuimus in Tr. *de Ecclesia*, et hic tantum indicamus; idque independenter ab opinione theologica circa ipsius infallibilitatem; siquidem ratione dignitatis tenetur omnes docere et pascere, et omnes eum audire debent ut primarium pastorem.

1° Certum est tamen apud nos Romanum pontificem, vi supremæ potestatis suæ, posse exigere ut lex Romæ promulgata, statim obliget in omnibus provinciis, et etiam ut lex universalis circa disciplinam in omnibus provinciis vigeat, non obstantibus localibus consuetudinibus.

2° Certum est, quoad Galliam in specie, summos Pontifices consuetudines omnes juri communi contrarias non admittere, ita ut nullo modo credendum sit quod istud jus commune aut quævis Apostolica Constitutio, cum sit his consuetudinibus opposita, eo ipso robore careat in Gallia. Licet enim summi Pontifices contra hasce consuetudines non semper potuerint reclamare, ob gravia incommoda, sive publica, sive personalia sibi aut aliis, hoc tamen silentio easdem consuetudines ratas non habuisse credendum est. Jam Sancta Sedes mentem suam aperuit tum in specie circa obligationem bullæ S. Pii V de liturgia Romana, tum in genere, circa Pontificias constitutiones disciplinam generalem spectantes, quas admitti jussit a concilio provinciæ Parisiensis anni 1849, ut videre est in actis ejusdem concilii.

3° Certum est tamen mentem Sanctæ Sedis non fuisse omnes consuetudines diœcesibus Galliæ proprias penitus destruere.

4° Quænam vero juris communis aut conciliorum generalium decreta, quænam Apostolicæ Constitutiones vim legis habeant, et quænam consuetudines supremi legislatoris consensu in diœcesibus ratæ habendæ sint, in dubio ad Sanctam Sedem recurrendum est.

Episcopi suas leges aut statuta synodalia promulgare possunt, vel in sua cathedrali coram populo, vel in synodo, vel per affixionem publicam, vel alio modo, et nullum requiritur temporis intervallum ut vim habeant: certum est, referente Benedicto XIV, de Synodo diœces., l. 13, c. 4, n. 2, illa statim obligare ac innotescunt.

ARTICULUS SEXTUS.

DE CONSENSU SUBDITORUM.

Communius docetur legem a consensu populi pendere, si populus, eligendo principem, potestatem ejus limitaverit, statueritque legem vim obligandi non habituram, nisi prius fuerit acceptata, ut apud veteres Romanos.

Certum est, in guberniis *repræsentativis*, in quibus

populus per conventum legatorum repræsentatur, legem non valere nisi a legatis populi acceptetur, quia potestas legislativa ad solum principem non pertinet.

Sive potestas publica primario in populo resideat, ut multi volunt, sive a Deo immediate procedat, ut alii contendunt, integra remanet quæstio, an scilicet lex ab auctoritate constituta regulariter lata, vim habeat obligandi independenter a consensu subditorum. Negant Lutherus, *Caramuel*, et alii plures, contra quos sit

PROPOSITIO.

Lex legitime lata, tum ecclesiastica, tum civilis, vim habet obligandi independenter a consensu populi.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Alexandri VII, et ratione.

1° *Scriptura sacra*, Hic omnes recurrunt textus quos superius citavimus ubi de potestate condendi legem. Constat, ex illis textibus, superiores ecclesiasticos et civiles a Deo constitutos esse ad regendos subditos : ergo nomine Dei imperant, ac proinde subditi tenentur leges eorum acceptare eisque parere. Ergo 1°.

2° *Auctoritate Alexandri VII* sequentem Probabilistarum propositionem damnantis : « Populus non peccat, » etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe » promulgatam. »

3° *Ratione.* Inferiores tenentur obedire superioribus aliquid legitime præcipientibus, et in hoc principio totus ordo societatis fundatur : ergo *a pari* subditi tenentur obedire principibus per leges juste imperantibus. Porro dicere eos teneri obedire, et leges ante liberam acceptationem non obligare, sunt duo contradictoria. Ergo 3°.

Dices 1° : « Leges instituuntur cum promulgantur : » firmantur cum moribus utentium approbantur. » Decret. 1ª part., dist. 4, cap. 3. Ergo vis earum obligandi ex approbatione populi pendet.

R. Nego conseq. Nam 1° verba quæ objiciuntur non sunt alicujus concilii aut Pontificis, sed Gratiani ; 2° sen-

sus eorum est, quod leges quæ *moribus utentium*, sive praxi, approbantur, a periculo abrogationis magis removeantur, *ut patet ex contextu*. Ergo.

Dices 2° : Si acceptatio populi non sit necessaria, dari potest lex cui tota communitas adversetur : atqui hoc repugnat, cum talis lex non in bonum, sed in ruinam esset societatis : ergo.

R. Nego minorem ejusque probationem. Fieri enim potest ut populus furiosis cupiditatibus abreptus, legi justæ et ad bonum societatis institutæ repugnet : patet exemplo Israelitarum adversus Deum murmurantium, Parisiensium supplicio Ludovici XVI applaudentium, etc. Ergo.

Cæterum, si princeps prævidet legem, licet justam et ad bonum commune ordinatam, plus mali quam boni, propter circumstantias, esse allaturam, prudentia suadet ut a premenda exsecutione ejus abstineat : tunc lex illa obligare cessat, non defectu acceptationis in populo, sed defectu voluntatis in principe. Attamen subditi in actu rebellionis graviter peccant, voluntati principis resistendo, quamvis postea lege non teneantur.

Dices 3° : Principes saltem in origine rerum suam acceperunt potestatem a populo : ergo populum non consentientem obligare nequeunt.

R. 1°. *Nego ant.*, saltem propter suam generalitatem. Nam 1° principes ecclesiastici ab ipso Christo fuerunt constituti. 2° Reges Judæorum similiter a Deo suam acceperunt potestatem. 3° In rerum origine, primi reges fuerunt patresfamilias qui jure divino (a Deo enim venit *omnis paternitas in cœlis et in terra*, Ephes. III, 15) suam gubernabant familiam, qua magis ac magis crescente, facti sunt reges. Sub ultimo hoc respectu habueruntne suam auctoritatem immediate a Deo, an vero ex consensu eorum quos habuerunt ut subditos? Non liquet, et in hoc puncto dividuntur auctores.

R. Nego conseq. Etiam quando populus elegit principem, jus sibi reservare non potuit leges ejus acceptandi aut non acceptandi : necessario enim voluit ut princeps dignitatem regiam haberet, alioquin regem non consti-

tuisset. Porro dignitas regia annexam habet potestatem condendi leges et conscientiam subditorum obligandi; hæc potestas, mediante populi electione, ab ipso oritur Deo. *Vide quæ diximus in Philosophia morali*, de origine societatis politicæ, et *cinquième Avertissement de Bossuet.*

Inst. Populus non tenetur parere principibus injusta præcipientibus : ergo leges eorum examinare, ac proinde acceptare vel non acceptare potest.

R. Nego conseq. Populus quidem non tenetur parere legibus evidenter injustis, *ut supra diximus :* sed 1° inde jus examinandi omnes leges, antequam ipsis obediatur, nullo modo sequitur; nam tunc turbaretur omnis ordo societatis, ut patet. Requiritur ergo ut examen istud liceat, quod lex vere injusta appareat et sic æstimetur a viris probis et sapientibus. 2° Insuper, jus examinandi manifeste non inferret ex seipso jus reficiendi leges etiam justas, quod tamen in objectione supponitur. Unde tandem lex injusta non obligat defectu potestatis in principe, non autem defectu acceptationis in populo.

Dices 4° : Consuetudo legi opposita eam legitime abrogare potest : at talis consuetudo non acceptationi legis æquivalet : ergo.

R. Dist. maj. Consuetudo legi opposita legem abrogare potest, consentiente principe, *conc.;* resistente principe, *nego maj.* Sic non magis abrogatio quam firmatio legis a consensu populi repetenda est. Ergo. *De consuetudine* fusius alibi disseremus.

Quæritur quid sentiendum sit de placito gubernii sine quo constitutiones Pontificiæ vim apud nos habere nequeunt.

R. Non solum apud nos, sed in Hispania litteræ Romani pontificis publicari nequeunt quin prius, olim in curiis regiis, nunc in consilio Status, examinatæ, recognitæ, et per decretum Imperatoris admissæ fuerint. Ab hujusmodi examine et admissione eximuntur rescripta privata, dispensationes sacræ Pœnitentiariæ, imo et Datariæ ad matrimonia contrahenda; non vero conciliorum generalium statuta.

Certum est 1° bullas et constitutiones Pontificias vim obligandi ab hujusmodi approbatione non ducere: potestas enim ecclesiastica a potestate civili in jurium suorum exercitio non dependet. Verum ex altera parte summorum Pontificum constitutiones a potestate civili facillime protegi possunt si ab ea potestate recognitæ fuerint. Hinc tacita introducta est inter summos Pontifices et quædam gubernia conventio, vi cujus Constitutiones Apostolicæ, bullæ et brevia ad rem publicam spectantia, sic recipiuntur ut in foro civili effectum habeant.

Certum est 2° definitiones dogmaticas tali receptione non indigere, ut monuimus. Unde pars dogmatica conc. Trid., quæ in Gallia civiliter non fuit publicata, omnes nihilominus stricte obligat fideles. Olim tamen constitutiones dogmaticæ et conciliorum decreta examini Parlamentorum subjiciebantur, ut eo modo admissa, vim legis in foro externo haberent. Nunc autem, cum nullus fidem catholicam profiteri teneatur, definitiones fidei vim legis habere nequeunt, et ideo nulla est ratio cur approbatione civili indigerent.

Certum est 3° alias Constitutiones Apostolicas more consueto non receptas, vim non habere, nisi Pontifex maximus, suprema utens sua potestate, declaret se, non obstante tali consuetudine, obligare velle. Vide quæ diximus pag. 574.

CAPUT TERTIUM.

DE LEGUM HUMANARUM SPECIEBUS.

Sicut duplex est potestas legislativa, ecclesiastica scilicet et civilis, duplex est pariter legum humanarum genus: aliæ sunt ecclesiasticæ quæ jus canonicum, et aliæ civiles quæ jus civile constituunt.

ARTICULUS PRIMUS.

DE JURE CANONICO.

Jus canonicum ita nuncupatur a *canone,* voce græca quæ idem sonat ac regula; definitur : *Jus quo societas christiana ad commune bonum spirituale et ad beatitudinem æternam dirigitur.* Ex divinæ Scripturæ præceptis, conciliorum decretis, summorum Pontificum Constitutionibus et legibus consuetudine introductis coalescit.

Innumeræ prodierunt leges ecclesiasticæ variis in temporibus, quarum aliæ universales, aliæ particulares, aliæ fuerunt receptæ, aliæ rejectæ, et multæ varias subierunt mutationes. Unde scientia juris ecclesiastici est immensa et valde laboriosa. Breves tantum hic enucleabimus notiones circa corpus juris canonici, ejus auctoritatem et tribunalia ecclesiastica.

§ I. — De corpore juris canonici.

In prima origine, Ecclesia regebatur Scripturæ Veteris et Novi Testamenti præceptis, et paucis Apostolorum, primorum Pontificum ac conciliorum statutis, per traditionem, ut communius, transmissis. Deinde prodierunt Canones Apostolici, sic dicti, quia Apostolis aut saltem sancto Clementi tribuebantur : nunc constat eos esse recentiores, licet antiquissimos. His adjectæ sunt Constitutiones Apostolicæ in octo libros distributæ, quæ probabilius sunt tertii sæculi, et nunquam obligaverunt, præsertim in ecclesia Occidentali. Plurima utilia continent documenta. In magna fuerunt auctoritate apud Græcos, sed fraude hæreticorum adulteratæ, vim suam paulatim amiserunt. Postea episcopi in conciliis vel extra concilia, et præsertim Romani pontifices plures ediderunt constitutiones, decreta et canones, ad providendum occurrentibus controversiis. Hæc in immensam creverunt molem sine ordine digestam : quare ut facilius intelligerentur, in unum collecta sunt volumen, 1° in sexto sæculo a Dionysio Exiguo, abbate Romano; 2° a Ferrando, ecclesiæ

Carthaginensis diacono, fere eodem tempore; 3° paulo post a Martino, abbate benedictino, ecclesiæ Bracarensis episcopo; 4° a Cresconio, episcopo Africano, circa idem tempus. 5° Quinta collectio tributa est S. Isidoro Hispalensi, sed eruditi volunt eam esse Isidori Mercatoris, episcopi Setubensis, versus finem octavi sæculi. 6° Sextam collectionem redegit Burchardus, ex monacho benedictino episcopus Wormatiensis factus, eamque in viginti libros versus annum 1020 distribuit. 7° Eodem sæculo, cardinalis Deusdedit septimam, Gregorio XII regnante, edidit; 8° octavam Anselmus Mantuanus, episcopus Lucensis; 9° nonam Yvo Carnutensis, quam Hugo Catalaunensis in compendium redegit.

Corpus juris canonici, ut nunc existit, sex constat partibus, tria volumina in-f° constituentibus, quæ sunt : *Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII* et *Extravagantes communes.*

Primum et ingens volumen complectitur Decretum a Gratiano, monacho benedictino urbis Bononiensis, collectum, et anno 1151 publicatum sub titulo : *Concordandantia discordantium canonum :* auctor quippe decreta conciliorum et Pontificum colligendo, secum conciliare volebat, quod tamen non ubique fecit. Opus suum in tres dividit partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma judiciorum, et tertia de rebus sacris.

Prima dividitur in centum et unam distinctiones quæ subdividuntur in capita seu canones. Sic indicare solet : cap. *Jejunium, dist.* 76; vel brevius et melius, *dist.* 76, *cap.* 7.

Secunda dividitur in triginta et sex causas, causæ dividuntur in quæstiones, et quæstiones in capita. Citatur modo sequenti : cap. *Qui viderit, quæst.* 5, *caus.* 32; vel *caus.* 32, *q.* 5, *c.* 13. Quæstio 3 causæ 33 tractat de Pœnitentia, et septem habet distinctiones : sic citatur, v. g., cap. *Mensuram, dist.* 1 de Pœnitentia; vel, *de Pœnitentia, dist.* 1, *c.* 86.

Tertia pars quinque habet distinctiones quæ sine quæs-

tionibus dividuntur in capita, et citantur: capite *Est unitas, dist. 4 de Consecrat.;* vel *de Consecrat. dist. 4, capite* 49. Hæc enim pars de consecratione ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

Secundum volumen continet Decretales a Gratiano omissas vel post ipsum editas, a Raymundo *de Peñafort,* ordinis Prædicatorum, jussu Gregorii IX collectas, et anno 1230 publicatas. In quinque dividuntur libros, qui habent titulos et capita; eo modo citantur: cap. *Pervenit. de Appellationibus;* vel *Decretal. lib.* 2, *tit.* 28, *c.* 28. Locus hoc posteriori modo indicatus multo facilius invenitur.

Tertium volumen continet Sextum, Clementinas et Extravagantes tum Joannis XXII, tum communes.

Sextus, vel liber sextus Decretalium, sic dicitur, quia quinque libris Decretalium Gregorii IX adjicitur, et Decretales a Gregorio IX ad Bonifacium VIII editas habet. Prodiit anno 1298, auctoritate Bonifacii VIII: dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto* vel *apud Bonifacium.*

Clementinæ, sic dictæ a Clemente V, qui eas colligi jussit post concilium Viennense, cui anno 1311 præfuit, sunt Constitutiones ab ipso Clemente vel a concilio Viennensi editæ. Eas Joannes XXII promulgavit anno 1317, in quinque libris qui, sicut Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur vox, *in Clementinis.*

Extravagantes Joannis XXII sunt Constitutiones quas ille Pontifex in prioribus annis pontificatus sui edidit: sic vocantur, quia extra corpus juris huc usque collectum vagantur: sic indicari solent: *Extravagant. Joan. XXII, tit.* 4, *cap.* 1.

Extravagantes *communes,* ita vocatæ quia a Joanne XXII et a pluribus aliis Pontificibus editæ sunt, in quinque etiam dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: cap. *Vas electionis, de Hæreticis; Extravag. communib. seu Extrav. commun. l.* 5, *de Hæreticis, c.* 2.

Aliæ conciliorum Constantiensis, Basileensis et Tridentini, ac pontificum Romanorum Constitutiones postea editæ sunt, sed in corpus Juris nondum fuerunt collectæ.

Plurimæ datæ sunt corporis juris canonici editiones, sive in tribus voluminibus, uti diximus, sive etiam in uno, pro commodiori et faciliori usu.

§ II. — De auctoritate juris canonici.

Sunt qui volunt Decretum Gratiani vim legis habere, ut pote ab Eugenio III approbatum, et tacito aliorum Pontificum consensu firmatum; sed alii tenent illud a nullo Pontifice formaliter fuisse approbatum, ac proinde per se nullius esse auctoritatis proprie dictæ. In eo continentur textus Scripturæ, Constitutiones dictæ Apostolorum, decreta conciliorum et Pontificum, Decretales Isidori Mercatoris, citationes SS. Patrum et juris civilis, facta historica et ipsius Gratiani interpretationes : hæc propriis locis restituenda sunt, ut qualem vim probandi habeant sciatur.

Decretum pluries fuit emendatum jussu Romanorum pontificum, præsertim Gregorii XIII, qui illud sic correctum approbavit, anno 1540, ut magis accuratum. Doctus *Berardi*, Taurinensis professor, exquisitum composuit opus inscriptum : *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati*, quod Venetiis prodiit anno 1777, 4 vol. in-4°.

Decretales, auctoritate Gregorii IX munitæ, vim legis habent et præcipuum hodierni juris canonici fundamentum in Gallia constituunt.

Sextus Decretalium non fuit publicatus in Gallia, propter dissensiones inter Bonifacium VIII et Philippum *le Bel :* sæpe tamen citatur, et non modicæ est auctoritatis. Clementinæ ejusdem sunt auctoritatis, in cunctis dispositionibus suis. A Joanne XXII fuerunt approbatæ.

Duæ vero collectiones Extravagantium a nullo Pontifice approbatæ sunt; igitur per se nullibi vim legis habent, nisi in quantum acceptæ sunt.

Glossa et interpretationes, quæ textum juris canonici comitantur, nullius sunt auctoritatis per se; nunquam enim fuerunt approbatæ : attamen sunt antiquæ et ad genuinum sensum textus recte cognoscendum merito consuluntur.

Constitutiones autem, ab antiquo jure civili in jus canonicum introductæ, sunt actus authentici summorum Pontificum vel conciliorum, aliquid per modum legis stabilis statuentium.

Variis appellantur nominibus : si in concilio edantur, dicuntur canones, seu regulæ credendi aut agendi; si a summo Pontifice, de consilio cardinalium, appellantur decreta (hoc nomen pluries usurpavit sacrum concilium Trid., maxime *de Reform.* tractando); si a summo Pontifice sive solo, sive cum cardinalibus, fiunt per modum responsionis ad alterius consultationem, epistolæ decretales vocantur. Constitutiones promulgari solent per bullas vel per brevia.

Bullæ sunt litteræ papales per Cancellariam expeditæ sub sigillo plumbeo, ex chordulis pendente, in membrana rudi et antiquo charactere gallico scriptæ.

Brevia apostolica sunt litteræ summi Pontificis in membranis subtilibus et candidis, charactere latino et nitido scriptæ, cera rubra annuloque Piscatoris sigillatæ et manu secretarii brevium subscriptæ. Vocantur etiam litteræ in forma brevis. Ejusdem sunt roboris ac bullæ, licet minus solemnes.

Rescriptum est responsio summi Pontificis, per scriptum, ad alterius consultationem, relationem vel supplicationem : non habet vim legis aut constitutionis nisi inter partes in illo expressas, et in hoc differt a Decretalibus epistolis, quæ ita dantur ad unius consultationem, ut pro aliis sint regulæ sequendæ.

In negotiis particularibus sunt rescripta absque ullo sigillo, continentia preces supplicantium et Papæ vel ejus delegati concessionem, cum subscriptione alicujus cardinalis vel secretarii, et dicuntur signaturæ. Vide *Reiffenstuel*, t. I, titul. 2 et 3.

Quandoque etiam summorum Pontificum litteræ nominantur encyclicæ, si videlicet ad omnes orbis episcopos, vel ad omnes episcopos alicujus regionis dirigantur. Præcipue adhibentur quando agitur de sana doctrina exponenda, vel de abusu reprimendo.

Quædam gratiosæ summi Pontificis concessiones, in quacumque fiant forma, vocantur indulta.

Quæritur 1° qua methodo junior clericus leges ecclesiasticas cognoscere possit.

R. 1°. Sedulo discat et percalleat theologiam moralem, item Rituale Romanum et statuta synodica propriæ diœcesis, et tunc sufficientem habebit juris canonici scientiam ut sacrum ministerium prudenter exerceat : si insolitæ quandoque ipsi occurrant difficultates, doctiores interrogabit, vel superiores ecclesiasticos adibit.

R. 2°. Multa quæ respiciebant beneficia, privilegia fori externi, formas judiciorum, nunc sunt fere sine objecto in Gallia. Unde maxima pars difficultatum juris ecclesiastici evanuit.

R. 3°. Consuetudinibus apud nos certo et sine injuria auctoritatis Ecclesiæ receptis omnes sacerdotes tuta conscientia uti possunt : imo ab illis in praxi recedere nequeunt, quia ordo perturbaretur, v. g., si jurisdictionem ab episcopo acceptam insufficientem judicarent, dispensationes concessas æstimarent nullas, etc. Episcoporum et non simplicium sacerdotum est de regulis disciplinæ judicare.

Quæritur 2° quid sentiendum sit de falsis Decretalibus.

R. Nomine falsarum Decretalium, intelliguntur epistolæ summis Pontificibus, a Clemente ad S. Gregorium Magnum, falso attributæ. Insertæ sunt, cum aliis veris dictorum Pontificum, in collectionem quintam superius memoratam, cujus auctor reputatur Isidorus, cognomento Mercator vel Peccator. Licet manifesta præ se ferrent suppositionis indicia, diu tamen, defectu critices, habitæ sunt ut authenticæ; Gratianus eas in Decretum admisit, sicque per omnes scholas et ecclesias sparsit. Falsitas earum prius suspicata, in decimo septimo sæ-

culo detecta et aperte monstrata est a pluribus viris doctissimis, ut cardinalibus Baronio, Bellarmino, Bona, etc., et nullus in scientiis ecclesiasticis parumper versatus, eas velut authenticas nunc exhibere auderet.

A Decreto expunctæ et velut spuriæ ab omnibus rejectæ sunt. Reperiuntur seorsim impressæ in vol. in-f°, et D. *Ceillier* longam earum contexuit analysim in tomo VIII operis sui dicti *Histoire générale des auteurs ecclésiastiques.*

Omnes quæ papam Siricium anno 398 defunctum præcedunt, judicantur falsæ, id est suppositæ.

Non prætereundum est nihil in falsis Decretalibus fidei aut bonis moribus adversum reperiri : igitur sana Ecclesiæ doctrina illarum suppositionem non fuit adulterata.

Insuper, quanquam non sint authenticæ, vel potius, quanquam authenticæ, si quædam sint, a spuriis distingui nequeant, haberi possunt tanquam monumenta aliquando ad historiam magis elucidandam utilia. Discrete tamen ad eas recurrendum est, ut patet.

Quæritur 3° cujus auctoritatis sint declarationes sacrarum Congregationum cardinalium.

R. Communius docetur etiam in Italia illas vim legis non habere, nisi 1° a Pontifice sint approbatæ; 2° non dispensent in casu particulari, sed interpretentur et declarent quid faciendum sit vel omittendum; 3° sint in forma authentica, id est, cum sigillo et subscriptione cardinalis Præfecti congregationis et secretarii. Ita statuit Urbanus VIII, anno 1631.

Cæterum hæ cardinalium responsiones magni sunt ponderis, nec deserendæ sunt nisi ob gravissimas rationes. Salmanticenses, de Legib., l. 3, part. 2, n. 28.
Videatur etiam S. Lig., l. 1, n. 106.

§ III. — De tribunalibus ecclesiasticis.

Potestas legislativa necessario importat jus habendi tribunalia quæ legum exsecutioni invigilent et justitiam decernant : igitur principes ecclesiastici judicare possunt.

per se vel per alios a se delegatos causas spirituales propriæ jurisdictioni correspondentes.

In primis Ecclesiæ sæculis, episcopi et ipse Romanus pontifex totam per seipsos suam exercebant jurisdictionem : leges ferebant, pœnas statuebant, et causis coram se informatis, sententiam pronuntiabant, habito vel non habito cleri propriæ ecclesiæ consilio, prout illo opus esse arbitrabantur.

Summi Pontifices sæpe mittebant legatos qui, auctoritate Pontificali sibi delegata, causas speciales, vel causas generales in regionibus determinatis judicabant.

Quosdam etiam videmus episcopos, sed raro, presbyteros sibi accersentes, aliquam suæ auctoritatis partem eis conferre, ut illorum auxilio adjuvarentur : sic S. Gregorius Nazianzenus adjuvit patrem suum Nazianzæ episcopum, S. Basilius Eusebium Cæsariensem, Augustinus Valerium Hipponensem, etc.

Conc. Later. III anno 1215 celebratum, statuit, can. 10, episcopos, qui, propter occupationes multiplices, non possunt per seipsos ministrare populo, maxime per amplas diœceses, viros idoneos, potentes in opere et sermone, assumere teneri, qui vices eorum gererent. Hinc origo vicariorum generalium.

In fine decimi tertii sæculi, omnes fere episcopi habebant vicarios generales, ut patet ex variis locis Sexti Decretalium, præsertim ex his verbis (lib. 3, tit. 4, c. 3) quibus statuitur « episcopos beneficia conferre posse per » seipsos, vel per suos vicarios generales, in eorum diœ» cesibus existentes, quibus id canonice sit commissum. »

Vicarii generales voluntariam et contentiosam jurisdictionem nomine episcopi exercebant, et etiam nunc in Italia ordinarie unicus est vicarius generalis seu officialis qui utramque exercet jurisdictionem.

In Gallia vero mos a longo tempore invaluerat ut jurisdictio contentiosa a jurisdictione voluntaria separaretur, et in cunctis diœcesibus instituerentur tribunalia dicta *Officialitates*.

De Officialitatibus.

Officialitas igitur erat tribunal ab episcopo institutum pro informandis et judicandis omnibus causis ecclesiasticis, cum strepitu forensi, auditis scilicet accusatis, testibus et advocatis, cum facultate graves infligendi pœnas, ut carcerem ad tempus, fustigationem in carcere, depositionem, beneficii privationem, etc.

Membra hujusce tribunalis erant 1° officialis per commissionem officii generalem ab episcopo judex constitutus; 2° vices gerens, qui defectu officialis, eadem jurisdictione potiebatur; 3° scriba seu secretarius, qui actus conficiebat, et in registris conscribebat; 4° promotor, qui delinquentes requirens et accusans, eodem munere respectu officialitatis fungebatur, ac in imperio vel republica procurator imperialis aut reipublicæ respectu tribunalis civilis vel criminalis.

Locus officialitati assignatus dicebatur prætorium, et actus extra illud celebrati erant nulli.

Causæ ecclesiasticæ erant numerosissimæ propter beneficia et decimas, et quia, principibus sæcularibus aliquid de jure suo cedentibus, multæ causæ natura sua mixtæ vel omnino civiles judicibus ecclesiasticis subjiciebantur. Inde frequenter jurgia inter tribunalia utriusque potestatis, præsertim in ultimis temporibus, exorta sunt; judices sæculares fere omnes causas, sub diversis prætextibus, ad se trahebant; tandem lex diei 7 septembris anni 1790 officialitates sustulit.

Verum si lex civilis jura civilia Ecclesiæ concessa revocare potuerit, jurisdictionem ecclesiasticam limitare non potuit. Unde episcopi procul dubio nunc possunt causas ecclesiasticas per se vel per alios judicare et pœnas spirituales infligere, scilicet excommunicationem, suspensionem, interdictum, sacramentorum denegationem, sepulturæ ecclesiasticæ privationem, etc. Possunt igitur novas instituere officialitates earumque jura intra limites potestatis ecclesiasticæ determinare, nec edictis regum nostrorum vel Parlamentorom arrestis circa hujus-

modi tribunalia multiplicatis ullo modo constringuntur.

Utramque jurisdictionem, voluntariam et contentiosam, communius per se vel per vicarios generales nunc exercent et exercere possunt, quia essentialiter sunt judices, sicut legislatores. In sententiis suis ferendis, solemnitatibus olim præscriptis non æstimant se stricte esse subjectos : attamen a naturali æquitate et generalibus Ecclesiæ legibus recedere non possunt.

Ex Concil. Trid., sess. 14, cap. 1 de Reform., ex Bened. XIV, de Synodo diœcesana, l. 12, cap. 8, n. 3, et ex aliis, episcopus potest, ob crimen occultum etiam extrajudicialiter cognitum, ab ascensu ad superiores Ordines et ab exercitio Ordinum susceptorum interdicere, neque tenetur, inquit S. Cong. Conc. 21 martii 1543, *causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit.*

In plerisque diœcesibus Galliæ instituti sunt officiales, sed ad postulandas tantum dispensationes a Sede Apostolica super impedimentis matrimonii, easque, post canonicam informationem, fulminandas.

Olim appellare licebat a sententia officialitatis diœcesanæ ad officialitatem metropolitanam, a metropolitana ad primatialem, et tandem ad Papam, qui contendentes Romam non vocabat, sed designabat commissarios Apostolicos qui, audita causa in proprio loco, litem nomine ipsius terminarent.

Cum appellatio sit juris communis, qui arbitraretur se ab episcopo injuste fuisse damnatum, appellare posset ad archiepiscopum, ab archiepiscopo ad Papam, qui etiam nunc, juxta morem consuetum causam sive per se sive per commissarios *ad hoc* nominatos judicare posset. Appellatio etiam fieri posset ab episcopo ad Papam, ex jure communi, prætermisso archiepiscopo.

Optandum esset officialitates ubique restitui et canonicas judicandi formas amplius non omitti in iis in quibus sunt possibiles, ut accurata revivisceret disciplina ecclesiastica, atque nullus relinqueretur locus adversa-

riorum nostrorum dicteriis; sed in iis instituendis ac regendis summa adhibenda foret prudentia.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JURE CIVILI.

Jus civile sic nuncupatum, quia cives ordinat, est illud quo societas completa ad bonum commune temporale dirigitur.

Ante conversionem rerum, jus civile in Gallia constabat jure Romano, edictis regum nostrorum et consuetudinibus quæ variæ erant pro diversis provinciis.

Jus Romanum dicebatur commune, quia ubique vim legis habebat, nisi edictis regiis aut consuetudinibus ipsi derogatum fuisset. In magno honore semper habitum fuit velut exquisitum et quasi ratio scripta. Quatuor complectitur partes quæ sub imperatore Justiniano, in sexto sæculo, collectæ et publicatæ sunt, scilicet : *Digesta* seu *Pandectas, Institutiones, Codicem* et *Novellas.* Sæpe olim citari solebat ab ipsis theologis : nunc vero, licet juristæ illud edicere teneantur, quia fundamentum est novarum legum, a nobis omittitur.

Tota Gallia iisdem nunc regitur legibus quæ per codicem ad quem pertinent et numerum arabicum citantur et facillime inveniuntur. Hinc innumeræ evanuerunt difficultates ex varietate consuetudinum nascentes.

Quinque sunt codices vulgo dicti : *le Code civil, le Code de Procédure civile, le Code de Commerce, le Code d'Instruction criminelle* et *le Code pénal.* Alii exinde prodierunt aut in futurum promittuntur. Insuper multæ sunt aliæ leges quæ nominari possent Extravagantes, quia in codicibus non existunt, sed in tabulis vulgo dictis *le Bulletin des Lois,* reperiuntur.

Codex civilis præcipue ad nos spectat, ut ex Tractatibus nostris *de Justitia, Contractibus* et *Matrimonio* constat.

CAPUT QUARTUM.

DE OBJECTO LEGUM HUMANARUM.

Objectum seu materia legis humanæ sunt actus qui præcipi vel prohiberi possunt.

Certum est 1° aliquid malum in se præcipi non posse cum obligatione illud faciendi, quia lex essentialiter est justa et repugnat dari obligationem faciendi malum. Unde ruit principium *Machiavel* asserentis id quod utile est reipublicæ, licet injustum, præcipi posse et licitum fieri.

Certum est 2° multa esse bona quæ lege humana prudenter præcipi nequeunt, quia omnibus non sunt moraliter proportionata : v. g., optima est virginitas, bonum est jejunium perpetuum, etc.; attamen hæc omnibus præcipi nequeunt.

Certum est 3° omnia peccata sub pœnis humanis prohiberi non posse, quia exsecutio hujusmodi legis esset impossibilis.

Certum est 4° actus in se indifferentes præcipi aut prohiberi posse ratione finis intenti, et tunc fieri bonos vel malos propter præceptum. Sic venatio, in se indifferens, certo tempore prohibetur.

Certum est 5° actus externos etiam occultos lege humana præcipi aut prohiberi posse : unde peccatum hæresis occultæ, sed externæ, reservatum est; lectio quantumvis occulta libri hæretici vel impii, sub pœna excommunicationis prohibetur, etc.

Præcipua difficultas est an lex humana præcipere aut prohibere possit actus internos. Duplici modo concipitur actus internos præcipi aut prohiberi, directe seu in se, et indirecte, id est, ratione actuum externorum quibuscum essentialiter conjunguntur.

Certum est 6° leges humanas indirecte præcipere aut

prohibere posse actus internos, qui essentialiter junguntur cum actibus externis ad bonum publicum conducentibus vel ei nocentibus; nemine enim diffitente, leges humanæ hujusmodi actus externos præcipere aut prohibere possunt: ergo et actus internos ipsis essentiales, v. g., consensum internum in venditione, contritionem cordis in confessione sacramentali.

Certum est 7° leges civiles actus mere internos directe præcipere non posse; nam illæ leges ad bonum publicum et temporale societatis directe spectant: porro actus mere interni ad bonum publicum et temporale societatis non conducunt: ergo.

Ad hoc igitur difficultas reducitur, an, scilicet, Ecclesia præcipere aut prohibere possit actus mere internos. Negant Cajetanus, *Suarez*, *Bonacina*, *Wiggers*, *Neessen*, S. Ligorius, etc., allegantes S. Th. dicentem, 2 2, q. 100, art. 9: « In his quæ pertinent ad interiorem motum vo- » luntatis, homo non tenetur obedire homini, sed solum » Deo. »

Sylvius, *Concina, Collet, Dens* et multi alii sententiam oppositam defendunt, hisque præcipue momentis innituntur: 1° Ecclesia non tantum respicit ad hominem externum, sed ipsum ordinat ad cultum Dei et beatitudinem æternam, ad quam maxime valent actus interni; 2° lex divina, sive naturalis, sive positiva, actus internos dirigit: ergo et ecclesiastica eos dirigere potest, cum eumdem habeat finem; 3° Concil. Trid., sess. 6, in proœmio, *districtius* inhibet *ne deinceps audeat quisquam aliter credere;* 4° Ecclesia dispensat in votis etiam internis; 5° superiores Ordinum religiosorum præcipiunt non solum silentium, quod est cessatio ab actu externo, sed orationem mentalem, etc. Ergo.

Cæterum, patroni hujus sententiæ fatentur potestatem Ecclesiæ in actus mere internos esse duntaxat directivam non vero coactivam, et ideo actus mere internos pœnis ecclesiasticis non subjacere.

Quæritur an lex humana habere possit pro objecto actus præteritos.

R. Palmare est principium æquitatis ubique receptum, legem humanam effectus *retroactivos* nunquam habere; etenim manifestum est eam efficere non posse ut actus præteriti ipsius sint transgressiones : ergo quoad præteritum non habet vim obligandi.

Si tamen quasdam inhabilitates constitueret, v. g., pronuntiando eos qui hoc vel illud fecerint esse irregulares, ad contrahendum inhabiles, etc., ad actus præteritos extenderetur, quia ipsius effectus non haberetur ut pœna proprie dicta, quæ culpam supponeret, sed ut actualem requirens qualitatem revera deficientem.

CAPUT QUINTUM.

DE LEGUM HUMANARUM SUBJECTO.

Certum est legislatores humanos potestatem habere imperandi omnibus et solis subditis suis. Attamen in hac materia plures nascuntur difficultates, et quæritur 1° an legislator propriis legibus teneatur; 2° an legibus teneantur infantes et amentes; 3° an infideles et hæretici; 4° an clerici teneantur legibus civilibus, et religiosi statutis episcopi; 5° an peregrini, advenæ et vagi legibus patriæ vel locorum per quæ transeunt.

ARTICULUS PRIMUS.

AN LEGISLATOR PROPRIIS LEGIBUS TENEATUR.

Si gubernium sit democraticum, vel aristocraticum, vel *repræsentativum*, et leges nomine communitatis ferantur, legislatores sicut cæteri eis subjiciuntur; sunt enim partes corporis in quo potestas legislativa residet : ergo in iis quæ sibi cum aliis sunt communia obligantur, vel lex respectu omnium est nulla. Unde episcopi legibus conciliorum generalium subjiciuntur; conventus Legatorum, ipsemet princeps in guberniis *repræsentativis*, legi-

bus juxta formam exstantem conditis ligantur, sicut olim consules Romani, duces Venetiarum aut Genuensium, et nunc Imperator in Gallia, primi magistratus Helvetiorum, legibus apud se legitime statutis.

At si princeps sit absolutus, ut imperator in Russia, vel, alio modo, episcopus in sua diœcesi, teneturne propriis legibus? Circa hanc quæstionem docetur :

1° Principem non teneri legibus quarum materia ad se non pertinet; v. g., si jubeat episcopus clericos iter facientes vestes nigri coloris deferre, ipse violaceum colorem exuere non tenetur.

2° Propriis legibus non tenetur quoad vim activam; pœna enim supponit existere superiorem qui illam decernat et infligere possit : at legislator non est sui superior : ergo. Hinc episcopus, qui sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, prohibuit ne clerici tabernas ingrederentur, ipse, tabernas ingrediendo, suspensionem non incurrit. *Ita omnes theologi etiam severiores.* Item probabilius est clericum cum eo ipsum rogante tabernas ingredientem suspensione non ligari, quia episcopus censetur eum dispensare.

Eodem principio innixi docent *Suarez, Collet* et alii, principem contra leges irritantes a se conditas agentem, valide contrahere, quia a formalitatibus præscriptis dispensare judicatur.

3° Quoad vim directivam tenetur legislator, in materia sibi cum subditis communi, propriæ legi obedire etiam sub gravi. Nam 1° recta ratio jubet ut caput membris conformetur. 2° Ad bonum commune plus cæteris concurrere tenetur, proinde ad leges suas observandas : porro nihil efficacius est ad obtinendam legum observationem quam legislatoris exemplum. 3° Sensus communis est motivum certum judicandi : at omnes persuasum habent legislatorem, qui in his casibus proprias leges non observat, male agere : ergo. *Ita omnes.*

Non omnes tamen conveniunt eum contra propriam legem occulte et absque alterius injuria agentem, mortaliter peccare; quia, aiunt plures, non vi propriæ legis

eam observare tenetur, cum sibi imperare nequeat, sed tantum ex naturali decentia, quæ, secluso scandalo aut alterius injuria, tam stricte obligare non videtur.

Communior opinio tenet culpam, etiam in eo casu, esse gravem. Præcipua quæ afferri potest ratio hæc est : Deus a quo tota emanat principis legislatoris potestas, eam ita limitavit ut ipse proprias leges in materia communi cum subditis observare teneretur, non tantum vi legis naturalis, sed proxime vi legis suæ positivæ et remote vi legis naturalis.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN INFANTES ET AMENTES LEGIBUS TENEANTUR.

Infantes usum rationis nondum adepti, et perpetuo amentes nullis tenentur legibus, neque divinis, neque humanis ; nam præceptum obligans necessario supponit obedientiæ capacitatem : atqui dicti infantes et amentes obedientiæ non sunt capaces : ergo.

Si autem quandoque puniantur, hoc non est quia rei æstimantur ; sed ut metu verberum melius et quasi mechanice discant quid agere aut fugere deceat.

Neque dicatur Baptismum ipsis necessarium esse : hoc quidem verum est, sed ratione remedii, non vero ratione præcepti, adeo ut illum non suscipientes novum habeant peccatum.

Unde Missæ diebus dominicis et festivis adesse non tenentur, et carnes ipsis diebus prohibitis præbere licet : melius tamen ab hoc abstinetur, ut rationem adepti cum majori reverentia obediant præcepto, et ne alii inde sumant occasionem illud facilius transgrediendi.

Non vero liceret eos provocare ad rem intrinsece malam, v. g., ad blasphemiam, ad turpitudinem, etc. Hæc quidem in ipsis essent tantum materialiter mala, sed in provocantibus a gravi peccato excusari non possent, tum quia in se mala sunt, tum quia periculum est ne infantes, cum adulti fuerint, eadem facere non abhorreant.

An peccent et excommunicationem incurrant qui intra

monialium claustra hujusmodi infantes introducunt, non sibi consentiunt auctores : quidam negant; sed multo probabilius alii affirmant, Concil. Trid., sess. 25, cap. 5 de Regul. et Monial. innixi. Sic pluries declaravit S. Congregatio Episc. et Regul., referente *Ferraris*, v° *Moniales*, art. 3, n. 58.

Diximus 1° *infantes usum rationis nondum adepti;* statim enim atque rationis usum acquirunt, observare tenentur leges divinas, sive naturales, sive positivas, et leges humanas ætati ac facultatibus suis proportionatas, ut leges audiendi Missam, abstinendi a carnibus, opera servilia non faciendi, peccata confitendi, etc. Ætas qua usum rationis habere incipiunt, determinari non potest : est communiter septennium in regionibus nostris; sed non peccant mortaliter dicta omittendo præcepta, nisi plenum habeant usum rationis, quod provectiori ætate accidit.

Similiter quædam sunt præcepta quibus non ligantur ante maturiorem ætatem, ut præceptum sacræ communionis, præceptum jejunii.

2° *Perpetuo amentes;* qui enim ad tempus tantum delirant, comparari possunt dormientibus, et, juxta multos, legibus sibi tempore lucido promulgatis obligantur; sed ab illarum observatione tempore insaniæ, si eas transgrediantur, ipsimet excusantur. Unde carnes diebus prohibitis eis præbere, vel opera servilia diebus dominicis eisdem imponere non liceret. Ita *Dens,* t. II. Idem censendum putat, propter eamdem rationem, de amentibus qui non habent intervalla, sed usum rationis habuerunt.

Qui vero perpetuo sunt amentes et nunquam usum rationis habuerunt, nulla lege positiva ligantur : qui ergo carnes eis præberent, vel opera servilia diebus festis imponerent, contra legem ecclesiasticam non peccarent, sed probabilius contra charitatem, scandalum simplicibus injiciendo.

Ebrii autem perpetuo amentibus comparari nequeunt: a legibus ergo non eximuntur, ne eas quidem tempore ebrietatis omittendo, si talem omissionem prævidere potuerint; secus, si eam non prævidérent, nec prævidere po-

tuerint. Carnes edere aut opera servilia licite facere non possent.

ARTICULUS TERTIUS.

AN INFIDELES ET HÆRETICI LEGIBUS PRINCIPUM CHRISTIANORUM TENEANTUR.

Certum est 1° eos teneri legibus civilibus; nam hæc obligatio fundatur lege naturali omnibus communi.

Certum est 2° infideles legibus Ecclesiæ non teneri; nam Ecclesia nullam habet jurisdictionem in eos qui foris sunt, id est, qui ipsam per baptismi januam non ingressi sunt, juxta hæc B. Pauli verba, I Cor. v, 12 : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Ergo eis valide imperare non potest.

Unde quicumque non sunt baptizati, contra leges Ecclesiæ non peccant manducando carnes diebus abstinentiæ, serviliter operando diebus dominicis, nec similiter peccarent qui eos ad hæc facienda incitarent.

Contra vero hæretici, schismatici, apostatæ et generatim omnes baptizati legibus Ecclesiæ ligantur; per Baptismum enim ei facti sunt subditi et obedientiam illi præstare tenentur : porro repugnat illos a tali subjectione per suam rebellionem liberatos fuisse; alioquin perversi catholici peccando similiter liberari possent, et rebelles erga principem sæcularem a vinculo fidelitatis ipsi debitæ solverentur, quod omnem subverteret ordinem : ergo.

Hinc sequitur 1° eos mortaliter peccare quoties leges ecclesiasticas, sine causa sufficienter excusante, violant; 2° non licere eos ad hujusmodi transgressionem inducere; 3° nec ad illam cum eis cooperari, nisi legitima adsit causa excusans, sicut respectu malorum catholicorum.

ARTICULUS QUARTUS.

AN CLERICI LEGIBUS CIVILIBUS, ET RELIGIOSI STATUTIS DIŒCESANI EPISCOPI TENEANTUR.

Certum est eos non teneri legibus quas principes sæculares in materiis spiritualibus conderent; cum enim prin-

cipes nullam habeant potestatem circa res spirituales, nullam imponere possunt obligationem. Quæstio est igitur de legibus civilibus.

Notandum clericos olim immunes fuisse a vectigalibus, tributis aliisque oneribus publicis, et, in multis, a jurisdictione tribunalium civilium.

Hoc posito, constat eos fuisse immunes a legibus civilibus in his quæ ad privilegia eorum respiciebant. Sed quo jure? Multi dicunt jure divino, ut testatur et approbare videtur *Billuart*, t. VIII, p. 522 edit. in-8°, 1830 : « Naturali siquidem, ait Sylvius, t. III, æquitati ac per consequens divinæ ordinationi omnino consentaneum est, ut qui sacris mysteriis peculiariter sunt obligati, sæcularibus oneribus sint immunes. »

Summi Pontifices Alexander III in concil. Lateran. III, Innocentius III in conc. Lateran. IV, et Bonifacius VIII, Constitutionibus in jure canonico relatis, sub anathemate prohibuerunt ne publica clericis imponerentur onera. Imo Bonifacius VIII, in Sexto, l. 3, tit. 21, cap. 4, declaravit ecclesias ecclesiasticasque personas ac res ipsarum non solum jure humano, sed et divino, a sæcularium personarum exactionibus esse immunes.

Easdem prohibitiones renovavit concilium Trid., sess. 25, cap. 20 de Reform.

Leo X, in concil. Lateran. V, bulla *Supernæ dispositionis*, dicit tam jure divino quam humano nullam attributam esse potestatem *laicis in personas ecclesiasticas* : unde asserebant theologi clericos legibus civilibus ipsis cum laicis communibus, v. g., lege pretium rerum taxante, teneri quoad directionem, non vero quoad vim activam, id est, a laicis puniri non posse propter hujusmodi legum violationem. Quinimo multi volebant eos, saltem probabiliter, minime obligari, nisi propter quamdam decentiam, ne scandalum aliis præberent.

Contendebant insuper prædictas ecclesiarum et clericorum immunitates a principibus revocari non posse, sive jure divino existerent, sive a principum concessionibus ortum habuissent : in prima hypothesi, res erat clara;

in secunda, non minus certa videbatur; nam res semel data et acceptata, in dominium donatarii transit: injuste ergo a donatore tanquam sua revocaretur.

Verum, quidquid sit, nulla nunc de facto existit in Gallia et in pluribus aliis regnis ecclesiastica immunitas: clerici jure communi reguntur, et eodem modo ac cæteri cives potestati civili subjiciuntur. Meminerint clerici 1° quod Christus solvit tributum pro se et pro B. Petro; 2° quod summi Pontifices, episcopi et sacerdotes per nonnulla sæcula legibus imperatorum et regum subjecti sunt, nulla immunitate gaudentes.

Fidelitatis exemplum præbeamus populis, et verbo ac opere reddamus *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.*

Quoad leges episcopales hæc statuit Conc. Trid., sess. 25, cap. 12 de Reform.: « Censuræ et interdicta, » nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordi- » nariis promulgata, mandante episcopo, a regularibus » in eorum ecclesiis publicentur atque serventur. Dies » etiam festi, quos in diœcesi sua servandos idem episco- » pus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regulari- » bus, serventur. »

ARTICULUS QUINTUS.

AN PEREGRINI ADVENÆ ET VAGI LEGIBUS LOCORUM PER QUÆ TRANSEUNT TENEANTUR.

Peregrinus ille est qui extra domicilium suum ad breve tempus habitat cum animo revertendi, v. g., Anglus Cenomani pro aliquo negotio residens. Advena ille est qui domicilium in uno loco habens, in alio habitat, v. g., Anglus qui modo indefinito vel ad longum tempus in Gallia habitat remanens Anglus. Vagus ille dicitur qui nullum habet domicilium fixum, sed de loco in locum transit.

Notandum dari leges *personales,* quæ personas immediate afficiunt, et eas ubique sequuntur, ut lex recitandi Horas, adimplendi pœnitentiam, etc.; et leges *locales,* quæ scilicet territorium immediate afficiunt, et mediate

personas in illo degentes, v. g., olim in hac diœcesi, præceptum celebrandi festum S. Juliani, die occurrente.

Certum est peregrinos, advenas et vagos ubique teneri legibus quæ dicuntur personales : *patet ex definitione.* Unde clericus, extra diœcesim suam iter faciens, breviarium suæ diœcesis vel Romanum recitare debet, saltem ordinarie, uti explicatum fuit in Tractatu *de Ordine;* qui apud hæreticos vel apud infideles degit, in Quadragesima jejunare et a carnibus diebus præscriptis abstinere tenetur.

PROPOSITIO PRIMA.

Peregrini, advenæ et vagi non tenentur legibus patriæ, quando bona fide absunt, nisi has leges in proprio territorio violare censeantur.

Prob. 1° *jure canonico.* Sexti l. 1, tit. 2, cap. 2, ubi statuitur diœcesanum, furtum ab episcopo sub excommunicationis sententia prohibitum, extra territorium ejus committentem, pœna minime ligari, *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.*

2° S. Ambrosius, a S. Aug. rogatus an sibi jejunandum esset Mediolani die sabbati, juxta morem Ecclesiæ Romanæ, respondit, Epist. 54, n. 3 : *Ad quam forte ecclesiam veneris, morem illius serva.* Unde prodiit axioma sequens :

> Cum fueris Romæ, Romano vivito more;
> Cum fueris alibi, vivito sicut ibi.

3° Leges locales pro bono regimine proprii loci constituuntur : ergo extra illum per se neminem obligant.

Diximus 1° *quando bona fide absunt ;* si enim in fraudem legis abessent, ab obligatione legis non eximerentur, quia juxta axioma ab omnibus receptum, et Decretal. l. 1, tit. 3, c. 15, fundatum, *nemini sua fraus patrocinari debet ;* unde S. Congregatio Concil. Trid. illegitimum declaravit matrimonium clandestine contractum ab iis qui eo animo in locum ubi Concilium non fuit promulgatum se contule-

runt. Benedict. XIV, de Synodo diœces, l. 13, cap. 4, n. 10.

Contra vero Gallus qui bona fide peregrinatur in regione ubi decretum concilii Trid. non fuit promulgatum, matrimonium valide init clandestine.

Similiter, si quædam data est dispensatio abstinentiæ quadragesimalis in diœcesi Cenomanensi et non in Andegavensi, Andegavi qui bona fide veniunt in territorium Cenomanense, etiam amicos invisendi causa, carnes licite edunt; secus vero, si hoc sibi proponerent, nisi domicilium omnino mutarent.

Si paterfamilias dispensationem pro tota domo sua obtinuerit, qui apud illum manducare consueverunt aut alias manducarent, cibis appositis uti possunt. Non tamen ita certum videtur aliquem prandium ex amica vel honesta invitatione oblatum in hac domo acceptare posse. Negat *Collet*, t. III, contra P. *Henno*.

Diximus 2° *nisi has leges in proprio territorio violare censeantur*; si enim res circa quam versatur actio vel omissio in territorio existat, transgressio ibi consummata censetur : v. g., episcopus omnes diœcesis suæ parochos vocat ad synodum; qui sine licentia abest et extra diœcesim discurrit, contra mandatum episcopi peccat; item qui extra proprium territorium existens, aliquem ibi positum explosione catapultæ occidit, censuram contra homicidas latam incurrit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Peregrini, advenæ et vagi tenentur legibus locorum per quæ transeunt.

Prob. 1° *auctoritate S. Ambrosii superius citati.*

2° *Ratione.* Leges quippe locales immediate afficiunt territorium et mediate omnes qui in eo versantur. Ergo.

Ita valde communius doctores, contra plurimos qui contendunt hujusmodi homines legibus locorum per quæ transeunt non teneri, nisi scandali vitandi, aut ordinis conservandi causa.

Requiritur tamen quod in territorio alieno sufficienti

tempore maneant, ut præceptum illic existens valeant implere; non vero tenentur longiorem moram facere præcise ut legi satisfaciant.

Hinc 1° qui bona fide proficiscitur e loco ubi existit præceptum abstinentiæ, carnes manducare non potest; advenit in locum ubi præceptum non viget, ab esu carnium non prohibetur.

2° Proficiscitur die jejunii, jentare nequit; cum devenerit in loco legi non subjecto, prandere, cœnare et carnes edere poterit. Si egrediatur e loco ubi non jejunatur, jentare poterit : sed ubi in loco jejunii advenerit, cœnandi licentiam non habebit.

3° Die festi iter facturus ad locum ubi non feriatur, opera servilia ante profectum facere non potest; Missam, si non impediatur, audire tenetur; postea vero laborare ipsi licebit.

4° Viator transit per locum ubi existit præceptum abstinentiæ, carnes edere non potest; si auditio Missæ ibi præcipiatur, illam audire non tenetur, nisi alias tempore sufficienti ibi manere deberet.

5° Hispanus iter agit per Galliam tempore Quadragesimæ, mane frustulum panis cum pauco chocolato sumere non potest; Gallus, e contra, transiens per Hispaniam, juxta morem ibi receptum licite jentat.

6° Qui Quadragesimam absolvit in Gallia et transiit in Moscoviam, ubi propter veterem stylum, nondum finita est, iterum jejunare tenetur, juxta communiorem sententiam; quia licet lex Quadragesimæ sit generalis et personalis, fit tamen localis ratione temporis et modi. Ita *Collet, Billuart, Dens.* Ex eodem principio, qui ante finem Quadragesimæ ex Moscovia veniret in Galliam, in Paschate jejunare non tenetur; nam qui sentit onus, sentire debet et commodum.

Qui vero præceptis confessionis annuæ et communionis paschalis satisfecisset, eisdem iterum satisfacere non teneretur; 1° quia res præcepta unico actu consummatur; 2° quia confessio et communio non eodem modo affixæ sunt tempori ac jejunii et abstinentiæ præcepta.

Notandum sacerdotes Græcos apud Latinos, et Latinos apud Græcos degentes, ritus propriæ Ecclesiæ observare teneri, ex Constitutione Benedicti XIV *super ritus Græcorum*, n. 6.

CAPUT SEXTUM.

DE LEGUM HUMANARUM MUTATIONE.

Cum lex humana in essentiis rerum non fundetur, sicut lex naturalis, ex natura sua non est immutabilis, licet quantum fieri potest, stabilitatem habere debeat. Septuplici modo mutari et vim obligandi amittere potest: nempe 1° per interpretationem; 5° per epieikeiam; 3° per cessationem; 4° per abrogationem et derogationem; 5° per dispensationem; 6° per privilegium, et 7° per consuetudinem.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LEGIS HUMANÆ INTERPRETATIONE.

Interpretatio est oratio verborum legis obscuritatem tollens ejusque sensum assignans. Triplex distinguitur, authentica, usualis et doctrinalis.

Authentica, seu ab auctore vel ab auctoritate habente prolata, ea est quæ fit ab ipso legislatore, vel ab ejus superiore, aut successore, et eamdem vim habet ac ipsa lex; ab eadem auctoritate procedit, et manifestat quo sensu superior obligare velit.

Usualis, ea est quæ communi praxi determinatur, ut modus jejunandi nunc receptus; consuetudo enim nonnullis vestita conditionibus infra exprimendis ostendit quo sensu legislator obligare intendat: unde sequens axioma, in Decretal. l. 1, tit. 4, cap. 8, expressum: *Consuetudo optima est legum interpres.*

Doctrinalis, est explicatio quæ fit per homines doctos; vim legis non habet. Ab illa tamen recedere non licet

quando doctores sunt moraliter unanimes : si vero fere æqualiter sint divisi, pars tutior eligenda est, ex superius dictis.

Cum interpretatio authentica a voluntate legislatoris pendeat, nullas habet regulas certas. Regulas interpretationis usualis exponemus infra de consuetudine tractando. Pro interpretatione autem doctrinali, sequentes statuuntur regulæ :

1° Verba secundum sensum naturalem et obvium sumuntur, nisi sensus fiat absurdus, aut lex inutilis evadat.

2° Genuinus sensus exquirendus est ex antecedentibus et consequentibus, ex subjecta materia, ex circumstantiis et fine legis, ex legibus in quibus similia adhibentur verba, et ex tribunalium decisionibus.

3° Lex favorabilis, præsertim si beneficium uni præstans, alteri non noceat, quantum termini patiuntur extendi debet; lex vero odiosa ad strictam verborum significationem restringitur, juxta 15 juris canonici regulam : *Odia restringi et favores convenit ampliari.* Unde in favorabilibus, quod dicitur de filiis, intelligitur de filiabus et de nepotibus, nisi aliqua restrictio fuerit expressa : in odiosis vero, per filios nec ipsæ intelliguntur filiæ, nisi aliunde constet talem esse mentem legislatoris. Similiter non valet argumentum *a pari*, nec *a fortiori*, quia fieri potest ut legislator minus et non majus crimen punire velit.

4° Lex humana ad casus sub forma verborum non comprehensos, generaliter loquendo, extendi non debet ob similitudinem vel identitatem rationis, quia non ratio, sed voluntas legislatoris parit obligationem.

Dicimus *generaliter loquendo*, quia lex ob paritatem rationis ad casus similes extendi debet, 1° si alias sequeretur absurdum : v. g., si administratio bonorum alicui interdicatur, similiter et alienatio : 2° in *correlativis*, quia dispositum in uno correlativo, censetur dispositum in altero, ubi par in utroque est ratio : ita statutum erat in Codice Justiniani, lege ultima, *de Indicta*, etc. Hinc Christus permittens viro uxorem adulteram dimittere,

idem in simili casu permittit mulieri; 3° *in connexis* : unde si lex permittat usum carnium aliqua die, eo ipso permittit usum ovorum et lacticiniorum ex carne provenientium; sed non vice versa, id est permissio ovis et lacticiniis utendi non importat licentiam manducandi gallinas et vaccas.

Quæritur an omnibus leges, sive civiles, sive ecclesiasticas, interpretari liceat.

R. Non agitur de interpretatione authentica quæ, ex natura sua, legislatori, superiori ejus vel successori reservatur; nec de interpretatione usuali, quæ proprie nullum agnoscit auctorem; sed tantum de interpretatione doctrinali.

Seclusa speciali prohibitione, quilibet doctus potest licite quascumque leges explicare et interpretari, etiam directe; per glossas, commentaria et annotationes, sive manuscriptas, sive impressas : sic, nemine contradicente, multi doctores circa jus canonicum et civile scripserunt.

Verum si legislator omnem legis suæ interpretationem prohibeat, possuntne nihilominus doctores eam explicare ? Possunt obiter eam in scriptis suis citando, et genuinum sensum ejus assignando : ita videtur receptum, et non percipitur quod hujusmodi interpretatio prohiberi possit. Sed interpretatio ex instituto, per glossam et commentaria illicita est; negari enim non potest legislatorem eam prohibere posse, omnem legis suæ explicationem sibi reservando ne in applicatione ejus aliqua suboriatur varietas. Porro ubi interpretatio in genere prohibetur, non solum intelligenda est interpretatio authentica, quæ illusorie prohiberetur, cum ad solum legislatorem pertineat, sed et doctrinalis. Ita fortiter *Concina,* t. XVII, contra Castropalaum et *Salam.*

Pius IV, in bulla *Benedictus Deus*, in confirmationem concilii Trid., expresse prohibuit, « prælatis quidem, sub » interdicto ingressus ecclesiæ, aliis vero, quicumque » fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, » ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commenta- » rios, glossas, annotationes, scholia ullumve omnino

» interpretationis genus super ipsius Concilii decretis, » quocumque modo edere, aut quidquam, quocumque » nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corro- » borationis aut exsecutionis, aliove quæsito colore, sta- » tuere. » Pontifex omnem hujus Concilii interpretationem Sedi Apostolicæ reservavit. Deinde specialem instituit Congregationem cui facultatem contulit decidendi casus quos putaret claros, ea conditione ut dubios ad Suam Sanctitatem referret. Innumeræ prodierunt decisiones ab ea Congregatione huc usque existente, et novæ quotidie prodeunt quæ sigillo et subscriptione munitæ, eamdem habent auctoritatem ac si ab ipso Papa editæ fuissent.

Certum est 1° episcopos canones et decreta concilii Trident. per constitutiones episcopales interpretari non posse; quia 1° prohibitio Pii IV illusoria esset; 2° Congregatio inutilis foret; 3° interpretationes variæ essent pro variis diœcesibus, quod Pontifex maxime præcavere voluit.

Certum est 2° doctores et magistros qui concilium Tridentinum obiter interpretantur, illud in operibus suis citando, textus commentando, excommunicationem non incurrere, etiam in regionibus in quibus Constitutio Pii IV fuit publicata; sic enim ubique prævaluit usus, inquit *Fagnani*, in Decretal. l. 2, cap. *Cum venissent*, n. 83.

Certum est 3° eos qui dictum Concilium per commentarios, glossas, annotationes vel scholia ex professo interpretantur, et suas interpretationes typis mandant, vel publice dictant, in locis ubi Constitutio Pii IV recepta est, pœna excommunicationis innodari : sic, referente *Fagnani*, loco citato, n. 57 et 58, sacra Congregatio declaravit; imo et translationes ex lingua latina in gallicam vel in alias linguas, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, prohibitas statuit, die 2 junii 1629.

Notandum bullam Pii IV factam fuisse pro tempore celebrationem sancti concilii immediate sequente : maximum tunc exstitisset periculum si unusquisque decreta ejus pro arbitrio interpretari potuisset.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EPIEIKEIA.

Epieikeia, vox græca idem sonans ac æquitas, est benigna legis interpretatio, qua prudenter judicatur legislatorem aliquem casum particularem sub lege sua comprehendere noluisse. In eo ab interpretatione proprie dicta differt quod hæc mentem quam habuit legislator aperiat, illa vero mentem quam habuisset, si casum prævidisset, ostendat.

Nec mirum est ad hanc benignam legis emendationem aliquando recurrendum esse; nam legislator generalem ferens legem, non debuit nec potuit cunctis casibus particularibus attendere. Sunt tamen hujusmodi casus quos certe, si eos cognovisset aut eis attendisset, noluisset, nec etiam sæpe potuisset lege sua attingere; nempe quoties lex litteraliter accepta ad aliquid injustum, bono communi noxium vel etiam, juxta plerosque, individuo nimis onerosum, bono communi non necessarium, induceret. Legislator enim talia præscribere non potest, et, si quandoque stricte loquendo posset, non præsumendus est voluisse, quia non solum *recta*, sed *recte* præcipere debet.

Unde, tempore belli, rex prohibuit ne portæ civitatis aperirentur; certum est eas aperiendas esse civibus annonas ducentibus. Similiter Ecclesia præcepit auditionem Missæ die dominica; qui tamen graviter ægrotat vel alias legitime impeditur, ab audienda Missa excusatur.

Triplici modo igitur *epieikeia* applicari potest, videlicet si præceptum fiat injustum, si obligatio sit nimis onerosa nec bono publico necessaria, et si prudenter judicetur, ex adjunctis, legislatorem in tali casu jubere noluisse, licet stricte potuisset.

Si, omnibus perpensis, verum existat dubium, recurrendum est ad principia a nobis posita, in Tractatu *de Conscientia*, ad solvendas difficultates ex Probabilistarum doctrina nascentes.

Aliquando uti *epieikeia* necesse est, v. g., quando actio

a lege præscripta mala evaderet : aliquando tantum licet, si, v. g., agatur de jure privato cui quisque renuntiare potest.

Epieikeia in legem naturalem et divinam positivam proprie non cadit. Est enim exceptio casus quem legislator non prævidit et quem prævisum in lege comprehendere noluisset : lex autem naturalis dictat quid in casibus particularibus sit agendum vel omittendum ; et Deus legem positivam ferendo, omnes casus prævidit. Cum autem omnes exceptiones a se notas et probatas non expresserit, merito aliquando judicatur illum talem non comprehendisse casum. Sic summus sacerdos judicavit se panes Propositionis David præ lassitudine deficienti dare posse.

In legibus autem humanis, tam ecclesiasticis quam civilibus, sæpe ad *epieikeiam* seu ad æquitatem legis attendendum est, ut mens legislatoris intelligatur ; nam, ut jam notavimus, legislator nihil nisi æquum et bonum præcipere potest, sicut Deus ipse, summus Legislator, de quo scriptum est : *Æquitas judicia tua ; omnia mandata tua æquitas,* Ps. cxviii, 144 et 172 ; *Meum est consilium, et æquitas,* Prov. viii, 14.

« Omnis lex humanitus posita, intantum habet de ratione legis, inquantum a lege naturali derivatur. Si » vero a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed » legis corruptio. » S. Th. 1 2, q. 96, art. 6. Unde idem S. Doctor, citans Aristotelem, 2 2, q. 120, art. 2, ad 2 : « *Epieikeia* est melior quam justitia, scilicet legalis, quæ » observat verba legis. »

Hinc locutiones inter homines usitatæ : *Æquum et bonum* ; *Ex æquo et bono judicate*, etc.

Qui aliis præsunt, et præsertim qui regimini animarum incumbunt, viri boni et æqui esse debent, ut leges actionibus humanis pro circumstantiarum varietate accommodare valeant, eas temperando, coercendo, extendendo : « Quæ omnia, inquit *Concina,* t. xvii, exquisitum » judicium, consummatam prudentiam, acumen et men» tis penetrationem, animi candorem, morum integrita» tem, justitiæ amorem postulant. » Addimus humilita-

tem, attentionem, benignitatem, gravitatem in omnibus ponderandis, studii diligentiam, frequentem cum Deo locutionem in oratione et meditatione, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CESSATIONE LEGIS.

Lex per se ipsam variis modis cessare potest : 1° per exspirationem temporis, si nempe condita fuerit ad tempus determinatum ; 2° per mutationem materiæ aut circumstantiarum, si videlicet fiat injusta, bono communi noxia vel inutilis ; quia omnis lex necessario debet esse justa et communitati utilis ; 3° per finis ejus adæquati cessationem respectu communitatis ; lex enim intantum obligat inquantum vult legislator ; si ergo voluntas legislatoris non perseveret, lex cessat : porro voluntas legislatoris perseverare non censetur, quando finis adæquatus legis respectu communitatis cessavit : v. g., communicatio unius civitatis cum altera prohibita est propter pestem ; certo, sublata peste, lex cessat.

Diximus 1° *finis adæquati ;* si enim finis ex parte tantum desiisset, non ideo tolleretur lex : v. g., quia Baptismus ad remittendum peccatum originale et ad characterem in anima imprimendum est institutus, peccato per charitatem perfectam remisso, nihilominus necessarius est.

Quando res præscripta intrinsecam habet bonitatem, ut abstinentia, jejunium, oratio, etc., illa bonitas in ratione legis semper esse judicatur : unde, fine extrinseco cessante, lex non cessat : v. g., episcopus publicas præscripsit orationes per novem dies ad petendam pluviam, continuandæ sunt orationes, licet advenerit pluvia, nisi aliud episcopus in mandato suo statuerit.

Diximus 2° *respectu communitatis,* quia si finis in casu particulari tantum desineret, obligatio legis non cessaret etiam respectu privati : v. g., lectio alicujus libri sub pœna excommunicationis prohibetur propter periculum ; qui, ratione scientiæ, ætatis aut experientiæ nullum in-

curreret periculum, lege sub eadem pœna tenetur. *Ita valde communius theologi* contra plures Probabilistas.

Quæritur an lex per mortem legislatoris cesset.

R. negative ; lex enim ex natura sua est stabilis et perpetua, id est, rebus in eodem statu permanentibus, solo actu contrario potestatis legislativæ cessare potest. *Ita judicant omnes*, et fuse probat *Suarez*, de Legibus, l. 1, cap. 10. Unde « certum est, inquit Benedict. XIV, de Sy- » nodo diœces., l. 13, cap. 3, synodales constitutiones, » nisi revocentur, in suo robore permanere, quamvis epi- » scopus a quo sunt editæ, e vita decesserit, aut se episco- » patu abdicaverit, aut ad aliam sit translatus ecclesiam. »

Nonnulli contendunt statuta episcopi, extra synodum facta et per simplex edictum promulgata, post mortem ejus non valere ; sed multo communius affirmatur ea valere, et certum nobis videtur non solum pro statutis episcopi, sed et capituli, sede vacante : nam perpetuitas est de natura legis : statuta autem, de quibus hic agitur, a solo episcopo vel capitulo vim habent : ergo. Sic, inter alios, Bened. XIV, in loco citato.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ABROGATIONE ET DEROGATIONE LEGIS.

Abrogatio est revocatio vel tota abolitio legis. Derogatio est revocatio vel abolitio partis legis, altera parte remanente : v. g., episcopus venationem clericis suæ diœcesis sub pœna suspensionis prohibet : si statutum revocet, est abrogatio ; si pœnam tantum tollat, est derogatio.

Certum est leges humanas per abrogationem et derogationem mutari posse : vis quippe legis a voluntate legislatoris pendet : ergo legislator ejusque successor vel superior eam pro libitu, etiam sine causa, valide mutare potest sive per abrogationem, sive *a fortiori* per derogationem ; non tamen licite ageret, nisi aliquo rationabili duceretur motivo, quia bonum commune stabilitatem in legibus postulat.

Lex posterior ejusdem legislatoris, ejus successoris vel

superioris, legem priorem abrogat vel ei derogat inquantum eidem adversatur. Excipitur tamen lex localis quæ per legem generalem, etiam cum clausula, *quibuscumque lege, consuetudine, privilegiis, non obstantibus*, non mutatur, nisi legis localis expressa fiat mentio, quia superior eam ignorare censetur. Sic Bonifacius VIII, in Sexto, l. 1, tit. 2, cap. 1, loquens de pontifice Romano. Igitur constitutio Pontificia quantumvis generalis, legitimis privilegiis alicujus ecclesiæ particularis adversa, eis non derogat, nisi de illis expressam mentionem faciat, vel nisi clausulis etiam generalibus utatur, quibus illa comprehenduntur privilegia quæ specialem requirerent mentionem. Contra vero statutis concilii generalis derogat, nisi ea excipiat, quia Pontifex non præsumitur ea ignorare. Ita *Fagnani,* in cap. *Nonnulli,* de Rescriptis, t. I.

Potest episcopus abrogare statuta synodi diœcesanæ aut eis derogare, cum vis eorum ab illo pendeat. Non ita vero statuta concilii provincialis, quia condita sunt *a cœtu episcoporum tanquam constituentium unum mysticum corpus altioris jurisdictionis quam in singulis reperiatur episcopis,* inquit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, c. 5, n. 8. Nec ob eamdem rationem, archiepiscopus leges concilii provincialis abrogare, reformare vel eis derogare potest. Papa vero ea omnia potest, ob plenitudinem suæ auctoritatis.

ARTICULUS QUINTUS.

DE LEGUM HUMANARUM DISPENSATIONE.

Dispensatio est relaxatio legis a legitima auctoritate facta in gratiam alicujus qui alias obligaretur. Unde dispensatio differt 1° a cessatione, qua lex penitus evanescit; 2° ab interpretatione, qua ostenditur quo sensu obliget; 3° ab *epieikeia,* qua pronuntiatur superiorem in casu particulari obligare noluisse; 4° ab abrogatione et derogatione, qua lex ex toto vel ex parte respectu communitatis cessat; 5° a privilegio, quod est permanens et quasi lex specialis legi communi derogans; 6° a licentia, quæ

est conditio qua posita lex non obligat et nullum relaxatur vinculum : v. g., qui vovit paupertatem, nullum proprietatis actum exercere potest sine licentia superioris; posita licentia, votum non obligat, et tamen superior, licentiam concedendo, a voto non dispensat.

Dispensatio igitur est actus auctoritatis vinculum solventis. Nomine alicujus, qui dispensatur, non solum homo privatus intelligitur, sed persona moralis, ut collegium, communitas, viri aut mulieres alicujus classis, etc., dummodo legis obligatio, ad tempus tantum relaxetur : alioquin esset derogatio. Dicemus breviter 1° de potestate dispensandi ; 2° de causa dispensationis, et 3° de ejusdem cessatione. De dispensationibus vitiatis agitur in Tractatu *de Matrimonio.*

§ I. — De potestate dispensandi.

Existere potestatem a legibus humanis dispensandi non ambigitur, quia per quam causam res nascitur, per eam et solvitur : subintelligitur, modo sit solubilis : porro lex humana est solubilis, cum variis modis mutari possit, et per voluntatem superioris nascitur : ergo et per eam solvi potest.

Duplex autem distinguitur potestas dispensandi, ordinaria scilicet et delegata. Ordinaria ea est quam quis habet ratione officii, ut legislator, ejus successor vel superior in potestate legislativa : delegata vero illa est quam aliquis ex alterius commissione possidet.

His positis, 1° nunc in Gallia ne imperator quidem a lege civili dispensare potest, nisi hæc facultas in ipsa lege exprimatur : unde impedimentum affinitatis in primo gradu lineæ collateralis rex ipse, ante legem diei 16 aprilis 1832, tollere non poterat.

2° Summus Pontifex in iis quæ sunt juris ecclesiastici dispensare potest a cunctis legibus prædecessorum suorum, episcoporum et conciliorum etiam generalium, idque independenter ab opinione circa potestatem respectivam concilii et Pontificis; nam in utraque sententia, Pontifex supremam habet auctoritatem universam gubernandi

Ecclesiam atque solvendi ac ligandi. At potestas in cunctis legibus ecclesiasticis pro opportunitate dispensandi, ad auctoritatem gubernandi Ecclesiam essentialiter pertinet.

3° Episcopus facultatem habet dispensandi in propriis legibus, in statutis synodalibus et in legibus concilii provincialis, quamvis eas abrogare non possit, *idque ex usu et voluntate ipsius concilii*, ait *Dens*, t. II.

Quæritur an episcopus dispensare possit a statuto synodi vel a lege concilii provincialis a Sancta Sede approbati.

R. 1° synodos diœcesanas approbatione Sedis Apostolicæ non indigere ut vim habeant, easque Congregationem Concilii revidere et approbare non consuevisse, teste Benedict. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 3, n. 6 et 7; 2° concilia provincialia duplici modo approbari posse, in forma communi et in forma specifica seu essentiali. In priori casu, certum est episcopum pro sua diœcesi dispensare posse; in posteriori vero negat *Fagnani*, a Bened. XIV citatus, de Synodo, l. 13, c. 5, n. 11, episcopum dispensare posse, quia, per hanc approbationem, lex synodalis facta est Pontificia : « Oppositum tamen vi» detur verisimilius, inquit *Dens ;* nam Pontifex syno» dum approbando, approbare videtur potestatem dis» pensandi, quam synodus episcopis tribuit. »

Notandum concilia provincialia, ex Constitutione 117 Sixti V, Bull. t. IX, publicari non posse, etsi nulla fidei decreta habeant, nisi a Congregatione Concilii recognita et, si opus fuerit, emendata fuerint.

4° Episcopus dispensare non potest in legibus concilii generalis, summi Pontificis vel Ecclesiæ universalis consuetudine introductis, nisi hanc habeat facultatem ab ipso concilio, a summo Pontifice vel ex usu legitime præscripto. Sic consuetudine receptum est episcopos dispensare, apud nos, in legibus abstinentiæ etiam Quadragesimalis, jejunii, audiendi Missam, recitandi officium divinum, etc.; videantur tamen dicta in pag. 576.

5° Qui potestate, sive ordinaria, sive delegata, subditos

dispensat, seipsum in paribus circumstantiis dispensat. Unde episcopus usum carnium in Quadragesima diœcesanis legitime permittens, eadem licentia ipse uti potest.

6° Facultas dispensandi reputatur favorabilis; ideo extendi potest : sed ipsa dispensatio, cum sit legis infractio, est odiosa et ideo restringi debet; unde axioma *Verba tantum valent quantum sonant.*

7° Nulla præscripta est forma ut dispensatio sit valida; unde, viva voce concessa valet, nisi potestas sit delegata, et aliqua determinetur forma essentialis, quæ certe tunc servanda esset.

8° Quandoque dispensatio conceditur tacite, si nempe includatur in actu positivo superioris. Sic episcopus clericos ad superiores vocans ordines, ante tempus pro interstitiis a concilio Trid. determinatum, eos tacite dispensat; sic pariter summus Pontifex, sciens Missam solemnem ante mediam noctem, in vigilia Nativitatis Domini, ex antiquo privilegio in capella Pontificia celebrari, tacite dispensat cardinalem celebrantem a lege jejunium naturale a præcedenti media nocte servandi. Ita Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 6, cap. 8, n. 17 et 18.

At dispensatio præsumpta de futuro nunquam valet : vinculum enim legis non solvitur nisi per actum superioris expressum aut tacitum et realem.

§ II. — De causa dispensandi.

1° Certum est dispensationem sine rationabili causa datam esse illicitam, ut pote bono communi oppositam : quod sic exprimit concil. Trid., sess. 25, c. 18 de Reform. : « Quapropter sciant universi sacratissimos cano-
» nes exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, in-
» distincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, et
» major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus
» dispensandum esse; id, causa cognita, ac summa ma-
» turitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispen-
» satio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dis-
» pensatio subreptitia censeatur. »

Quilibet ergo superior dispensans sine causa, peccat

venialiter aut mortaliter, habita ratione materiæ, finis circumstantiarum, scandali, etc. *Ita generatim theologi.* Superiores tamdiu peccant quamdiu dispensationem sic concessam non revocant, sicut injustus boni alieni possessor peccat.

Similiter et qui postulant dispensationem sine causa, vel ea illicite concessa scienter utuntur, duplex admittunt peccatum, unum contra legem, et alterum contra charitatem, quatenus peccato illicite dispensantis participant.

2° Ut licita sit dispensatio, requiritur aliqua necessitas, utilitas vel pietas, dispensantem rationabiliter determinans : *patet ex verbis concilii Tridentini citatis.* Non tamen maxima requiritur ratio; quia cum lex positiva ad tantum non obliget incommodum, cessaret obligatio, et dispensatione opus non esset.

Superioris est judicare an ratio sit sufficiens, et inferiores, modo causam bona fide exponant, dispensatione sibi concessa tuta conscientia uti possunt.

3° Inferior in lege superioris absque causa dispensans, sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata, non solum peccat, sed invalide dispensat; totam enim potestatem suam in hanc legem a superiore accipit; at superior non dat illi potestatem sine causa dispensandi : ergo. Unde summus Pontifex invalide dispensat sine causa in votis et juramentis, et episcopus in generalibus Ecclesiæ legibus, v. g., abstinentiæ.

4° Superior in propria lege vel in lege prædecessoris sine causa sufficienti scienter dispensans, probabilius valide dispensat; diximus enim eum sine causa legem valide abrogare posse : ergo *a pari* et ab illa valide dispensat; qui enim potest plus, potest et minus.

§ III. — De dispensationis cessatione.

Præcipue hic examinandum est an et quando dispensatio cesset per causæ cessationem, per mortem dispensantis, per dispensationis revocationem et per dispensati renuntiationem.

1° Duplex distinguitur causa dispensationis, finalis

scilicet, sine qua dispensatio non concederetur, et impulsiva, qua non existente, dispensatio nihilominus concederetur, sed difficilius.

Cessante causa impulsiva, nihilominus valet dispensatio, *ut patet :* causa finali ex parte tantum cessante, adeo ut prudenter judicetur dispensationem concessam fuisse ob partem causæ adhuc exstantem, valet iterum dispensatio. At, si causa finalis penitus cessaverit, valetne dispensatio? Quidam affirmant, dicentes vinculum legis fuisse solutum, et non reviviscere, nisi per actum legislatoris positivum. Cæteri vero negant, eorumque sententia sola admittenda est; superior enim, dispensando, non tollit legem, sed obligationem ejus in casu particulari relaxat, causa relaxationis supposita vera et durante : ita apprehendunt omnes : v. g., aliquis ob infirmitatem, quæ præsumitur perpetua, obtinuit dispensationem a jejunio, ab abstinentia, a recitandis Horis canonicis, ab audiendo Sacro, etc., numquid dispensatione sic obtenta uti poterit, etiam sanus? Hoc sensui communi repugnat. Ergo.

2° Si dispensatio concedatur absolute, durante causa, non cessat per mortem concedentis; assimilatur enim donationi : at donatio per mortem donatoris non cessat : ergo nec dispensatio. Unde dispensationem abstinentiæ pro Quadragesima obtinuisti, et episcopus in medio Quadragesimæ moritur, valet dispensatio. Sic valent litteræ dimissoriæ ante mortem vel abdicationem aut translationem episcopi, ab ipso aut vicariis ejus generalibus nomine ejus canonice datæ.

Si concessio facta fuerit sub hac conditione, *donec nobis placuerit, ad arbitrium nostrum,* valet etiam post mortem concedentis, donec a successore vel superiore revocetur, quamvis contrarium doceant *Concina*, t. VII, S. Ligorius, l. 1, n. 197, et plures alii : sic quippe receptum est, saltem in diœcesi nostra, quoad concessiones episcopi : secus probabilius dicendum foret, si de concessione Pontificia ageretur : igitur pars tutior eligenda esset.

Excipiuntur concessiones aut delegationes in foro contentioso, quæ, re adhuc integra, per mortem superioris

exspirant : v. g., Papa aliquem delegavit ad causam canonicam instruendam ; delegatus causam incœpit, eam terminare potest; informationem nondum incœpit, nihil valet. Ita omnes canonistæ regula juris civilis innixi, et eo sensu explicant cap. 4, tit. 9, lib. 1 Clement.

3° Dubitari non potest quin superior dispensationem a se concessam valide revocare possit, etiam sine causa, non tamen licite, nisi rationabili motivo.

Cum dispensatio sit gratia, dispensatus ei renuntiare potest, nisi renuntiatio in alterius vel in communitatis detrimentum vergat : tunc renuntiatione consummata, id est, a superiore acceptata, dispensatione amplius uti nequit. Duplex igitur requiritur conditio ut dispensatio per renuntiationem cesset, voluntas expressa vel tacita dispensati, et acceptatio dispensantis. Unde aliquis declaravit se dispensatione sibi concessa nunquam usurum vel contra dispensationem agit, votum, v. g., servando, ei tacite renuntiavit; valet tamen dispensatio donec dispensator renuntiationi annuerit.

Hinc Petrus obtinuit dispensationem ad contrahendum cum Bertha; neglecta dispensatione, ducit Luciam : Lucia mortua, Bertham sine nova dispensatione ducere potest. Ita S. Ligorius, l. 1, n. 198.

ARTICULUS SEXTUS.

DE PRIVILEGIIS.

1° Privilegium, a lege privata sic dictum, est concessio superioris specialem continens favorem extra vel contra jus commune. Differt a dispensatione, quæ est actus obligationem legis communis relaxans, non vero tollens.

2° Distinguitur privilegium personale et privilegium reale : personale, illud est quod personæ immediate datur eamque sequitur; et reale, immediate rei vel loco annectitur, et mediate personis re utentibus vel in loco manentibus : v. g., qui personale habet privilegium altaris, quocumque celebret, indulgentiam defunctis applicare potest : si vero privilegium altari determinato sit annexum,

quilibet sacerdos ad illud celebrans, dicti particeps esse potest privilegii.

Privilegia quæ communitati, v. g., confraternitati, vel alicui hominum generi conceduntur, habentur ut realia.

3° Inter privilegia, alia sunt contra, et alia extra jus commune. Exemptio domuum presbyteralium et templorum a tributis, est privilegium contra jus commune civile; facultas qua parochi titulares hujus diœcesis pollent super impedimento supervenienti matrimonio dispensandi, est extra jus commune canonicum. Prius dicitur odiosum, quia est vulnus legis communis, et restringi debet; posterius, cum nemini noceat, est favorabile et ampliari convenit.

Exemptiones religiosorum in eo consistentes ut superiores quasi episcopalem habeant jurisdictionem in personas sibi subditas et in loca, a multis habentur ut favorabiles et ideo ampliandæ; episcopi vero eas sæpe judicarunt odiosas, ut pote juri communi derogantes, et idcirco restringendas. Certum est quidem illas esse legis communis exceptiones, sed religiosis ordinibus valde utiles, in Ecclesia usitatas, multis summorum Pontificum et conciliorum decretis firmatas, ac proinde in honore habendas, non autem indiscrete vituperandas, licet dignitas et auctoritas episcopalis semper sint accurate servandæ.

4° Privilegium variis modis acquiritur : 1° per expressam superioris concessionem; 2° per consuetudinem legitime præscriptam; 3° per acquisitionem rei vel officii cui annexum est.

5° Cessare potest 1° per exspirationem temporis statuti; 2° per cessationem causæ finalis, eo modo quo de cessatione dispensationis diximus; 3° per revocationem a superiore legitime factam : si privilegium gratis fuerit concessum, revocatio etiam arbitraria valida est; si autem titulo oneroso fuerit datum, revocari non potest nisi ob gravem causam, et oblata sufficienti compensatione; 4° per renuntiationem, si renuntiatio a superiore fuerit acceptata, et aliunde sit possibilis; quando enim privilegium est in gratiam communitatis, quidam particulares ei va-

lide renuntiare non possunt; 5° si privilegium alios gravet, ut jus per agrum transeundi, legitima præscriptione per decennium juxta quosdam, ad summum per 30 annos exstinguitur, Decretal. l. 5, tit. 33, c. 24; si vero alios non gravet, ut privilegium absolvendi, dispensandi, etc., per non-usum quantumvis longum non amittitur. Ita *Suarez*, P. *Bonacina*, P. *Antoine*, S. Ligorius, etc.; 6° privilegium in jure communi contentum, per legem posteriorem ei contrariam abrogatur; expresse, si adjiciatur clausula : *non obstante privilegio*, etc. Si autem clausula non adjiciatur, revocatio est tacita, ubi alioquin lex foret inutilis, quia legislator non præsumitur legem inutilem condere velle. At si privilegium in corpore juris non contineatur, per legem posteriorem ei contrariam etiam cum clausula revocatoria expressam, non revocatur nisi positiva ejus mentio fiat, quia superior illud ignorare censetur. *Ita generatim theologi et canonistæ.*

Cuncta oracula vivæ vocis, id est privilegia a summis Pontificibus ore tenus concessa, revocata sunt a Gregorio XV, die 2 julii 1622; deinde ab Urbano VIII, die 20 decembris 1631. Per aliam Constitutionem diei 11 aprilis 1635, idem Pontifex a generali revocatione excipit oracula quæ officiales et ministri, quibus, ratione suorum officiorum seu munerum, de summi Pontificis oraculis fides adhiberi solet et debet, scriptis authenticis testarentur.

Privilegia autem post Gregorium XV et Urbanum VIII, viva voce concessa, etsi scriptis authenticis officialium palatii non munita, valent pro foro interno; illi namque Pontifices voluntatem successorum suorum ligare non potuerunt.

Annotator Bibliothecæ canonicæ *Ferraris*, t. VI, notat in præfatis summorum Pontificum Constitutionibus mentionem fieri tantum de ordinibus religiosis et congregationibus : unde concludit privilegia ore tenus laicis et clericis sæcularibus concessa remansisse valida.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE CONSUETUDINE.

Consuetudo sæpe in malam sumitur partem, ut in lib. Sap. xiv, 16 : *Convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est.* Sæpe vero in bonam partem sumitur, et de illa sub hoc respectu nobis agendum est.

Definitur in Decreto, 1ª part. dist. 1, cap. 3, post S. Isidorum : *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Ad consuetudinem referuntur desuetudo et non-usus, inter se satis similes, et locum habentes cum actus qui fieri debebat in talibus circumstantiis plus minusve frequentibus obsolevit.

Consuetudo autem alia est *universalis*, quæ obtinet in universa ecclesia; alia *particularis*, quæ viget in aliqua societate potestatem leges condendi habente : v. g., in regione, in diœcesi; et alia *privata*, quæ ab eis exercetur apud quos non est potestas legislativa, quales sunt parochia, familia, etc.

Potest esse contra legem, juxta legem vel præter legem : est contra legem, quando ei adversatur, eamque abrogat vel illi derogat, si conditionibus requisitis gaudeat; est juxta legem, si sensum quo observari debeat interpretetur; est præter legem, si morem actus nulla lege scripta præscriptos ex obligatione faciendi inducat. Apud omnes constat consuetudinem debitis conditionibus vestitam, legem humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, abrogare ex toto, vel ex parte; eam interpretari, vel novam introducere posse.

In novo jure civili Gallico non fit mentio consuetudinis et nulla agnoscitur lex non scripta : omnes igitur abolitæ sunt consuetudines quæ variæ erant pro variis provinciis et vim legis habebant. Unde sub hoc respectu non existit ratio cur de consuetudine tractetur.

At in jure canonico nulla contigit mutatio quoad consuetudinem. Ideo quæstionem sub hoc respectu breviter attingemus.

Consuetudo *privata* neque abrogare, neque inducere potest legem, sed statuta in aliqua communitate recepta tollere et alia eis substituere potest, quæ vim habeant saltem mutuæ conventionis.

Consuetudo *secundum legem* est optima legum interpres, ut aiunt. Sub eo respectu non tollit nec inducit legem, sed ostendit quo sensu legislator voluit obligare.

Consuetudo *contra* vel *præter legem* strictis subjacet conditionibus, quæ ad quinque referri possunt, scilicet 1° ut sit rationabilis ; 2° congruo tempore perseverans ; 3° publica ; 4° cum superioris consensu, et 5° cum intentione obligandi.

1° *Debet esse rationabilis ;* lex enim bono communi necessaria vel saltem utilis esse debet, alioquin non esset lex : ergo *a pari* et consuetudo ut vim legis habeat, vel, e contra, alicui legi vim auferat. Unde contra legem, sive divinam, sive naturalem, prævalere non potest, quia actus legibus istis adversi certe rationabiles non sunt. *Ita omnes theologi cum S. Thoma,* dicente, 1 2, q. 97, art 3, ad 1 : « Lex naturalis et divina procedit a voluntate di- » vina, ut dictum est : unde non potest mutari per con- » suetudinem procedentem a voluntate hominis, sed so- » lum per auctoritatem divinam, mutari posset ; et inde » est quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest » contra legem divinam, vel legem naturalem. »

Igitur quantumvis generalis sit et inveterata consuetudo, si legi Dei vel rectæ rationi adversetur, vel, ubi agitur de legibus ecclesiasticis, si nervos disciplinæ ecclesiasticæ disrumpat, mera est corruptela quæ vim legis nunquam habere potest, et jure canonico irritatur ; Decretal. l. 1, tit. 4, *de Consuetudine.* Talis est consuetudo non recipiendi et non servandi in aliqua regione interdictum generale.

2° *Congruo tempore perseverans.* Triplex distinguitur status consuetudinis, initium, progressus et præscriptio. Qui, legem violando, consuetudinem incipiunt, mortaliter peccant, nisi causa sufficienti, v. g., dispensatione, gravi detrimento, etc., excusentur : qui vero eam in-

cœptam, sed nondum præscriptam, continuant, similiter peccant; facilius tamen excusantur, sin a toto, saltem a tanto, id est a mortali. Verum qui consuetudine adversus legem legitime præscripta utuntur, nullo modo peccant. Sic omnes, etiam timorati, cœnulam in Quadragesima sumunt.

Omnes fatentur longum requiri temporis intervallum continuatum, sed in illo assignando sibi non consentiunt. Multi dicunt hoc relinquendum esse judicio prudentium, qui ex frequentia actuum pronuntiabunt; multi alii volunt requiri et sufficere decennium; alii denique affirmant decennium ad inducendam consuetudinem contra vel præter legem civilem sufficere, et quadraginta annos ad præscribendum contra leges canonicas requirunt; decem vero ad inducendam legem. Sed *Ferraris*, t. II, cum Lessio, card. *de Lugo, Azor* et pluribus aliis, docet decennium in utroque casu sufficere pro legibus canonicis, sicut et pro civilibus; in eamdem sententiam evidenter propendet S. Ligorius, l. 1, n. 107 et 139. Ita et Benedictus XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 5, n. 3 et 4.

Quidquid sit, extra dubium est quod consuetudo quadraginta annorum, modo aliis conditionibus requisitis vestiatur, plene sufficiat ad abrogandam legem canonicam. Videatur Bened. XIV, ibidem, n. 5.

3° *Debet esse publica;* lex enim scripta communitatem non obligat, aut obligatione existente non eximit, nisi publice fuerit promulgata : *a pari* nec lex non scripta, seu consuetudo. Quidam volunt publicitatem juris necessariam esse, sed probabilius publicitas facti sufficit : ita *Concina*, t. XVII. Etenim si publicitas juris, id est, declaratio a tribunali facta requireretur, fere nulla consuetudo vim legis haberet, quod tamen falsum est. Ergo.

4° *Consensus superioris.* Obligatio legis a voluntate superioris derivatur et per eam tollitur : consuetudo igitur nec abrogare nec inducere potest legem, si consensu superioris expresso vel tacito careat. Si adsit consensus expressus, tunc consuetudo dicitur legem abrogare vel inducere per viam *conniventiæ,* et nullum requiritur tempus

determinatum. At ille consensus non requiritur : sufficit consensus tacitus, qui existere censetur, cùm superior sciens consuetudinem, et cum possit commode legis observantiam urgere, non reclamat nec consuetudinem improbat, quamvis improbare posset. Si enim eam tantummodo toleraret, quia, ei resistendo, timeret incommoda personalia, vexationem, spoliationem, persecutionem, etc., nullum præberet consensum.

Juxta probabiliorem sententiam et in praxi tutam, consuetudo rationabilis disciplinæ et libertatis Ecclesiæ non destructiva, et legitime præscripta, licet a superiore ignorata, vim legis accipit, ex consensu superioris legali, cum talis consuetudo ipso jure approbetur. Decretal. l. 1, tit. 4, *de Consuetudine.*

5° *Requiritur ut consuetudo cum intentione obligandi inducatur, ubi agitur de lege inducenda.* Sicut enim vis legis ex intentione legislatoris deducitur, ita et vis consuetudinis : porro intentio superioris ex sensu quo accipitur consuetudo deducitur. Unde si populus aut major pars populi, ex devotione, gratitudine, similive motivo agat, consuetudo, quantumvis longa, vim legis nunquam habebit : sic consuetudo sumendi aquam benedictam in ingressu templi, suscipiendi cineres in capite Quadragesimæ, non obligat sub peccato : contra vero consuetudo jejunandi in Quadragesima, a carnibus abstinendi diebus veneris et sabbati, audiendi Sacrum diebus dominicis et festivis non suppressis, etc., obligat sub peccato mortali.

Talis autem non requiritur intentio in consuetudine contra legem : solum factum cum persuasione legem non obligare sufficit.

Videantur quæ diximus supra, p. 575.

Quæritur 1° an consuetudo adversus legem præscribat, si lex omnem consuetudinem sibi contrariam declaret nullam et reprobet.

R. Lex sic expressa consuetudinem præteritam vel currentem revocat, *ut patet :* at consuetudinem futuram conditionibus requisitis vestitam non infirmat, quia legislator futuram voluntatem suam, et *a fortiori* volun-

tatem successoris aut superioris sui ligare non potest.

Quæritur 2° an requiratur bona fides in præscribentibus ut lex consuetudine abrogetur.

R. Multi volunt bonam fidem necessariam esse toto tempore præscriptionis, ac proinde decennium ad præscriptionem necessarium a tempore quo bona fides incipit currere; nam, inquiunt, ut dominium alicujus boni via præscriptionis acquiratur, necessaria est bona fides per totum tempus lege determinatum : ergo et ad legis abrogationem.

Alii vero negant assertionem et paritatem. « Nam, in- » quit P. *Antoine*, ut consuetudo tollat legem, solum » requiritur ut passim non servetur quando occurrit ser- » vanda, sciente principe et non se opponente; dum enim » scit legem suam non servari, et silet, censetur consen- » tire ut non servetur, ne respublica perturbetur, peccata » multiplicentur. »

Quidquid sit, quando publica et communis est persuasio legem amplius non obligare, consuetudine ei adversa uti licitum est. Unde, quamvis accuratas legitimæ consuetudinis regulas assignare sit difficile, sæpe tuto judicatur consuetudinem prævaluisse eaque uti licere.

Consuetudo generalis per legem oppositam abrogatur, non item consuetudo particularis, nisi de illa specialis fiat mentio, ut de privilegiis diximus. Ita Bonifacius VIII, in Sexto, tit. 2, cap. 1.

FINIS TRACTATUS DE LEGIBUS.

INDEX.

TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

EXPLICIT TOMUS QUARTUS.

Besançon. — Imprimerie d'Outhenin-Chalandre fils.

Date Due
